CRITICE APOLOGETICA

VETERUM ECCLESIÆ PATRUM

ADVERSUS HÆRETICOS

JOANNEM DALLÆUM, ET JOANNEM CLERICUM,

aliosque Novatores

DISSERTATIONIBUS ADORNATA

A PATRE MAGISTRO

PETRO THOMA SANTABARBARA

CARMELITA.

DISSERTATIO PRIMA ET SECUNDA.



VENETIIS; MDCCLVIII.

TYPIS ANTONII BASSANESII AD S. CANTIANUM.

CUM FACULTATE ET PRIVILEGIO.

INDEX LOCORUM,

QUÆ IN HAC CRITICE APOLOGETICA VETERUM ECCLESIÆ PATRUM CONTINENTUR.

DISSERTATIO I.

De Patribus in Catholicorum dogmatum probationem advocandis.

DISSERTATIO II.

De Legitimis vetustorum Patrum operibus cum nothorum multitudine haud confusis.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *Fr. Gio: Paolo Zapparella* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Criticæ Apologetica veterum Ecclesiæ Patrum adversus Hæreticos Jo: Dallæum & Jo: Clericum, aliosque novatores, dissertationibus adornata a P. M. Petro Thoma Santabarbara Carmelita e Brundusio MS.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza ad *Antonio Bassanese* Stampator di Venezia che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 31. Agosto 1757.

Gio: Emo Proc. Rifor.

Alvise Mocenigo 4°. Kav. Proc. Rifor.

Registrato in libro a carte 16. al num. 139.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi 7. Settembre 1757.
Registrato nel Magistr. Eccellentiss. degli Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segr.

PRÆ-

PRÆFATIO

DE TOTIUS OPERIS CAUSA, INSTITUTO, AC PARTITIONE.



QUanquam veterum Ecclesiæ Patrum nomen multo celeberrimum; eorum autem doctrina Hæresibus oppugnandis validissima, ad Catholicam fidem ostendendam aptissima, atque intellectu facillima a Cordatis viris adgnoscitur: tamen me illorum eruditio, cujus vim enervare aliqui Hæretici, ac Novatores incassum moliuntur, ad eosdem veteres defendendos, atque ad Patrum, & Traditionis locos firmandos, magnopere adhortatur. Quocirca plane gaudeo, quod istis in locis, de quibus disserere aggredior, mihi causa talis offertur, in qua agitur Ecclesiæ Scriptorum testificatio, quam aut eorum æquales, aut ipsis suppares magna in commendatione posuerunt: agitur eorumdem studium, quo opera sua condiderunt: agitur denique ipsorum doctrina, cujus præsidio muniti vel prisci Theologi fidem adeo defensitarunt, ut ejus hostes prorsus attriverint; quibus in rebus Patrum authoritas, scriptum, ac Traditio plurimum valuere.

Nunc, quoniam quibus rebus adductus hosce in locos venerim, generatim monstravi: imprimis Patrum nomen enucleandum, vetustisque authoribus catholicis, qui post sanctos Apostolos floruerunt, asserendum est; quo facilius ea, quæ in disceptatione versantur, intelligi queant & poni.

Quapropter narraturus sum, quantas significationes nomen illud ex Hebraica lingua, a qua ejus notio petenda est, habeat: qua quidem lingua *Pater* אב vocatus, atque ex Radice אבה, quæ fert *voluisse*, ductus, & quasi Benevolus a propensa voluntate erga liberos dictus videtur. Tum strictim Genesis (*a*) capite II. Genitorem; cùm minus stricte (*b*) ipsius capite IV. quarumdam Artium inventorem, sive primum eas artes ingenio suo, ac voluntate procreantem, significat.

Hoc latiori sensu vocabulum illud etiam quempiam recta documenta quodammodo generantem, aut Fide, qua Deus unus creditur, atque docetur, Filios gignentem denotat; quam significationem ejusdem libri

 Ge-

(a) Gen. II. v. 24.

(b) Gen. 4. v. 20.

Geneſeos caput XVII. indicat (*a*): Ubi Deus quum *Abraham*, qui prius *Abram* vocabatur, unius elementi additione appellaſſet: ei dixit: רוים וקתיך אב הסון *conſtitui te Patrem multarum Gentium*.

S. Juſtinus Martyr initiis ſecundi Eccleſiæ ſæculi in lucem editus, ut Chriſtianum populum Sanctum ipſi Abrahæ a Deo promiſſum, atque vocatum eſſe, adverſus Tryphonem Judæum evinceret, ſacrum illum Geneſis textum his verbis adduxit (*b*): *Hæc enim illa Gens eſt, quam olim Deus pollicitus eſt Abrahæ, eumque* multarum Gentium Patrem *a ſe* conſtitutum *iri promiſit. non Arabum, nec Ægyptiorum, nec Idumæorum Patrem futurum dicens. Nam & Iſmael Pater magnæ Gentis extitit, magnæ etiam Eſau: & Ammonitarum magna nunc extat multitudo. Noe autem ipſius etiam Abrahæ Pater, ac totius prorſus hominum generis fuit; ac alii aliorum Progenitores fuere. Quid igitur amplius hic Abrahæ gratificatur Chriſtus? quod eum voce per ſimilem vocationem vocavit, quum e terra, quam incolebat, exire juſſit, ac nos omnes per illam vocem vocavit; jamque exivimus ex illo vitæ genere, in quo prave ſecundum communem cæterorum terræ incolarum morem verſabamur: & cum Abrahamo Sanctæ terræ hæredes erimus, hæreditatem in infinitum ævum cernentes: quippe quum filii Abrahæ propter ſimilem fidem ſimus. Quemadmodum enim ille voci Dei credidit, & reputatum eſt ei ad juſtitiam: ita & nos poſtquam voci Dei, tum per Apoſtolos Chriſti denuo prædicatæ, tum per Prophetas nobis promulgatæ credidimus: ad mortem uſque omnibus rebus, quæ in mundo ſunt, renuntiavimus. Gentem igitur ſimilis Fidei, & Dei Cultricem, & juſtam, quæque Patrem ſuum lætitia perfundat ... ei promiſit.*

Tertullianus ante medium ſæculum ſecundum exortus, capite III. libri quinti adverſus Marcionem, qui Deum Veteris Teſtamenti conditorem a Deo Novi fœderis effectore diverſum impie aſſerebat, oſtendit, unum, atque eundem Deum utriuſque Teſtamenti, atque ejuſdem *Fidei*, qua Abraham, Prophetæ, Apoſtoli, ac multæ nationes Deo, & Chriſto ejus Filio crediderunt, Auctorem fuiſſe. Ob idque Scriptor ille vetuſtus ad commemoratum Geneſis (*c*) locum alludit; atque hæc verba facit: *Pergat Apoſtolus, negans ex operibus Legis juſtificari hominem, ſed ex Fide, ejuſdem tamen Dei, cujus & lex...., ut jam ex Fidei libertate juſtificetur homo, non ex Legis ſervitute: quia Juſtus ex Fide vivit. Quod ſi Prophetes Abacuc prænuntiavit; habes & Apoſtolum Prophetas confirmantem, ſicut & Chriſtus. Ejus ergo Dei erit Fides, in qua vivet Juſtus, cujus & lex, in qua non juſtificatur operarius. Proinde ſi in lege maledictio eſt, in Fide vero benedictio: utrumque habes propoſitum apud Creatorem:* Ecce poſui, *inquit*, ante te maledictionem, & benedictionem: *non potes diſtantiam vindicare; quæ etſi rerum eſt, non ideo auctorum, quæ ab uno auctore proponitur.... accepimus igitur be-*

(a) *Gen. 17. v. 5.*
(b) *S. Juſt. Mar. in Dial. cum Tryph. Jud. num. 19. pag. 212. Edit. Hagæ Com. 1742.*

(c) *Tert. lib. v. adv. Mar. cap. 3. pag. 463. Ven. Edit. an. 1744.*

benedictionem spiritualem per fidem, *inquit*, *ex qua scilicet vivet justus secundum Creatorem*. *Hoc est ergo*, *quod dico*, *ejus Dei fidem esse*, *cujus est forma gratiæ Fidei*. *Sed & quum adjicit*, omnes enim Filii estis Fidei, *ostenditur*, *quid supra Hæretica industria eraserit*, *mentionem scilicet Abrahæ*, *qua nos Apostolus Filios Abrahæ per fidem affirmat*, *secundum quam mentionem hic quoque Filios Fidei notavit*. *Cæterum quomodo Filii Fidei ? & cujus Fidei*, *si non Abrahæ? Si enim Abraham Deo credidit*, *& deputatum est justitiæ*, *atque exinde* Pater multarum Nationum *meruit nuncupari* : *nos autem credendo Deo magis*, *proinde justificamur*, *sicut Abraham* ; *& vitam proinde consequimur*, *sicut justus ex Fide vivit: sic fit*, *ut & supra Filios nos Abrahæ pronuntiarit*, *qua Patris Fidei*, *& hic Filios Fidei*, *per quam Abraham Pater nationum fuerat repromissus*.

Denique S. Joannes Chrysostomus, Constantinopolitanus Episcopus labente quarto sæculo renuntiatus, homilia in illud idem Genesis caput de Abrahæ nomine sic agit (*a*): *Patriarchæ nomen Parentes indiderant*, *statim ab initio declarantes*, *ipsum peregrinum fore*, *& transiturum flumen*, *ut in terram alienam veniret*. *Quoniam igitur*, *inquit Deus*, *nomen a Parentibus tibi inditum illud præsignificavit*...., *accipe & unius elementi additionem; ut scias*, *hoc tibi declarari*, te multarum Gentium *fore* Patrem. *Et vide*, *quam adcurate* sit *locutus*..., Patrem multarum Gentium constitui te : *Sciens*, *inquit*, *tuæ virtutis magnitudinem*, *multarum Gentium Doctorem te faciam*.... *quum igitur esset jam justus ob suam in Deum Fidem ; tunc in signum circumcisionem accepit*. *Et primum quidem nomini ejus Littera additur* ; *deinde autem circumcisio imperatur: quo ostenditur Deus se ob multam virtutem justum peculiariter adoptasse* .... *adjecta quidem Littera declaravit*, *illum multorum populorum fore Patrem: circumcisione autem illum distinctum fore*.

Quare cum ex Justino, Tertulliano, & Chrysostomo Abraham *ob fidem*, qua *voci Dei credidit*, *multarum Gentium Pater*, *Paterque Fidei*, aut Hebræorum, ac *Nationum* Christo credentium *Doctor*, & *Patriarcha appellari meruerit* : eumque Gentes ipsæ *propter similem fidem Filii ejus sint* ; ipsumque *Patrem suum* habuerint: tum fit verum id, quod initio dixi, in Patris nomine per Sacras litteras a veteribus enodatas latius significari quendam Magistrum recta *Fidei* documenta promentem, ac *Fidei Filios* quoquomodo procreantem ; eumque illo vocabulo juste insigniri.

Quod igitur in Capite XIII. S. Matthæi, cujus textum exinde afferemus, Dominus edixit, aliquem *super terram* non esse *Patrem* vocandum: id nominis superbis *Pharisæis* inibi expressis, non cæteris hominibus, qui vel strictim natura, vel minus stricte *Fidei* ratione Patres sunt, tribui vetuit : quippe quam ob fidem & ipse ut Deus Abraham *multarum Gentium Patrem* appellarit ; & Paulus Apostolus primævos

(a) *S. Joan. Chrys. homil. 39. in Genesim num. 3. & ultimo pag. 399. & seq. Tom. IV. noviss. Ven. Edit.*

veteris Teſtamenti ſanctos, qui unius Dei cultum, & Meſſiæ adventum docuerunt, *Patres* nuncuparit: quos ita non appellaſſet, ſi Chriſtus illius nominis uſu homines prohibuiſſet.

Sed quoniam Hebraice Patris nomen vel quendam Magiſtrum Filios documentis illis late generantem, atque etiam græce πατρὸς vocabulum, a πάω, quod idem eſt, atque *acquiro*, vel *paſco*, deductum, liberorum Partorem, aut Nutritorem, denotat: hinc etiam Paulus ipſe adſignificavit, Patris nomen Primoribus hominibus, qui populos aliquot Dei religione imbuerunt, tribui poſſe; ſeque eorum, quos *per Evangelium genuerat*, Patrem, ac ſic reliquos Apoſtolos Patres fuiſſe; & demum Eccleſiaſticos *Doctores*, qui Eccleſiæ filios per fidem genuerunt, quoſque ab apoſtolis ſecrevit, a *Deo*, uti poſtea videbimus, *poſitos* eſſe. Ob hæc dubitandum non eſt, quin iis, qui aut auditis apoſtolis, aut certe ſæculis horum ætatem ſequentibus, Eccleſiæ Filios per doctrinam, perque baptiſma procrearunt, eoſve ſcriptis paverunt, Patris nomen conveniat; non excellentiori quidem pacto Apoſtolis competente, ſed generali quadam docendæ Apoſtolicæ Fidei ratione; ob quam alii præcipui ſancti Doctores, alii Scriptores vetuſti, dum Catholici eſſent, aliqui orthodoxi eis ſuppares, & quidem omnes diſtincti ab Apoſtolis, Patres, Majores quoque, aut veteres, appellantur.

Poſſum ad hoc perſuadendum ex antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis probatiores quoſdam teſtes excitare: quos inter ſummo ſplendore fuit S. Athanaſius ſub tertii ſæculi finem ortus, ac dehinc adulto ſæculo quarto Alexandrinæ Eccleſiæ ordinatus Epiſcopus: qui Epiſtola ad Afros Divinum Verbum ex Dei Patris *ſubſtantia* genitum, atque huic *Conſubſtantiale* defenſurus, attulit S. Dionyſii Romani Pontificis, & alterius cognominis Alexandrini Antiſtitis, qui ante medium ſæculum tertium opera ſua ſcripſerant, authoritates: iſtoſque, & etiam Concilii I. Nicæni univerſalis Præſules vocavit *Patres*, atque ab *Apoſtolis* hoc modo ſecrevit: *Satis quidem* (a) *ſunt, quæ a Dilecto, & Comminiſtro noſtro Damaſo magnæ Romæ Epiſcopo, & a tot Epiſcopis una cum illo coactis ... Scripta ſunt de ſana, & orthodoxa fide, quam Chriſtus largitus eſt, Apoſtoli prædicarunt, & quam tradidere Patres, qui ex univerſo Orbe noſtro Nicæam convenerunt ... Filiumque ex ſubſtantia Dei eſſe ſcripſerunt ... demum lucidius, & compendioſe ſcripſerunt, conſubſtantialem eſſe Patri Filium ... Epiſcopi vero nequaquam voces illas excogitarunt, ſed Patrum teſtimoniis freti ita ſcripſerunt. Siquidem priſci Epiſcopi ante annos prope centum triginta tum Magnæ Romæ, tum etiam noſtræ urbis ſcriptis ſuis eos culparunt, qui Filium factum, & Patri non conſubſtantialem dicerent.*

S. Cyrillus Alexandrinus anno circiter 380. natus, & anno 412. Alexandriæ Epiſcopus inſtitutus; Epiſtola ad Monachos Egypti Sacram Virginem Mariam Deiparam appellandam eſſe probat adverſus quoſdam

(a) S. *Athan. Epiſt. ad Afros num.* v. vi. & vi. *Tom. II. noviſſ. Pariſ. Edit. PP. BB. pag.* 841. & *ſequ.*

dam ea de re prave dubitantes: quos ex *Sanctis Patribus*, ac præcipue ex S. Athanasio refellit: illosque *Patres*, & hunc a *Divinis* Christi *Discipulis* ita secludit (*a*): *quo tandem modo Sacra Virgo... Deipara non dicatur? Hanc fidem Divini Discipuli nobis tradiderunt, quamvis istius Dictionis non meminerint. Ad hunc modum a Sanctis Patribus instituti sumus. Enim vero percelebris memoria Pater noster Athanasius, qui totos quadraginta sex annos Alexandrinæ Ecclesiæ Pontificatum egregia cum laude gessit, loquacibusque impurorum, nefariorumque Hæreticorum commentis invicta, planeque Apostolica sapientia restitit, quique scriptis suis velut flagrantissimo quodam unguento totum orbem mirifice recreavit, & cui de dogmatum absoluta integritate, fideique rectitudine Ecclesiæ, testimonium dant, libro, quem de Sancta, & consubstantiali Trinitate conscripsit, oratione tertia Sacram Virginem passim Deiparam nominat.*

S. Leo magnus anno 440. Summum Pontificatum adeptus; in Epistola ad Leonem Augustum Nestorii, & Eutychetis hæreses *Patrum* auctoritatibus refutavit; hosque ab Apostolis sic distinxit (*b*): *Omnes Apostoli, Apostolorumque Discipuli, & præclari Ecclesiarum quique Doctores..., in hujus fidei lumine splenduerunt, consonis ubique sententiis intonantes, quod in Domino Jesu Christo Deitatis, & Carnis una sit confitenda persona... Ut autem Pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subjiciendas esse Sermoni... S. Hilarii Pictaviensis Episcopi... S. Athanasii Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi... S. Joannis Constantinopolitani Episcopi... Theophili Episcopi Alexandrini... S. Gregorii Episcopi Nanzianzeni... S. Basilii Episcopi Cappadocis... S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.*

Tandem Constantinopolitanum II. Concilium, Generale V., anno 553. ad discutienda tria Capitula, de quibus suo loco dicemus, congregatum, cum actione II. de *recta Fide*, & *Patribus*, qui eam *conscriptis* suis *explanaverunt*, confessionem faceret: eos *Patres* ab *Apostolis* discriminatos tali pacto vocavit (*c*): *Sancta Synodus dixit: omnibus proponentes initium facere gestorum, quæ apud nos habentur, de tribus Capitulis..., & manifestum omnibus facere de Fide recta, & Sanctis Patribus, & Doctoribus, qui per diversa tempora in Sancta Dei Ecclesia splenduerunt: confitemur fidem tenere, & prædicare ab initio donatam a magno Deo & Salvatore nostro Jesu Christo Sanctis Apostolis, & ab illis in universo mundo prædicatam, quam & Sancti Patres confessi sunt, & explanaverunt, & Sanctis Ecclesiis tradiderunt, maxime qui in Sanctis quatuor Synodis convenerunt... Super hæc sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyril-*

(a) S. Cyril. Alex. Epist. ad Mon. Ægyp. num. 4. Tom. IV. Concil. Lab. nov. Ven. Edit. pag. 550.

(b) S. Leo M. Epist. 138. ad Leon. Aug. pag. 368. & seq. Part. Secun. ejus operum Editorum Romæ an. 1755. a P. Cacciari Carm.

(c) Concil. V. Act. II. Tom. VI. Labb. noviss. Ven. Edit. pag. 41. & seqq.

rillum, *Leonem*, *& Proclum*, (a) *& omnia ab ipsis conscripta de recta Fide, atque in damnationem Hæreticorum*.

Isthæc Ecclesiasticæ vetustatis testimonia docent, *Patris* nomen jam explicatum recte præberi veteribus iis, qui ab Apostolis secreti, *recta dogmata*, *rectamque fidem* Catholicam *tradiderunt*; quorum tamen aliqui *sapientia plane Apostolica*, doctrina, & sanctitate ornati, ab Ecclesia Doctores singillatim declarantur.

Tales vero, tantosque Magistros ab Apostolo Paulo; ut monui, prædictos; atque a Veteribus, & a generali ea Synodo celebratos, Dallæus Calvinianæ hæreseos Sectator minime veritus; ac Traditioni, quam illi probant, errore adversatus: suo in opere de usu Patrum Patribus ipsis injustam notam censoriam inussit, ut suas hæreses sectaretur: de quibus inibi speciatim non disseruit, sed illius operis Capitibus, duos in libros conjectis, universim Patres, eorumque libros, ac doctrinam temere petiit, excepto posteriore prioris Libri Capite; in quo singularia quædam Patrum instituta persecutus est sine methodi ordine; quum in tertio, ac sequentibus ejusdem libri Capitibus Patrum scripta generatim tractarit; quæ prius expendere debuit, quam de illorum institutionibus particularibus ageret; ut quæ in illis contentæ sint, ex ipsisque eruantur.

Quum autem nonnulli Catholici, & Caveus, ac Screvenerus Heterodoxi eos Dallæi libros quadamtenus exagitarint: exinde Joannes Clericus Socinianus eorum argumenta haud diluta esse pertendit, Patres sinistre insectatus: quos etiam alii Hæretici, ac Novatores, qui dehinc elidentur, frustra pulsarunt.

Ad horum igitur querimonias, & commenta evertenda institui Apologeticam Veterum Patrum criticen, sive criticam eorum defensionem, conscribere; quam in duos locos late patentes tribuam: quorum in priore universim agetur de legitimo Patrum usu, hoc est, de Patribus ipsis, deque legitimis horum operibus, quibus in probando quolibet dogmate uti debemus: tum etiam in eo criticen tractabimus: singula vero genuina Patrum volumina seorsim trademus. In altero loco Patrum doctrinam, quæ Traditionem ostendit, ac generale probandorum dogmatum medium est, & præterea singularia Fidei, morumque capita exhibet, studiose intuebimur. His porro locis & duos libros, quos de usu Patrum Dallæus inscripsit, & aliqua Joannis Clerici opera, & aliorum Hæreticorum, Novatorumque volumina, ita exagitabimus, ut posterius illud Dallæi caput singularibus posterioribus disceptationibus ordinatim ideo retundamus, quia ex generalibus Patrum principiis est ad particularia eorum instituta, & dogmata descendendum.

Et quo facilius res istas monstremus, atque objecta pellamus, utemur Dissertationibus, quarum fundamentum erit Patrum authoritas: nam, quum de iis sermonem habeamus, eorum testimoniis id esse verum, quod intendimus, ostendetur: quo posito, oppositiones expeditius dissolventur.

Proferam igitur locos in medium, Dei ope implorata; cui innixus haud vereor, ne mihi quidam se opponant, quibus respondendi finem non faciam, hoc petens, ut, contentionibus rescissis, ac veritate dilecta, Patres ipsi audiantur, atque laudentur.

LO-

(a) *Sic ista in græco textu Concilii quinti legit, atque rescripsit Manuel Calecas lib. 11. de process. spir. s. c. 24.*

LOCUS I.

DE LEGITIMO PATRUM USU.

PROLUSIO CRITICA,

qua quædam de veris eorum Operibus, ac Testimoniis statuuntur, & Dallæi suppositio refellitur.



Ntequam accedam ad ea, quæ quidem hujusce loci propria sunt, quasdam vero notas, quibus præmuniantur, requirunt: jam Prolusio critica de veris priscorum Patrum scriptis, ac testificationibus generatim facienda est; ut & censuras aliquas contra ea, quæ Dallæus supponit, producamus, & Dissertationum numerum, atque ordinem designemus.

Itaque adverto, quod cum secundum Criticen postea enucleandam quædam opera cujuspiam esse proles ex Testibus aut Coævis, aut supparibus, aut fere supparibus evincantur, illi coævi dicuntur, qui eodem vixere sæculo; quod centum annorum spatio concluditur, uti est prius Ecclesiæ sæculum e Christi ortu deductum. Si autem illi etiam in sequenti sæculo splenduerint, iisdem ii, qui in isto lucem intuiti sunt, hacce ex parte coætanei appellantur. Sin illi in altero vitam non degerint; ipsorum ferme æquales sunt posterioris ævi scriptores: quibus vel in secundo tantum florentibus tertii sæculi auctores suppares; vel in secundo, ac tertio viventibus coævi isti fuere, atque sæculi quarti scriptores iis, qui tantum in secundo floruerunt, pene suppares: ipsis vero, qui sive in secundo, ac tertio, sive dumtaxat in tertio ehituere, ferme coætanei nuncupantur: tum isti eorum, qui in tertio, & quarto, aut in quarto solum extitere, dicuntur æquales. Quæ crisis in quarti, & quinti, ac sexti sæculi Patribus, inque cæteris, itidem retinenda est eo præscripto, ut ex illis primorum quatuor Ecclesiæ sæculorum authoribus Probatio librorum, qui veterum sunt; ex quinti vero, & sexti sæculi Scriptoribus eorumdem confirmatio, eliciantur, habita videlicet Patrum priorum, utpote sibi proximorum, ratione, ac fundamento.

Porro autem cuncta Patrum, præsertim qui primis sex Ecclesiæ sæculis spiritum duxerunt, genuina volumina esse certa hoc vincitur, quod ex Ecclesiasticis scriptoribus vel coævis, vel pene coætaneis, vel fere supparibus commendentur, quodque hæc ipsa illorum stylum oppido exhibeant.

Quocirca de horum operum usu agentes, concludimus, istum legitimum debere esse; nempe ut ex iis antiquorum Patrum libris, qui legitimi sane ostenduntur, indubia catholicæ Fidei dogmata eruantur. Etenim certo modo liquere debet, illorum Majorum esse scripta, e quibus

bus ipsorum sensa eundem in usum decerpuntur: quoniam equidem haud negaverim, quædam gesta ex incertis antiquis Scriptoribus aut evinci, aut conjici, dummodo de eorum vetustate constet. Certis mediis, non incertis, certa probantur.

Hoc quidem constitutum Dallæus in prædicti totius sui operis Præfatione amplectitur: sed in capitis 1. libri 1. initio ea, quæ Patres „ senserunt, sive Patrum volumina „ quæ eorum sensa continent, in dubium vocare nequicquam conatur dictis iis, quæ ipse mittit velut ad caput ipsum, in quo de illis operibus minime agit, non pertinentia; quæque proinde hic excutienda sunt. Sic autem fatur: „ Si esset animus „ eam adhibere in hoc argumento „ methodum, qua adversum S. Scri„ pturam nonnullos Ecclesiæ Ro„ manæ Doctores nunc uti cerni„ mus, nullo negotio conficere pos„ semus, ut quicquid senserunt Pa„ tres, id plane dubium, & incer„ tum esse videatur. Hi enim quo„ ties ab Adversario aliquis vete„ ris, aut Novi testamenti locus „ adsertur, quærere solent, unde, „ & quomodo sciat, hujusmodi li„ bros a Prophetis, & Apostolis, „ quorum nomina, & titulos præ„ ferunt, vere scriptos suisse: Si „ ergo qui Justinum, Irenæum, „ Ambrosium, Augustinum, & alios „ nobis objiciunt, eos hac itidem „ quæstione remoraremur, ut do„ ceant, unde & qua ratione con„ stet, Patres horum, quæ iis tri„ buuntur, voluminum vere autho„ res fuisse; facile est videre, lon„ ge majus negotium exhiberi pos„ se, quam ipsi nobis facessunt, „ dum Divinorum Titulorum pro„ bationes exigunt; quorum scilicet „ veritas multo facilius, quam hu„ mani scripti demonstratur. Sed „ hanc nimium vafram, ac versu„ tam disputandi rationem mitto „.

Nonne ista irrita sunt, & falso supposita? Neque enim illam quærendi methodum Romanæ Ecclesiæ Doctores, aut Theologi adversus sacras scripturas, nec passim, sed aliquando abhibent; ut ostendant, non modo sacræ Scripturæ aliquas litteras, quas Dallæus, aliique Heterodoxi recipiunt, verum etiam alias in canone ab Ecclesia condito numeratas, quas iidem isti hæresi minime admittunt, certas esse atque Divinas: quod ut demonstrent, ex iis Hæreticis quædam veteris, aut Novi Testamenti loca adferentibus sciscitantur, unde, & quomodo sciant, hæc a Prophetis, & Apostolis, quorum nomina præferunt, exarata fuisse? Cui interrogationi nihil aliud reponi potest, nisi quod ex Veterum Testimoniis, & Ecclesiæ Catholicæ authoritate, quibus vel illæ cæteræ Scripturæ sacræ monstrantur, illud liqueat, atque sciatur: quod ipsi Theologi orthodoxi firmiter probant ea disceptandi, & arguendi ratione sic planius enuntiata: unde & quomodo noverunt homines, quod Prophetarum, & Apostolorum scripturæ a Deo dictatæ fuerint, nisi per Ecclesiam, perque hujus viros, ac Patres, quibus Deus ipse usus illas nuntiavit? Hoc certissimum est, & maxime illos Hæreticos ita præmit, ut illud responsi dumtaxat reddere, & alias sacras Scripturas recipere possint.

Hinc S. Augustinus, sub quarti sæculi finem declaratus Hipponæ repulit Faustum Manichæum, qui *multa* enuntiata Apostolica sibi adversa ab Apostolis *dicta* non esse, & quæ-

& quædam *scripta Apostolorum* a quibusdam Judæis sub illorum nominibus vendicata fuisse effutiebat: quem ille isto interrogandi, arguendique modo convicit: *Platonis*, (a) *Aristotelis*, *Ciceronis*, *Varronis*, *aliorumque ejusmodi Authorum libros unde noverunt homines*, *quod ipsorum sint*, *nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt non authoritate Canonica*, *sed aliquo adjuvandi studio*, *sive discendi. Unde constat*, *quid cujus sit*, *Nisi quia his temporibus*, *quibus ea quisque scripsit*, *quibus potuit*, *insinuavit*, *atque edidit; & inde in alios atque alios continuata notitia*, *latiusque firmata*, *ad posteros*, *etiam usque ad nostra tempora pervenerunt; itaut interrogati*, *cujus quisque liber sit*, *non hæsitemus quid respondere debeamus ... quæ cum ita sint: quis tandem tanto furore cæcatur...*, *qui dicat*, *hoc non potuisse mereri Apostolorum Ecclesiam*, *tam fidam*, *tam numerosam Fratrum concordiam; ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent ...*, *cum hoc qualiumcumque hominum scriptis*, *sive extra Ecclesiam*, *sive in ipsa Ecclesia tanta facilitate proveniat?*

Anne vides cunctas Dallæi argutationes ab Augustino repulsas? qui illis interrogandi modis: *Unde noverunt homines*, &, *Unde constat*, usus fuit, non adversus Divinam Scripturam, sed contra Manichæum illum, cujus errorem eadem disputandi, & argumentandi forma, quæ sacrorum Operum Canoni admodum suffragatur, apte disjecit. Ergo Dallæus false sumit, quæstionem illam adversum Sacras Scripturas usurpari; quum contra Hæreticos instituatur, illisque sacris litteris faveat. Non igitur Sacræ Scripturæ adversa, non vafra, non versuta, sed recta est ea quærendi, & arguendi methodus; quippe qua Divinorum librorum probatio exigatur, ac detur.

Atque uti S. Doctor Sacrarum litterarum monstrationem quæsivit facessendo Manichæis summum negotium: sic nos a Dallæo, qui aliquas Divinas Scripturas errore inficiatur, aliorum sacrorum Titulorum, quos admittit, probationem exigentes; ipsi maximum negotium objicimus, nisi plerorumque Veterum testimonia, quæ & illarum & Horum Canonem ab *Apostolorum Ecclesia* creditum, atque conditum exhibent, amplectatur.

Simili quærendi, ac ratiocinandi modo procliviter vincitur, genuinum aliquod humanum scriptum esse verum, ac certum. Nam unde liquet, sive *Platonis*, *Varronis*, *Ciceronis*, aliorumque prophanorum, sive Ecclesiasticorum opera ab utrisque producta fuisse; nisi ex *eadem* scriptorum *sibimet succedentium contestatione?* expedita est atque evidens hæc quæstio, & demonstratio. Nullum ergo negotium Dallæus de Patrum scriptis probandis, nec longe majus, quam isti illa Sacræ Scripturæ quæstione exhibemus, nobis itidem facit. Quamvis igitur Divinæ Litteræ omnes eorum veterum doctrinis facilius probentur; tamen veros humanos Patrum libros persimili disceptandi ratione, nullis difficultatibus, ac *tanta facilitate*, uti Augustinus adstituit, monstramus,

(a) *S. Aug. Lib. 33. cont. Fau. Manich. cap. VI. pag. 466. & seq. Tom. VIII. nov. Ven. Edit.*

ut interrogati non hæsitemus quid respondere debeamus; utque nos censor ipse non remoretur: qui cum Patrum ab eo recensitorum volumina in dubium falso revocet, eodem disputandi argumento revincitur.

Unde enim constat, S. Justinum, qui Christianæ eræ anno 160. Martyrii coronam obtinuit, illorum operum, quæ huic tribuuntur, vere auctorem fuisse? sane ex *Veteribus:* quorum aliquos ejus *Librorum* testes Eusebium (*a*) in Historia Ecclesiastica memorat; qui Historicus, quum, ut suo loco probabimus, circa ejusdem æræ anno 260. in vitam ingressus sit, ac sic ipsius Justini pene æqualis extiterit, indubia ejus scripta significat, atque percenset: quæ uti talia quoque S. Hieronymus Præsbyter Stridonensis, quarto Sæculo celebris, & ita Justino fere suppar, in Catalogo Virorum illustrium, sive Ecclesiasticorum Scriptorum; (*b*) ac Photius nono sæculo notus in Bibliotheca, aliique numerarunt.

Tum unde, & qua ratione idem liquet de S. Irenæi Lugdunensis Episcopi, qui ineunte secundo sæculo natus, post tertii principia martyrium subiit, operibus; nisi ex Tertulliano Carthaginensi Præsbytero illius æquali? qui Valentinianorum errores confutando, (*c*) ejusdem Martyris *volumina* adversus eos Hæreticos conscripta laudavit. Quæ, & alia opera Irenæi partus esse, Eusebius (*d*) ipsius Sancti temporibus propinquus, (*e*) S. Hieronymus, & Photius, denuntiarunt.

Tum S. Ambrosium Mediolanensem Antistitem quarto sæculo clarum, eorum monumentorum, quæ ipsi haud dubie assignantur, fuisse effectorem, unde compertum est; nisi ex Tractatoribus Ecclesiasticis ipsi aut coævis, aut supparibus? illa namque S. Hieronymus (*f*) ejus æqualis, S. Augustinus (*g*) ipsius auditor, Paulinus (*h*) ejusdem Ambrosii Diaconus, Theodoretus Cyri Episcopus ipsi ferme coætaneus, (*i*) Concilii I. Ephesini Œcumenici Patres illius ævo proximi, ac Synodi Chalcedonensis (*k*) Generalis Præsules eidem suppares adlegarunt.

Denique celebratum S. Augustinum voluminum, quæ ipsi adscribuntur, authorem esse, unde & qua ratione patescit? Certe ex Possidio, qui per annos propemodum quadraginta ipsum S. Doctorem audivit, & subinde Calamæ Episcopus fuit: qui pleraque Augustini opera novit, istorum indicem texuit, ac trajecit ad Posteros.

Tantum igitur abest, ut illa quærendi methodus nos remoretur, ut ipsa potius operum collaudatis Patribus profecto attributorum rationem, qua isthæc certa demonstrantur, ac Dallæi dubitatio diruitur, ex veteribus adferamus.

Evanescat itaque omne dubium de legitimis Patrum conscriptis, quæ

(a) *Euseb. lib. IV. Hist. Eccl. cap. 17. pag. 151. & seq. Edit. Aug. Taurin. an. 1745.*

(b) *S. Hier. in cat. vir. ill. cap. 23. pag. 849. Tom. II. nov. Ver. Edit. — Phot. in BB. Cod. 125.*

(c) *Tertul. in lib. adv. Valent. cap. V. pag. 252. Ven. Edit. an. 1742.*

(d) *Euf. lib. V. Hist. Eccl. cap. 20. pag. 206.*

(e) *S. Hier. in Catal. cap. 35. pag. 852. Tom. II. Nov. Veron. Edit. Phot. in BB. Cod.*

(f) *S. Hier. Epist. 48. & 84. Tom. I.*

(g) *S. Aug. lib. 1. Cont. Jul. cap. 111. num. 10.*

(h) *Paul. in vita Amb. Theod. Dial. 1. tom. IV.*


(i) *Conc. Eph. Act. I. Tom. 3. Labb. Ven. Ed. pag. 1058.*

(k) *Conc. Chalc. act. 16. pag. 1770. Tom. IV. Lab.*

quæ certis argumentis vera monſtrantur; quibuſque eorum mens, ac ſententiæ, quas ad Fidei dogmata oſtendenda Orthodoxi Critici adducunt, certiſſime continentur; propterea quod de earum authoribus, a quibus opera ipſas comprehendentia vere producta fuere, ob antiquorum Teſtium fide dignorum authoritatem, gravitatem, atque præſtantiam ambigi nequit.

Hic etiam poſt iſtorum operum, ac ſententiarum notas expendere debemus ea, quæ antea Dallæus in totius ſui operis Præfatione ponit, unice petens, ut indubitata Patrum teſtimonia, quæ ad orthodoxorum dogmatum probationem adducuntur, haud ambigua ſint, & claritudine polleant; qua videlicet alicujus eorum teſtificationis ſenſus apertus eſt, ac minime dubius. Verum hanc poſtulationem uti unicam, & ſubobſcura, ac non ambigua veterum dicta nequaquam ferentem eo prorſus non ſequimur; quia pleræque Patrum ſententiæ ſunt illo modo claræ; aliæ autem ſubobſcuræ: quæ poſteriores etiamſi obſcuritatis aliquantum habeant, non tamen penitus tenebris involvuntur; nam quadam claritate aliquid, quod vario ſenſu vacat, & ex quo quidpiam certo deducitur, indicant; ac ſicuti aliæ legum humanarum ſententiæ perſpicuæ ſunt, aliæ ſubobſcuræ; quæ aliquid plane innuunt, atque ad cauſas obtinendas valent: ita pleraque Patrum teſtimonia dilucidum habent ſenſum, ac vincendis Fidei rebus adhibentur; quædam vero nonnihil obſcura, tamen abſque ſenſus diverſitate quiddam planius ſignificant; & proinde ad faciendam fidem afferri queunt: quia ab Eccleſiaſticorum Teſtium authoritate planam indicii vim, de qua nemo jure ambigere poſſit, petunt, & obtinent.

Jam nunc ad Patres ipſos antiquitate, & doctrina illuſtres; atque ad eorum opera, quæ uſui eſſe debent, longius hocce loco progrediamur; in quo primum de vetuſtis Patribus in Catholicorum dogmatum probationem advocandis; deinceps univerſim de legitimis ipſorum ſcriptis Nothorum multitudini inconfuſis; poſtea de Critices regulis utraque opera attingentibus; poſtremo de germanorum operum integritate, quadrifariam differemus: quibus Diſſertationibus abſolutis ſingula genuina, & intemerata Veterum volumina a ſpuriis, atque a depravatis ſecreta ſeparatim præbebimus.



DISSERTATIO I.

DE PATRIBUS

IN CATHOLICORUM DOGMATUM PROBATIONEM ADVOCANDIS.

NUnquam mihi dubium fuit, quin compertum esset, in Patrum caufis, quas Theologi contra Hæreticorum illos minimi facientium errorem fufcipiunt, eam ante omnia agitandam effe, quæ eofdem veteres, qui in Theologiæ facultate nominatim appellantur, fpectet, ac tueatur. Quo impræfentiarum magis id cerno, primitus de antiquis Patribus, a quibus Catholicorum dogmatum monftrationes accipi queant, agi debere: quod ut Differtatione complectamur, non modo plura enucleanda; verum etiam Novatorum errationes afferendæ funt & oppugnandæ.

§. I.

Quædam adnotantur: Dallæi, & Joannis Clerici Opinationes Veterum teftimoniis confutantur.

UT a generalioribus quæ in animis noftris rerum tractationem incohant, & ad hujus Differtationis ftatum intelligendum conducunt, exordiar: obfervo, Patrum authoritatem bifariam fumi: vel pro quodam jure, cujus vi in orthodoxorum dogmatum demonftrationem, quæ iftorum veritates, quamvis ob fidem obfcuras, attamen certas oftendit, vetufti Patres ut idonei catholicæ Fidei Teftes accerfiri debent: vel pro aliquo ipforum dicto, aut fententia, quæ nobis pro Teftimonio eft; quarum pofterior authori-

tas e priori proficiſcitur: ex eo namque Teſtium jure, quo veteres gaudent, aliquod ipſorum dictum Teſtimonii habet rationem, ob quam illud a Theologis adlegatur.

Tum autem præmoneo quatuor priorum Eccleſiæ ſæculorum Patres, quorum opera, vel operum fragmenta extant, illo authoritatis jure, quo res Fidei ex ipſis probandæ ſunt, ſane potiri: ac reapſe ex eorum ſcriptis inſignia teſtimonia ad fidem oſtendendam adverſus Hæreticos aut antiquos, aut recentiores proferri: denique Patres ſequentibus ſæculis, quinto ſcilicet ac ſexto, & reliquis exortos ad orthodoxorum dogmatum comprobationem, quæ horum demonſtrationem fulciat, aſſumi debere; ac revera horum monumentis, atque authoritatibus eadem dogmata confirmari.

Illud autem eſt inſtitutæ diſſertationis; quatuor priorum ſæculorum Patres, antiquitate, & doctrina orthodoxa inſtructos, atque idoneos Fidei Catholicæ Teſtes, ex ipſorum voluminibus ad orthodoxorum dogmatum demonſtrationem ita aſſumi oportere, ut iſtorum probatio aut ab aliquo trium primorum ævorum authore ſumatur, atque incipiat, & quarti ſæculi veterum teſtimonia ſimul comprehendat, ſitque hoc modo ſufficiens, & efficax: aut ex quarti ſæculi Patribus, qui in illius probationis vi includuntur, initium ducat, & quinti, vel etiam ſexti ævi Patrum teſtificationibus compleatur, ac ſic recta ſit, atque conſiſtat.

Qua de re ut plurium Hæreticorum errorem poſtea eliminandum prætermittam: Dallæus in memorata operis ſui præfatione primum Theologos profert, qui multa Fidei capita contra Heterodoxos Proteſtantes tuentur, atque, ut ipſe loquitur „ ex ſcriptis Doctorum, qui „ quatuor, aut quinque poſt Apo„ ſtolos vixere ſæculis, quique ut „ plurimum Patres vocantur, pro„ bationes petunt. Conſilium meum „ eſt, an iſtis controverſiis dirimen„ dis medium hoc ſufficiat, expen„ dere: „ quæ declarant, cenſorem ipſum, quamvis illa capita proponat, tamen de iis, uti præmonuimus, ſingillatim non agere, ſed de eo medio tanquam generali diſſerere: quoniam ab ipſius medii univerſim eos Patres complectentis ſufficientia diſceptationem orditur; illamque *diſputandi rationem*, quam illi Theologi ineunt, *eſſe inefficacem*, ibi contendit. Quare ne longius abeamus: alia, quæ ibidem adjicit, ſuis locis excutiemus; hicque illud medium probans, ſive ipſam Sacrorum dogmatum probationem generatim tractabimus: quam idem Dallæus ſimul atque in libri I. capite I. ex operibus Patrum, qui tribus prioribus ſæculis enituere, certo ſumi non poſſe argutatus eſt: ſtatim de eorumdem capitum probatione, quæ a quarti ſæculi Doctoribus incipit, & illorum, qui ævis ſequentibus emicuere, authoritatibus communitur, univerſim affirmat, (a) quod ea „ pro„ batio abſurde, ac præpoſtere in „ tria ſubſequentia ſæcula rejicere„ tur „: quo in dicto errorem ineſſe, ipſa præpoſtera abſurditas monſtrat; quæ quum eidem probationi, cujus vis ex ipſorum veterum teſtimoniis elicitur, imputetur: profecto

iiſdem

(a) Dal. ibid. pag. 4.

iisdem Patrum testimoniis, quasi hæc absurda, inconvenientia, ac præpostera sint, attribuitur; quod quidem erratum absonum est: cui aliud erroris monstrum adjunxit Joannes Clericus Dallæum Epistola IV. (*a*) sectatus: ubi dum disceptat de dogmatibus *probandis* ex *antiquitate Ecclesiastica*, (*b*) quæ Apostolorum Discipulis, cæterisque hos subsequentibus competit, qui Catholicam (*c*) „ Apostolorum doctrinam „ a Christo profectam cum ore, „ tum scriptis propagarunt „: dum, inquam, de his disputat; continuo dicit, quod „ sine ra„ tione, & contra fidem Histo„ riæ, (*d*) resque adeo ipsas, ple„ rosque omnes Apostolorum disci„ pulos indolem Sanctissimorum il„ lorum virorum retulisse, ac sum„ ma cura ac fide Magistrorum do„ ctrinam addidicisse, ac retinuisse „ statueremus „: quibus subinde hoc adstituit, „ apud antiquissimos Chri„ stianos (*e*) non defuisse homines „ parum cautos, qui sibi facile im„ poni paterentur, & forte etiam „ parum veri amantes; ac proinde „ antiquitatem solam non posse ve„ luti Christi commeatum haberi, „ quo conspecto, omnes, qui eum „ gerunt, sint quasi Testes Fide di„ gni admittendi „: En magnum errorem, quo „ plerisque omnibus „ Apostolorum discipulis „, quorum aliquot Apostoli ipsi suis Evangelicis litteris, & alios Ecclesiastici Doctores, atque Historici maxime commendarunt, exprobrat, quod illi ipsi, qui etiam ob orthodoxa documenta posteris tradita Patres fuerunt, summa cura, ac Fide non addidicerint, non retulerint, non retinuerint Apostolorum indolem, atque doctrinam. Ecquis talem, tantamque errationem apostolicis litteris, Ecclesiasticæ Historiæ, ac rationi certo repugnantem minime execrabitur? Atenim ex illis Apostolorum discipulis, & Patribus, exque nonnullis antiquissimis Christianis, qui scripto fulserunt, quosque postea defendemus, idem argutator infert, „ Pa„ tres *omnes uti Testes Fide dignos* uti„ que in Catholicorum dogmatum „ probationem, qua de prælocutus est, *admitti non posse:* ecce alterum erroris portentum; quippe quo iis, qui, ut ipse fatetur, *Christi commeatum*, sive Apostolicæ Doctrinæ ab eodem Domino ortæ propagationem, & transitum in posteros *gerunt*, credendum non esse pertendat; quem Hæreticum Rivetus Calvinista ante refellit: is enim, tametsi in tractatu de Patrum authoritate nonnullas errantes notas, & assertiones, quas suo loco expugnabimus, miscet, verum hæc scribit, (*f*) „ Patres nos „ etiam agnoscimus veritatis Te„ stes, & indices „: quam proinde veritatem, cujus ratione Testes Fide digni sunt veteres, Joannes Clericus errore inficiatur; ac sibi quoque non constat. Nam illos Patres *antiquissimos* in *omnibus* includit: ergo illi, sicut isti, *Christi commeatum*, aut Doctrinam Catholicam *gerunt;* atque ita in hac sibi imponi passi non sunt. Quo *omnes* non antiquitate sola *præstant;* sed etiam illum

(a) *Jo. Cler. Ep. IV. Volum. 3. art. crit. Edit. Amst. an. 1720.*
(b) *Pag. 98.*
(c) *Pag. 121.*
(d) *Eadem pag. 121.*
(e) *Pag. 122.*
(f) *Riv. tract. de Patr. auct. cap. 1.*

illum Christi commeatum referunt, adversario fatente, sibique pugnante; quem, atque etiam Dallæum contra Ecclesiasticam vetustatem errare, demonstratum ibimus, universim agendo & de Patribus omnibus, qui quatuor primis sæculis, vel posterioribus explenduerunt, & de illa probatione, quæ ex ipsorum voluminibus postea describendis elici debet.

Quare ut inde assertio mea proficiscatur, unde hæc omnis causa ducitur: adversus eos Hæreticos assevero, cunctos quatuor priorum Ecclesiæ sæculorum Patres ut veteres Testes fide dignos, & antiquitate, ac doctrina Catholica ab Apostolis ducta instructos, ex eorum monumentis ad Orthodoxorum dogmatum demonstrationem assumendos esse: ita ut horum probatio vel ab aliquo trium primorum ævorum scriptore desumi, atque incipere, simulque ex quarti sæculi Patrum operibus erui possit, & hocce pacto sufficiens, & efficax sit: vel ab ævi quarti Patribus initium ducat, ac sequentium authorum Ecclesiasticorum testificationibus compleatur; sicque non absurda, nec præpostera, sed apta sit, atque firma: quod enuntiatum Veterum authoritate planum faciemus.

Primitus veniat in medium S. Irenæus Lugdunensis Episcopus post medium secundum sæculum institutus; qui libri III. contra hæreses cap. III. refutat Hæresiarcham Valentinum, ejusque sectatores, a quibus triginta æonum, aut Deorum, quorum alter Deus esset super Demiurgum, hoc est, universorum Opificem, error inductus fuit. Quocirca pro eo, quod isti hæretici Sacræ Scripturæ authoritatibus victi ad traditionem provocabant, ille adversus eam ipsorum hæresim pervetustos Fidei, ac traditionis Testes idoneos cum S. Clementem I. Romanum Pontificem, tum S. Polycarpum Smyrnensem Præsulem, qui primo, & altero Ecclesiæ sæculo illustres unum Deum Christi Domini Patrem annuntiarant, profert, atque ex eorum epistolis hujusce dogmatis probationem isto modo exculpit: (a) *Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ eum, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio. Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his, quæ sunt ad Timotheum Epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis ... quum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet, non solus, adhuc enim multi*

(a) *S. Iren. lib. 3. adv. hær. cap. 3. num. 2. & 3. seq. Tom. 1. nov. Ven. Edit. pag. 175. seq.*

ti superarant tunc ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, Dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, Fratres facta, scripsit, quæ est Romæ Ecclesia, potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans Fidem eorum, & annuntians, quam in recenti ab Apostolis acceperat, traditionem annuntiantem unum Deum *Factorem Cœli, & Terræ ... Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt, & Apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere; quum sit vetustior Epistola His, qui nunc falsò docent, & alterum Deum super Demiurgum, & factorem horum omnium, quæ sunt, commentiuntur .... Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate .., hæc docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo; qui vir multo majoris authoritatis, & fidelior veritatis est testis, quam Valentinus, & Marcion, & reliqui, qui sunt perversæ sententiæ. Is enim est, qui sub Aniceto quum advenisset in urbem, multos ex his, quos prædiximus, Hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam & solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se; quam & Ecclesiæ tradidit*. Et *sunt, qui audierunt eum dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, quum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus, dicens, quod timeat, ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis: & ipse autem Polycarpus Marcioni occurrenti sibi, & dicenti*, cognoscis nos? *respondit*, cognosco te primogenitum satanæ. *Tantum Apostoli, & horum Discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem ... est autem Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua & characterem Fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent suæ salutis, possunt discere.*

S. Basilius circa annum 329. exortus, annoque 369. Cæsareæ Episcopus ordinatus, præstitutam enuntiationem libro, sive Tractatu de Spiritu Sancto, quem Tractatum S. Gregorius Nazianzenus, ac Sanctus Hieronymus ejus equales laudarunt, adstruxit: cujus libri capite XXIX. exagitat Pneumatomachos, qui Spiritus Sancti Divinitatem errore inficiabantur; ac *Fidei* (a) *glorificationem*, qua Pater, & Filius *Cum* Spiritu Sancto, vel & Spiritus Sanctus glorificatur, quaque hujus cum illis in gloria consortium significatur, simulque creditur, prave abhorrebant, illamque vocem *cum Spiritu* in sacris litteris haud extare objiciebant: contra quos ex collaudata S. Clementis I. Epistola, & ex ipsius Irenæi opere adversus hæreses, atque ex S. Dionysii Romani Pontificis, ac S. Dionysii Alexandrini Episcopi Epistolis, qui Patres tribus

(a) *Videsis ejusdem libri Caput 27. num. 67. & Caput 28. num. 70. & Cap. 29. num. 71. & seqq. Tom. 3. nov. Edit. Paris.*

bus prioribus sæculis florentes *fide digni* fuerunt, testimonia, quæ illam gloriæ largitionem Spiritui Sancto tributam tradebant, S. Basilius exprompsit; ipsisque Eusebii Cæsariensis, qui *propter multiplicem rerum experientiam* testis *idoneus* erat, quique tertio, & quarto sæculo eluxerat, locum adnexuit. Quapropter S. Basilii (*a*) aliquot verba institutum nostrum probantia tantum exhibeam; quæ ita fecit: *Sane contra id, quod dicunt, glorificationem* cum Spiritu *carere testimonio, nec in scripturis extare, illud dicimus: si nihil aliud est receptum absque scripturis, ne hoc quidem recipiatur: sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis; cum aliis pluribus & hoc recipiemus. Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere:* (*b*) laudo enim, *inquit*, vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis: (*c*) *& illud*: tenete traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam: *Quarum una est & hæc, de qua nunc egimus; quam qui ab initio præscripserunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in Ecclesiis radicarunt. Ergo si velut in tribunali probationibus e scripto destituti, multos vobis Testes producamus: nonne sententiam absolventem a vobis consequemur? Ego quidem arbitror;* in ore siquidem duorum, ac trium testium stabit omne verbum. (*d*) *Quod si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostendamus: an non videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam jure nobis intendi. Veneranda enim sunt quodammodo vetusta dogmata, quæ ob antiquitatem ceu canitiem quandam habent quiddam reverendum. Enumerabo itaque vobis hujus dictionis patronos, vindicesque ..... quum apud me reputo, an quis veterum, ac beatorum virorum his, quibus, nunc reclamatur, vocibus usus sit, multos reperio & ob antiquitatem fide dignos, & accurata, non secundum hos homines, scientia ornatos; quorum alii præpositione, alii conjunctione in glorificatione sermonem copulantes, nihil diversum sane, quod ad rectam attinet pietatis intelligentiam; existimati sunt facere: Irenæus ille, & Clemens Romanus, & Dionysius Romanus, & Alexandrinus Dionysius ...., & Eusebius Palæstinus.*

S. Augustinus quarto & quinto sæculo clarus, lib. I. contra Julianum hæresis Pelagianæ defensorem suscipit propugnandam catholicam de peccato originali sententiam a se in primo libro de nuptiis, & concupiscentia ante enucleatam; quam Julianus quatuor libris insequi ausus, ejus propugnatoribus Manichæorum nomen appingere haud erubuit: quod crimen Augustinus adlegatis quibusdam illorum Patrum, qui vel secundo, vel tertio, vel quarto sæculo procreati sunt, atque illius peccati extantiam monstrarunt, testificationibus diluit, istoque modo Heterodoxum illum compellat: *Tu, qui* (*e*) *tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis, quos, & quales viros & quantos Fidei Catholicæ defensores*

(a) Ib. pag. 60. & 61.
(b) 1. Corinth. 11. 2.
(c) 2. Thess. 2. 14.
(d) Deut. 17. 15.
(e) S. Aug. lib. 1. cont. Jul. cap. 3. num. 5. & seq. Part. I. To. X. nov. Ven. Ed. pag. 499. & seq.

sores tam execrabili criminatione appetere audeas, si evigilas, intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror: Sed ponam pauca paucorum; quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere, & credere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit. Irenæus Lugdunensis Episcopus non longe a temporibus Apostolorum fuit: iste ait; non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra, omnia traxit ad se, & vivificavit mortuos (*a*) ..... *Videsne antiquum hominem Dei quid de antiqua serpentis plaga sentiat?.. Multo autem apertius de eadem fide beatissimus Martyr, & Episcopus Cyprianus*, si homines, *inquit*, (*b*) impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos .. possent impedire peccata graviora. Porro autem si gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, quam postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a baptismo, atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. *Reticium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore Episcopatus sui gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in urbe Roma Melchiade Apostolicæ Sedis Episcopo præsidente, cum aliis Judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absolvit. Is, quum de baptismo ageret, ita locutus est:* hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam, neminem præterit; in qua antiqui criminis omne pondus exponimus ..., ubi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus...(*c*) *Olympius Hispanus Episcopus, vir magnæ in Ecclesia, & in Christo gloriæ in quodam sermone Ecclesiastico*, si fides, inquit, unquam in terris incorrupta mansisset, nunquam Protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur. *Habesne aliquid, quod adversus nos tibi dicere videaris, quod non etiam in istum dicere compellaris, vel potius in istos? Una est enim omnium Catholica fides, qui per unum hominem peccatum intrasse in Mundum, in quo omnes peccaverunt, uno corde credunt, ore uno fatentur, & vestras novitias præsumptiones Catholica antiquitate subvertunt. Audi adhuc .. Ecclesiæ Catholicæ adversus Hæreticos defensorem venerandum Hilarium Episcopum Gallum; qui cum de Christi carne ageret, attende quid dicat:* ergo quum missus est, *inquit*, in similitudinem carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum; sed quia ex peccato omnis caro

(*a*) S. Iren. lib. IV. cont. hær. cap. V.
(*b*) S. Cyp. Epist. 64. ad Fidum.

(*c*) Hæc opuscula Rheticii, & Olympii haud extant.

caro eſt, a peccato ſcilicet. Adam parente deducta, in ſimilitudine peccati carnis eſt miſſus, exiſtente in eo non peccato, ſed peccati carnis ſimilitudine ... *Audi alium excellentem Dei diſpenſatorem ..Beatum Ambroſium, cujus pro Catholica Fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula ſive operibus, ſive ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Hic vir cum ſecundum Lucam exponeret Evangelium,* .. omnes, *inquit*, in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, (*a*) & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa mors omnium eſt ... *I nunc, & mihi objice originale peccatum; diſſimula ab iſtis, finge te neſcire quid dicant, & ſanctæ Eccleſiæ tot, tantiſque Doctoribus, qui vita optime geſta, debellatiſque ſuorum temporum erroribus, glorioſiſſime de ſæculo, antequam vos ebulliretis, exierunt ..., inſulta ... Sed qua confidentia id dicere audebis homo, qui dicis, Manichæum eſſe ſenſum confiteri ex Adam trahere naſcentes originale peccatum, quod iſti confeſſi, atque profeſſi ſunt, quod in Chriſti Eccleſia ſuorum rudimentorum tempore didicerunt, quod Chriſti Eccleſiam ſuorum honorum tempore docuerunt ... Sed non tibi deeſt .. de partibus Orientis .. Gregorius .. audi ergo quid dicat .. de baptiſmo loquens:* perſuadeat, *inquit*, tibi de hoc quoque ſermo Chriſti dicentis, neminem poſſe introire in regnum Cœlorum, niſi renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu. (*b*) Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres noſtræ.. *An tibi parva in uno Gregorio Epiſcoporum Orientalium videtur authoritas? Eſt quidem tanta perſona, ut neque ille hoc niſi ex fide Chriſtiana omnibus notiſſima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, niſi hæc ab illo dicta ex regula notiſſimæ veritatis agnoſcerent; ſed ſi vis, addimus huic & Sanctum Baſilium ... in ſermone de jejunio,* jejunium, *inquit*, in Paradiſi lege conſtitutum eſt. (*c*) Primum enim mandatum accepit Adam: a ligno ſciendi bonum, & malum non manducabitis. Non manducabitis, autem jejunium eſt, & legis conſtitutionis initium. Si jejunaſſet a ligno Eva, non iſto indigeremus jejunio. Non enim opus habent valentes medico, ſed male habentes. Ægrotavimus per peccatum, ſanemur per pœnitentiam .. quia non jejunavimus, decidimus de Paradiſo: jejunemus ergo, ut ad eum redeamus.. *quid hinc plura? .. Tu interim habes in conſpectu non ſolum Occidentis, verum etiam Orientis Epiſcopos ..iſtis cede, & non me cædes: adquieſce iſtis, & quieſce a me. Poſtremo ſi mihi per eos fieri non vis amicus, ſaltem pero, ne per me illorum efficiaris inimicus. Sed quomodo non efficieris, ſi in iſto errore permanſeris? quanto ergo melius, ut his accedas, ab illo recedes. Tantumne apud te poſſunt Pelagius, & Cœleſtius, ut a ſolis ortu uſque ad occaſum Tot, ac tantos Catholicæ Fidei Doctores, &*

(*a*) S. *Amb. lib.* 4. *in Luc. num.* 67.
(*b*) *Joan.* 3. 5.
(*c*) *Gen.* 2. 17.

Defensores antiquos, & nostræ ætati contiguos, dormientes, & manentes non solum deserere, verum etiam Manichæos audeas appellare? (a) ... *Proposuimus hic* (*addit libro* 2.) *authoritatis mole Sanctorum, qui Episcopi ante nos non solum sermone, cum hic viverent, verum etiam scriptis, quæ posteritati relinquerent, fidem catholicam strenue defenderunt, vestra argumenta confringere, quibus dicitis:* „ Si Deus homines creat, non possunt cum aliquo malo nasci: si nuptiæ bonum sunt, nihil ex eis nascitur mali: si in baptismate peccata omnia remittuntur, non possunt nati de renatis trahere originale peccatum: si justus est Deus, non potest in Filiis Parentum damnare peccata; quum ipsis Parentibus dimittantur & propria: si perfectæ justitiæ capax est humana natura, habere non potest vitia naturalia „. *Ad hæc nos dicimus, & Deum esse hominum Creatorem, & bonum esse nuptias, & per baptisma Christi omnia peccata dimitti, & justum esse Deum, & perfectæ justitiæ capacem esse humanam naturam: & tamen, quum hæc omnia vera sint, obnoxios nasci homines origini vitiatæ, quæ trahitur ex homine primo, & ideo ire in damnationem, nisi renascantur in Christo. Hoc autem probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum, qui & hoc asserunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinque esse vera omnia confitentur; ac per hoc non est consequens, ut hoc falsum sit, quia vera sunt illa. Tales quippe, ac tanti viri secundum Catholicam fidem, quæ antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera esse confirmant, ut vestra fragilis, & quasi argutula novitas sola authoritate conteratur illorum. Præterquam quod ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur.*

Theodoretus anno 390. in lucem editus, & anno 420. Cyri Episcopus ordinatus, in trium Dialogorum primo, ubi orthodoxus, & Eranistes Hæreticus Eutychianus inter se disputantes, uti dicemus, ab eo ponuntur, Divinam Christi naturam in Humanam non fuisse mutatam ex Scriptura Sacra, exque Traditionibus Ecclesiasticis probat: quod quidem Patrum, qui primis quinque sæculis extiterunt, traditione confirmat; sed antequam hacce ipsum comprobet; illa Evangelii Sancti Joannis, *Verbum caro factum est*, in medium adducit, & simul ex antiquorum Patrum, qui quarto sæculo, vel quinti initiis floruerant, interpretatione illud certissimum Fidei dogma uberius ostendit; ab istisque illius probationem exorditur; dum Eranistes illam eorumdem veterum enodationem sic postulat: (b) *Scire velim, quomodo antiqui Ecclesiæ Doctores* Verbum Caro factum est *intellexerint*. Orthod. *Videturne tibi Fide dignus celeberrimus ille Athanasius clarissimum lumen Ecclesiæ Alexandrinæ?* Eran. *Omnino, ut qui veritatis doctrinam ærumnis, quas passus est, confirmavit*. Orthod. *Audi ergo ipsum scribentem ad Epictetum:* id, quod a Joanne dicitur, *Verbum Caro factum est*, hanc habet sententiam; quatenus ex simili exemplo

(a) *Ib. lib.* 2. *cap.* IX. *num.* 31. *pag.* 545. *&* *seq.*

(b) *Theodor. Dial.* I. *pag.* 29. *&* *seq. Tom.* IV. *nov. Paris. Edit. P. Garnerii.*

emplo elici possit; Pauli enim verba sunt; *factus est pro nobis maledictum:* Quemadmodum non quod ipse maledictum factum sit; sed quod pro nobis maledictum suscepit, factus dicitur maledictum: ita non quod conversus sit in carnem, sed quod pro nobis carnem assumpsit, dicitur factus Caro. *Hæc quidem divinissimus Athanasius. Gregorius vero, cujus apud omnes illustre nomen est, qui olim regiam urbem in Bosphori ostro sitam rexit, & postea Nazianzum incoluit, contra Apollinaris præstigias sic ad* Cledonium *scripsit ..*, hoc igitur, *Verbum Caro factum est*, Simile videtur illi, quod & peccatum factus esse dicitur, & maledictum: non quod Dominus in hæc mutatus sit, (qui enim id fieri posset?) Sed quia per id, quod hæc suscepit, iniquitates nostras sustulit ... Eran. *Audio Ambrosium, qui Mediolani Episcopatus sedem ornavit, & contra omnes hæreses præclare decertasse, & pulcherrimæ Apostolorum doctrinæ congruentia scripsisse*. Orthod. *ejus tibi interpretationem proferam, hæc autem dicit in libro de Fide:* miraris, quia scriptum est, *Verbum Caro factum est;* quum caro assumpta sit a Deo Verbo; quando & de peccato, quod non habuit, scriptum est, quia *peccatum factus est*, hoc est, non peccati natura, & operatio effectus est, sed ut peccatum nostrum in carne crucifigeret. Desinant ergo dicere, Verbi naturam mutatam esse, quod caro assumpta sit. Alius est enim, qui assumpsit, & aliud, quod assumptum est. *Post hos convenit Doctores Orientales audire ... Flavianum; qui Antiochenæ Ecclesiæ clavum longissimo tempore sapienter tenuit, Arianæque tempestatis victrices fecit Ecclesias, quas gubernavit, Evangelium dictum explicantem:* Verbum, *inquit*, Caro factum est, & habitavit in nobis; non in carnem mutatum est, neque Deus esse desiit ... *Joannem vero magnum orbis lumen, qui primum quidem Antiochenam magna cum laude irrigavit Ecclesiam; deinde regiam urbem sapienter coluit, an non putas Apostolicæ Fidei regulam tenuisse? hic igitur longe præstantissimus Evangelicum hunc locum interpretatus est. Sic enim loquitur;* quare quando audis, *Verbum Caro factum est*, non turberis .. Non enim substantia in Carnem mutata est; hoc enim extremæ impietatis est: sed id, quod erat, manens, servi formam accepit ... *quod si tibi cordi est etiam Severianum Gabalorum audire Pastorem; ejus quoque interpretationem tibi proponam. Tu autem adhibe:* Si .. *factum est*, de mutatione intelligis, si audieris Paulum dicentem, *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, an de natura, & in maledictum mutatione accipies? Sicut ergo factus est maledictum nihil aliud significat, quam quod maledictum nostrum in se susceperit, sic etiam *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*, nihil aliud, quam carnis assumptionem significat. Eran. *Admiror virorum istorum concordiam, & consensionem. Omnes enim dicta evangelica sic interpretati sunt, ac si unum in locum convenientes, opinionem suam simul una conscripserint.*

Denique Concilium Chalcedonense æcumenicum anno 451. celebratum ea, quæ proposuimus, de quarti sæculi Doctoribus, adversus Eutychianos significavit: qui cum celebratas duas Christi naturas unam naturam post Verbi unionem factas esse,

esse, ac S. Leonis magni R. Pontificis ad Flavianum Præsulem Constantinopolitanum Epistolam, quæ eorum errorem perfregerat, Nicænorum Patrum, cæterorumque sententiis haud conformem, effutirent: eadem Synodus allocutione ad Marcianum Imperatorem veterum testimonia protulit; a quarti sæculi Patribus initium fecit; hisque errantes illorum Commentationes subruit, isto modo Marcianum allocuta: (a) *Quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant, novum quoddam sibimet iter mendacii construentes; necesse nobis est, veritatis eos inventione convertere, commenta quoque eorum refutare, non novum ad pietatem (quasi Fidei desit) semper aliquid exquirentes; sed ut contra ea, quæ ab illis innovata sunt, excogitantes quæ salubria judicantur. Et ut Mansuetudini vestræ quod dicimus, evidenter appareat, ab ipsis Fidei sermonibus inchoamus, Sanctorum Patrum, qualiter quisque de iis senserit, decreta subdentes. Dicit Fides:* Credo in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, consubstantialem Patri ... incarnatus est .. ex Virgine; homo (b) factus est .., *Ostendit, quomodo perfectus Deus, & perfectus homo Unigenitus apparuerit, quomodo consubstantialis Patri secundum Divinitatem, & consubstantialis idem ipse Matri secundum humanitatem: quomodo idem impassibilis, ut Deus, & ut homo passibilis sit, & probatur. His inimicum Patres nostri prostravere sermonibus. Hanc ipsam Symbolo defensionem contra eos, qui calumniam tentaverunt struere, protulerunt ... sic magnus ille Basilius Minister gratiæ subsistentiarum evidentiam in Epistola mire declaravit, & Sancti Spiritus doctrinam diligenter tradidit .. sic quoque Damasus Romanæ Urbis decus ad justitiam litteris ad Paulinum datis Dispensationis Sacramentum patefecit ... ita & qui postmodum ubique adversus varias hæreticorum congregati sunt novitates, commune de Fide decretum unanimiter ediderunt ... alias autem doceantur indociles, quia & nunc licet, ut, ambiguitate quæstionis exorta, Patrum interpretationibus nostram confessionem coaptemus, satisfacientes, quod in nullo discordem intelligentiæ eorum detulerimus animum: sed his utamur Testibus ad nostræ Fidei firmitatem: sic Athanasii ad Epictetum amplectimur litteras; sic tanquam propriam Gregorii ad Cledonium Epistolam ubique proferimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim per Epistolas Ecclesiæ dogmata declarari pro unaquaque quæstione dignum culpa judicant, ipsum imprimis Beatissimum Cyrillum quilibet potuerit denotare, qui litteris suis quod sentiebat, Orientalibus expressit; necnon & magnum Proclum huic vituperationi subjiciet, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenos pro Fidei congruentia destinavit. His autem consociabitur ad culpam sapientissimus Joannes Antiochenus Episcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans, totius Orientis confessionem velut ex uno ore Sanctissimo Proclo, & ei, qui per idem tempus mundi regebat gubernacula destinavit. Non igitur nobis admirandi* Roma-

(a) *Concil. Chalced. allocut. ad Marc. Imperat. act. XVI. pag. 1759. tom. IV. nov. Labb. ven. edit.*

(b) *Aliter legitur*, inhumanatus est.

Romanæ urbis Præsulis Epistolam velut innovationis offendiculum criminentur : sed si non est Divinis Scripturis coaptata, redarguant ; si non τοῖς προλαβοῦσι πατράσι *antecessorum Patrum sententiis adunata, si non impiorum accusationem continet ; si non defensionem doctrinæ fidei profert ; si non eorum, qui novitates appetunt, commenta subruit. Si quis enim Patrum depravat intelligentiam, hic pœnæ transgressionis habetur obnoxius ; non qui transgressionem sua cura redarguit ... atque ut nulla his, qui Apostolicum virum per invidiam lacerare nituntur, relinquatur occasio, consonantia Epistolæ ejus Sanctorum Patrum testimonia ad certiorem notitiam vestræ pietatis ex multis pauca subdidimus : Sancti Basilii ex his, quæ contra Eunomium scripsit ... Beati Ambrosii ex his, quæ scripsit ad Gratianum Imperatorem ... Beati Gregorii Theologi ex Epistola ad Cledonium ... Sancti Athanasii ex his, quæ scripsit adversus hæreses ... Amphilochii Episcopi Iconii de explanatione Evangelii secundum Joannem ... Antiochi Episcopi Ptolemaidis ... Beati Flaviani Episcopi Antiocheni in Theophania ... Beati Joannis Episcopi Constantinopolitani de explanatione Evangelii secundum Jonnem ... Beati Attici Constantinopolitani Episcopi ex Epistola ad Eupsychium ... Beati Procli ex sermone, Puer natus nobis .. B. Cyrilli ex Epistola ad Nestorium.*

§. II.

Assertio firmatur.

Ex hisce perspicuis testimoniis ad summam relatis theologicum conficitur argumentum, quo adversus recensitos Heterodoxos ostenditur, omnes primorum quatuor Ecclesiæ sæculorum Patres esse veteres testes fide dignos, ac non antiquitate solum, sed etiam Catholica doctrina ab Apostolis deducta præstantes ; ex quibus orthodoxorum dogmatum probationes sufficientes, efficaces, aptæque sumuntur. Nam Irenæus Valentinianos Clementis I. & Polycarpi sententiis ideo revicit ; quod prior *accepta ab Apostolis traditione*, & *Epistola* illis Hæreticis *vetustiore* unum Deum inter alia nunciante Corinthiorum *fidem reparans*, ac sic fidem merens, eos impostores plane exturbarit : quodque alter *ab Apostolis edoctus*, atque adeo eadem vetustate, ac doctrina præclarus, *fidelior veritatis testis*, ac propterea fide dignior fuerit, *quam Valentinus*. Deinceps Basilius in adducta Pneumatomachorum deliramenta *producit* numeratos *veteres* trium priorum sæculorum *testes* & ob *antiquitatem Fide dignos*, & *accurata* Apostolicæ *traditionis ab initio præscriptæ*, ipsisque Hæterodoxis contrariæ *scientia ornatos* ; ex quorum ut *veterum*, & ita aliorum omnium istos characteres habentium scriptis *vetusta Ecclesiarum dogmata* tam satis, tamque valide evincuntur, ut & *evidenter ostendantur*, & ab iis ipsa demonstratio exordium ducat, & in memorato tertii, ac quarti sæculi scriptore innitatur. Tum Augustinus relatæ Pelagianorum hæresi objicit & Irenæum secundi, ac tertii sæculi *antiquum hominem*, qui *non longe ab Apostolorum temporibus fuit :* & Cyprianum tertio sæculo insignem : & plures quarti sæculi *Doctores*, *Catholicæque Fidei Defensores antiquos :* & istos omnes tali fide dignos, ut *se per eos*

loqui

loqui veritas ipsa testetur. Ex ipsis ergo eadem *Fides* eo pacto monstratur; ut a trium priorum sæculorum aliquo, veluti ab Irenæo, veluti a Cypriano, incipiat probatio, & quarti sæculi Patribus compleatur: ut sic ad Catholica dogmata ostendenda sufficiens sit & efficax, *veritate per eos loquente:* tandem ut etiam a quarti sæculi *Doctoribus* ea incipere possit, sitque recta in errorum *novitatibus* confutandis: quippe quæ *novitiæ præsumptiones* eorumdem quarti ævi veterum *Catholica antiquitate subvertuntur*.

Hinc Theodoretus a quarti sæcuculi Patribus uti *antiquis Ecclesiæ Doctoribus*, *fide dignis*, *Apostolicæ doctrinæ regulam tenentibus*, illiusque *veritatem confirmantibus*, argumenti sui initia facit; ac nonnullis quinto sæculo claris illud absolvit: quo non absone, sed legitime utitur; quia eo Eutychianos ita premit, illam ut *consensionem*, qua adlatum Evangelii locum iidem enodant, quisque *admiretur*, & amplectatur.

Adhæc Chalcedonense Concilium Patres quarto sæculo, vel quinti initiis florentes, qui ab ipso προλαβόντες *antecessores majores*, aut *veteres* appellantur, ad prænarratum dogma contra Eutychianos vincendum adscivit. Non igitur absurda, nec præpostera, sed firma & apta ea est argumentatio; cujus contrarium Dallæus errore struit adversus Synodum illam Œcumenicam; utpote quæ asseruerit, eorumdem *Testium ad Fidei firmitatem* edocendam adhibitorum *interpretationibus Ecclesiæ dogmata declarantibus* errantia illorum Hæreticorum Commenta *refutari*, ipsisque enodationibus *nostram confessionem aptari debere*.

Accedit his ista ratio, quod sæculi quarti Patres fuerint & pene suppares illis, qui in primo, vel secundo sæculo vixerunt: & suppares nedum tertii sæculi Scriptoribus, sed etiam iis, qui in secundo, ac tertio floruerunt, Apostolicique vocantur, quippe Apostolorum temporibus citimi. Sicut ergo ex istis ut pervetustis, & Apostolica doctrina instructis; ita ex illis quarti ævi Patribus ut ad eorum vetustatem proxime accedentibus, fidemque merentibus, orthodoxorum dogmatum probatio recte desumitur, ac vel ab istis, vel ab illis incipi potest.

Itaque Ecclesiasticæ veterum authoritati, ac rationi prædicti Hæretici adversantur; ideoque erroribus ducuntur; illisque argumentis eorum objecta enervantur.

§. III.

Varia Dallæi Oppositio eliminatur.

NEminem sapientum ignorare arbitror, eum Dallæo usum identidem fuisse; ut præcipue in libris suis de usu Patrum multa, & diversa, quæ varias disceptationes attingunt, quæque argumenti ab eo propositi unitatem non servant, simul obtenderet: unde illorum congeriem, quam pluribus in locis opponit, a multis eorum confutationibus commode secernemus; ac Præfationis ejus quæsitum Capiti I. connexum ex ordine, qui rerum connexionem exigit, proferemus primo, ac deinde agitabimus.

Dallæus igitur quo Catholicorum dogmatum, præsertim eorum, quæ contra hæreticos Protestantes defenduntur, probationem, quæ ex laudatorum veterum scriptis elicitur, uni-

universim petat; in Præfationis fine quærit : „ an quæ de controversiis „ istis Sanctorum Patrum sententia „ fuerit, hodie certo, & perspicue „ constare possit ... quod si contra.. „ non constat; nemo, mea quidem „ sententia, erit vel tantillo judicio „ præditus, qui non statim intelligat, hanc disputandi rationem, „ qua Romana Ecclesia hactenus usa „ est, vanam esse, atque inefficacem; adeoque istis alio confugiendum esse, firmioraque & aptiora argumenta conquirendo, si „ id, quod cupiunt, conficere velint, nempe vera esse, quæ nunc „ Protestantes vel negant, vel dubium vocant „. Cui interrogationi, & hypothesi in titulo Capitis I. hoc absolutum responsum, falsamque rationem adnectit, (a) „ ægre „ constare posse, quid circa nostras „ de religione controversias senserint Patres, cum pauca extent ab „ iis scripta, tribus præsertim antiquissimis sæculis. „

Illud vero his diversis argumentis protendit: (b) „ Dico, non facile „ videri, ex scriptis Patrum certo „ exculpere, quid ii senserint de omnibus capitibus, quæ hodie Protestantes inter & Pontificios controvertuntur. Multa sunt, quæ „ hanc cognitionem difficilem, ac „ impeditam reddunt. Nos priori „ disputationis parte horum quædam afferemus, quæ singulari quadam observatione digna videntur. „ Prima ergo hæc est ratio, quod „ pauca sint veterum Doctorum „ scripta, præsertim eorum, qui primo, vel secundo, vel tertio sæculo floruerunt; quorum tamen „ potius, quam inferiorum rationem haberi decebat. Quum enim „ inter causas, propter quas Ecclesia Romana Patrum scripta allegat, hæc fere ordinem ducat, ut „ scilicet ex antiquitate, quam veræ fidei notam censet, doceat, „ quam vera sint ea, quæ se credere profitetur, planum est, antiquiorum potissimam esse debere „ rationem. Sane longe probabilius „ est, religionem Christianam in „ suis primordiis puram, & sinceram fuisse, quam iis temporibus, „ quæ postea consecuta sunt; quum „ ut plurimum res, prout a sua origine recedunt, sic etiam in dies „ in pejus ruant, & retro sublapsæ „ ferantur; ut videre est in rerumpubl. legibus, disciplinis, & linguis, quarum nativus decor minuitur, ex quo fastigium roboris „ sui, & veluti virium suarum florem semel prætergressæ sunt. Neminem autem fidelem inficiaturum puto, vigorem istum, & florem Christianismi maxime excelluisse superstitibus Sanctis Domini Apostolis; quum sine summa „ eorum injuria dici nequeat, quemquam eorum, qui ipsis in regenda Ecclesia successerunt, vel voluisse, vel potuisse aliquid, quod „ illos fugerit, ad eam perficiendam „ adjicere. Sequitur ergo, tempora, quæ ad ipsorum ætatem proxime accedunt, a suspicione corruptelarum, sive in doctrina, sive in moribus, sive in Christianorum disciplina, remotissima esse debere, quum credibile sit, „ corruptelas istas, si quæ acciderunt, sensim, & paulatim irrepsisse,

(a) *Dal. lib. 2. de usu Pat. cap. 1. pag. 2.*

(b) *Ibid. pag. 2.*

„ se, quod usuvenire solet in rebus „ ejusmodi. Si quis vero objiciat, „ sæculum ipsum, quod proxime „ ætatem Apostolorum consecutum „ est, non debere ab ista suspicio- „ ne immune esse, quum Hegesip- „ pus apud Eusebium (*a*) testetur, „ Ecclesiam Virginem intactam, & „ incorruptam usque ad Trajani „ tempora permansisse, sed e me- „ dio sublatis Apostolis, conspira- „ tionem erroris retecto Capite in „ apertum sese producere incœpisse: „ equidem non repugnabo; sed hoc „ tantum dicam, si statim post isto- „ rum Ecclesiæ syderum occasum, „ quum eorum lux, & præsentia vix „ dum subducta esset, ausus est ini- „ micus homo nonnihil Zizaniorum „ inter frumenta spargere: non es- „ se dubitandum, quin longe ma- „ jora, pejoraque molitus sit sæcu- „ lis post secutis; quum summorum „ istorum Doctorum cum sanctita- „ te tum simplicitate paulatim ex „ hominum memoria evanescente, „ curiositas, luxuriantiumque inge- „ niorum variæ artes in eorum lo- „ cum invaserunt. Unde restat præ- „ terea colligendum, antiquissima „ ista Christianissimi sæcula si ab „ omni prorsus depravatione in do- „ ctrina non vacarunt, saltem lon- „ ge incorruptiora fuisse, quam se- „ quentia, ac proinde illa nulla non „ ratione his anteponenda, ut Chri- „ stianorum temporum non alia fe- „ re sit ratio, quam quatuor illo- „ rum sæculorum, quæ finxerunt „ Poetæ; inter quæ sequens semper „ superiore deterius est. (*b*) Quod „ enim nonnulli censent, ad veram „ veteris Ecclesiæ de religione sen- „ tentiam pernoscendam eorum ma- „ xime evolvenda esse scripta, qui „ a magno Constantino usque ad „ Leonem Papam, immo usque ad „ Gregorium vixerunt, (id est, a „ tertio sæculo exeunte usque ad se- „ ptimi initia), id, inquam ipsum „ ostendit quidem, quam isti pau- „ ca agnoscunt nobis superesse scri- „ pta trium illorum sæculorum, „ quæ Constantinum antecesserunt; „ haudquaquam vero probat, trium „ posteriorum, quam trium Supe- „ riorum potiorem apud nos esse „ debere auctoritatem. Quod si no- „ bis horum non pauciora, quam „ illorum, testimonia, ac documen- „ ta superessent, ne ipsos quidem „ negaturos puto, quin recentiori- „ bus antiquiora anteponenda essent. „ Sin aliter sentiunt, sibique fin- „ gunt Ecclesiam, quæ Constanti- „ ni tempora subsecuta est, incor- „ ruptiorem fuisse, quam illam, „ quæ ipsum antecessit: ferent „ me, si dicam, hoc ipso eos te- „ stari, se causæ suæ diffidere, „ dum eam a priorum temporum „ luce summotam rejiciunt in sæ- „ cula, in quibus minus virium, „ minusque splendoris habuisse eam, „ quam in superioribus, clarum „ est. Plane præter Cypriani (*c*) „ mentem, qui præclare docet, „ pergendum esse ad fontem, quum „ doctrinæ, & traditionis Eccle- „ siasticæ canalis vitio interruptus, „ aut bibulus factus est. Sed quic- „ quid isti, senserint, certe ex eo- „ rum dictis mihi videtur Prote- „ stantium causa non minimum ju- „ vari; nam illi, dum sic agunt, „ satis hoc ipso fatentur, quæ a Pro- „ testan-

(a) *Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 26.*
(b) *Cassand. Consult. ad Ferd. Petronius Epist. ad Casaub.* 11.
(c) *S. Cypr. ep.* 74.

„ testantibus negantur Romanæ Ecclesiæ dogmata, ea nusquam in „ scriptis trium vetustissimorum sæculorum clare tradita haberi; quæ si „ in iis extarent, eorum profecto probatio absurde, ac præpostere in „ tria subsequentia sæcula rejiceretur, quibus multo minus, quam „ antiquioribus tribuere Romanorum adversarios, satis, superque „ notum est. Sed præterquam quod „ isti id nobis ultro dant, res ipsa „ docet, ad dirimendas controversias nostras paucula e tribus primis Christianismi sæculis superesse scripta. Videntur enim plerique „ illorum temporum fideles satis habuisse fidem suam fulgore vitæ inculpatæ, & sanguine, quem pro „ Christo constantissime effundebant „ in hominum cordibus inscribere; „ de libris vero scribendis parum laborasse: seu id placeret, quod eleganter docet Origenes, (*a*) christianismum vitæ innocentia, morumque honestate potius, quam „ pigmentis oratoriis propagari, & „ retineri debere; sive per continuas, „ quibus affligtabantur, calamitates, ipsis non licere ad id animum „ appellere; seu quapiam alia de causa a scribendo deterrerentur, vel „ avocarentur. Utcumque sit, certum est, exceptis Apostolorum sacris voluminibus, perpaucos primis istis temporibus libris conscribendis operam dedisse: unde „ illa Eusebii initio historiæ sollicitudo, quod exigua, immo nulla lux aliunde affulgeret, quam „ sequeretur, nullaque vestigia occurrerent, quæ premeret; (*b*) „ quum *nullis superiorum trita esset* „ *ea via*, *quam capessebat*. Sed neque ea ipsa, quæ tum edidere „ Christiani, tametsi pauca, ad nos „ omnia pervenere. Pars major intercidit, vel temporis, quod omnia absumit, injuria; vel hominum in abolendis, quæ ad palatum non sapiebant, audacium „ fraude, ut exempli causa Papiæ „ Episcopi Hiecapolitani quinque „ libri, Quadrati Atheniensis, & Aristidis Apologiæ, Castoris Agrippæ opus contra Basilidis hæretici „ libros viginti quatuor, Hegesippi „ quinque libri, Melitonis Sardendis Episcopi, Dionysii Corinthii, „ Apollinaris Hierapolitani, Pinyti „ item Cretensis epistola, Philippi, Musani, Modesti, Bardesanis, Pantæni, Rhodonis, Miltiadis, Apollonii, Serapinnis, Bacchyli, Polycratis Episcopi ephesini, Heraclii, Maximi, Hammonii, Tryphonis, Hyppolithi, Julii Africani, Dionysii Alexandrini, & aliorum monumenta; quorum nuda nobis nomina & tituli „ apud Eusebium, & Hieronymum, „ & alios supersunt. Etsi autem fieri potuerit, ut bona veterum istorum monumentorum pars, sola „ vel temporum injuria, vel hominum negligentia intercideri; non „ est tamen dubitandum, quædam „ etiam eorum dolo, ac fraude abolita esse, qui extare nolebant suæ „ a primo Christianismo diversitatis argumenta. Nisi enim aliquod „ hominum studium in istis supprimendis fuisset adhibitum; nulla „ appareret ratio, cur sanctissimorum, atque antiquissimorum virorum labores potius intercidere

D 2 „ passi

(a) *Orig. præfat. operis cont. Cels.*

(b) *Euseb. Hist. Eccl. lib. 1. cap. 1.*

„ passi sint Christiani, quam alia „ non pauca authorum multo deteriorum, verbi gratia, cur quæso Tertulliani, gravi ob montanismum invidia laborantis, opera plurima perennarunt, quam Apollonii viri inter Catholicos laudatissimi nihil ad nos pervenit? Ac illius quidem (quod mireris) liber de jejuniis, proprie adversus catholicos scriptus (quos ille Psychicos falso, & contumeliose vocat) mansit; tamen hujus contra montanistas pro catholicis disputatio periit. Quæ ista fuit tam præpostera Christianorum hominum vel in hostem charitas, vel in civem negligentia, ut illum servatum vellent, hunc interire paterentur. Nulla rei tam incredibilis ratio occurrit probabilior, quam quod vel receptis postmodum apud Christianos jejuniorum legibus, xerophagiarumque disciplinis, quas veteres in Montani partibus damnaverant, posteri Apollonium veterum defensorem perire non inviti passi sint; Tertullianum ob ejus cum suis conformitatem suum fuisse putantes, foverint. Sane tanta est Tertullianeæ doctrinæ cum hodierna Romana conformitas, ut ejus pro Montano adversus Psychicos disputationem non ignobiles apud Romanos Theologi, (*a*) Peresius, & Turrianus (*b*) pro catholicis suis contra hæreticos institutam esse censuerint. Eandem causam Hegesippo, Papiæ, & aliis perniciem vel attulisse, vel certe maturasse crediderim, ne, si servarentur, eorum simplicitas, & aliena a sæculorum insecutorum moribus fides, ac disciplina, recentiorum inventis fraudem faceret. (*c*) Utcumque sit, illud quidem constat, pauca superesse ex illis sæculis certa & indubitata (*d*). In hoc censu sunt tractatus quidam Justini Philosophi (*e*), & Martyris, qui anno post Christum natum centesimo, & quinquagesimo alteram suam Apologiam scribebat; Irenæi, qui Justinum proxime secutus est, quinque libri; Clementis item Presbyteri Alexandrini, qui exeunte secundo sæculo vivebat, tres eximiæ, & eruditæ lucubrationes: varia quoque Tertulliani, qui sub idem tempus florebat, opera: epistolæ, & disputationes Cypriani, qui Carthagine Episcopus fuit, ubi & martyrium fecit A. D. 258. scripta Arnobii, & Lactantii ejus Discipuli, & paucorum aliorum. Nam quantum attinet ad Cypriani æqualem Origenem, ex quo uno, si salvus perdurasset, plus lucis nobis accederet, quam ex reliquis aliis, & a quo forsan potius, quam a cæteris omnibus haberemus, in quo acquiesceremus, paucula sunt, & in maximam partem fœde lacera, & immutata, quæ sub illius nomine feruntur. Magni enim, & mirandi istius viri monumenta neque temporum, neque hominum injuriam superare potuerunt. Atque haud scio, annon horum invidia gravius eum afflixerit, quam ipsa tot sæculorum vetustas, quæ ab ipsius morte ad nos fluxerunt. Hæc

„ fere

(a) *Part. 1. de Tradit. de jejunio. 21.*
(b) *Lib. 1. pro Ep. cap. 3.*
(c) *Hier. Lib. de Script. Eccl.*
(d) *Euseb. in hist. passim. 21.*
(e) *Tertull. aliquorum meminit. 21.*

„ fere ſunt, quæ e tribus prioribus „ Chriſtianiſmi ſæculis ad nos certa, & indubitata pervenerunt. „ Cætera enim ſcripta, quæ iiſdem „ temporibus tribuuntur, partim ab „ ipſis etiam Pontificiis notha, & „ fictitia eſſe agnoſcuntur, partim „ ab ipſorum adverſariis tam probabilibus, immo adeo firmis argumentis rejecta ſunt, ut ea inter teſtimonia, & authoritates, „ quibus opus habemus ad lucem „ inferendam controverſiis noſtris, „ locum habere nullum poſſunt.

„ Scripta quarti, & quinti ſæculi fuerunt, fateor, & longe majori numero, quam ſuperiora; & „ in eo etiam fæliciora, quod ad „ nos uſque pervenerunt; ſed longe „ abſunt a priorum authoritate, „ maxime apud Proteſtantes, qui admodum probabiliter cenſent Chriſtianiſmum labem paulatim contraxiſſe, & ſingulis ſæculis de priſtina, & nativa ſua Puritate aliquid amiſiſſe. Adde, quod metuendum videtur, ne tanta iſta „ librorum duobus illis ſæculis editorum multitudo non minus negotii nobis faceſſat, quam ante „ in mora fuit eorum exiguus numerus; & ne, qui antea inopia laborabamus, nunc copia obruamur. „ Aliquando enim vera hominum „ ſententia non minus verborum, „ & voluminum copia, quam ſilentio ipſo obruitur, dum mens „ noſtra his impedita, quæ ſit vera, & communis ſententia inter „ tot verborum ambages; his hoc „ modo, illis alio rem ipſam offerentibus, capere ſatagit. Certum „ quippe eſt, in tanta & pene infinita ingeniorum, & linguarum „ varietate raro occurrere poſſe duos, „ qui præſertim in rebus difficilibus, atque abſtruſis, quales ſunt, „ quæ ad religionem ſpectant, eandem rem eadem ratione, iiſdem „ imaginibus, quantuſcumque eorum ſit in re ipſa conſenſus, concipiant. Quantumvis autem hæc „ varietas in ſolis rei circumſtantiis „ verſetur, non poteſt tamen res „ ipſa non ea videri affici. „

Hæccine digna videntur ſingulari obſervatione, quæ rationi falſæ innituntur, ac penitus corruunt? Siquidem ea interrogatione facta cenſor primum falſo ſumit, Patrum ſententiam de iis Fidei capitibus, quæ contra Hæreticos Proteſtantes Eccleſia Romana, & catholica firme tuetur, ex veris illorum operibus non conſtare: perinde ac ſi in iſtis illa liquido haud inſit; quod falſitate non vacare vel eruditi, vel aliquo judicio præditi agnoſcunt: quoniam reapſe in veterum monumentis, uti etiam videbimus, teſtimonia, quibus ea Fidei capita probantur, extant, atque relucent quo diſputandi, ac defendendi ratio, qua hactenus eadem Eccleſia in iiſdem, & conſimilibus cauſis uſa eſt, quacumque (a) ſuppoſitione, quocumque infirmo Proteſtantium ratiocinio, quocumque erranti eorum dubio validior certiſſime habetur; ac propterea inepte vana, & temere inefficax dicitur, quia in certis, planiſque Patrum ſententiis fundatur. Unde nec

(a) Non reprobo legitimas enuntiationes conditionales ex abſoluto rei ſtatu præciſas; ſed eam Dallæi ſuppoſitionem; quas vult, quod Theologi vana ratione ex trium priorum ſæculorum Patribus evincant plura Catholica dogmata; quæ non conſtare ex eorum paucis voluminibus, aut in iis reapſe haud exſtare, ab illo falſe ſupponitur.

nec aliud imbecillius argumentum quæri debet; præsertim quum ratio, qua Dallæus quæstioni illi, ac suppositioni respondet, falsissima sit. Ea namque asserit, ægre constare, sive facile non videri, ex scriptis Patrum certo exculpere ipsorum sensa de ipsis fidei capitibus; *quum pauca* eorum, qui primo, vel secundo, vel tertio sæculo fulsere, integra scripta supersint: quasi in hisce propter eorumdem exiguum numerum plura illa sensa de catholicis dogmatibus neutiquam extent; quod falsitatis omnino convincitur. Nonne enim Divinæ Veteris, ac Novi Testamenti Scripturæ sunt paucæ? quis est, qui hoc nesciat? uno namque volumine comprehenduntur. Et tamen ex ipsis plura dogmata contra Judæos, contraque Hæreticos S. Justinus martyr, S. Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, ac S. Cyprianus, qui pauci illorum ævorum scriptores ab opponente perhibentur, facili enodatione, facili defensione, facilique argumento, quæ plus uno volumine continentur, certo eruerunt; idque vel quarti sæculi veteres, aliique recentes auctores multis operibus factitarunt: immo vero Dallæus in suæ Præfationis principio multa Fidei capita describit, quæ „ in Scri„ pturis docentur, a veteribus Con„ ciliis, & Doctoribus probantur, „ & .... ab omnibus, qui usquam „ fuerunt, Christianis, toto orbe, „ recipiuntur „. Illa igitur hujusce censoris ratio, qua eorum Patrum sententias de illis aliis pluribus Fidei capitibus ob illorum voluminum paucitatem ægre constare affirmatur, allata Scripturarum sacrarum similitudine concidit, & falsa evidenter apparet. Atque hoc *omnes* intelligunt, pernoscentes, enuntiatum priori in capite præfixum, eique quæstioni, & falsæ suppositioni deinceps alligatum, ea ratione utpote falsa nequaquam probari; & idcirco Censoris argutationem inefficacem, atque irritam haberi; illamque adeo disputandi rationem, qua Romanæ communionis Theologi utuntur, quolibet humano invento firmiorem esse & aptiorem: quandoquidem sicuti plura dogmata in paucis litteris Divinis, ita plura Patrum sensa de Fidei capitibus traditionem spectantibus, quæ adversus Protestantes defenduntur, in paucis illorum scriptis existunt, atque eorumdem dogmatum veritatem, quum juxta S. Augustinum *per eos* Patres *veritas ipsa loquatur*, commonstrant: quæ dogmata proinde ipsi Protestantes errore & inficiantur, & in dubium vocant. Non igitur invalidæ suppositiones effici, non commenta excogitari, non alia argumenta infirmiora conquiri, sed ipsa Fidei capita in Patrum libris inspici debent & credi.

Præterea ex duabus Clementis I. & Polycarpi Epistolis Apostolicam traditionem, Dei unitatem, aliaque dogmata Irenæus, uti in adlegato ejus libri capite legere est, indubitate, ac facillime elicuit. Ac Basilius Magnus ex paucis trium priorum sæculorum scriptoribus *vetusta Ecclesiarum dogmata evidenter*, & ita prompte, ac certo *ostendi* prædocuit. Denique Augustinus ex duorum Irenæi, & Cypriani, scriptis Testimonia in Pelagianos expeditius, & certissime exculpsit. Ergo ex paucis eorum veterum voluminibus authoritates, quibus contra illos Hæreticos Ecclesiæ Catholicæ dogmata proculdubio evincantur, procliviter extrahi

hi queunt. Sane eidem Augustino *pauca paucorum* Patrum, quæ Juliani Pelagiani criminationes eliminant, & Fidei dogma de originali peccato, ac cætera prænarrata comprobant, satis fuere: quæ tamen vel aliquanta, vel etiam multiplicata pro aliorum Fidei capitum propugnatione; ipsi Dallæo, cui veritas cordi non est, nequaquam sufficiunt.

Itaque non sola librorum paucitas, sed plura, quæ in iis extant, cernenda sunt, ac pensitanda; quod cuique exemplis hactenus adductis constat. Atqui trium primorum ævorum Patres in paucis suis scriptis multa dogmata posuerunt, quibus Pontificii Theologi nedum antiquorum Hæreticorum, verum etiam recentium Protestantium hæreses refutant, sicuti in editis eorum operibus cernitur. Ex iis igitur, quæ in illis Patrum scriptis reapse inveniuntur, profecto deducitur, ipsorum paucitatem non obstare, quominus ex iisdem certo exculpantur Patrum sensa de Fidei capitibus, præsertim quæ adversus eos nuperos Heterodoxos a Catholicis adhibentur; qui sæpe capiunt demonstrationis principium ab uno, aut ab altero trium primorum sæculorum scriptore; eamque perficiunt quarti sæculi Patrum sententiis.

Quid ergo attinet dicere, quod a Theologis illorum Patrum, qui primo, vel secundo, vel tertio sæculo floruerunt, rationem haberi *deerebat?* perinde ac si veteres illos orthodoxi eruditi contra Protestantium errata neutiquam adlegarent, quod procul est remotum a vero; quum Theologi trium priorum sæculorum Patres contra eosdem Heterodoxos, ut narravimus, laudent.

Nec vero solos illos Patres, sed quoque Ecclesiasticos sæculi quarti authores ad eadem vincenda dogmata, ad eosque Hæreticos refellendos adducunt: neque ab ipsis Theologis præcedentes Patres, & sequentes ordinatim adlegantibus illorum potius, quam istorum ratio, sed æquabiliter habetur, atque habenda est in ipsorum, aliorumque Divinorum dogmatum probatione, sive in catholicæ Fidei doctrina. Quia aliqui Scriptores, ac Patres sæculi quarti, antequam tertium sæculum laberetur, emicuere, ut Eusebius Cæsariensis Episcopus, ut plures Nicæni Patres, ut alii iis, qui vel primo, & secundo, vel secundo, & tertio ævo vixerant, aut suppares, aut coætanei; qui proinde æque, atque illi ea in recensendi sunt. Et quia Doctores quarto sæculo exorti quamvis Apostolicis Patribus, qui vel in secundo, ac tertio, vel in tertio, dumtaxat floruerant, non absolute, sed paulo ætate inferiores fuerint: nihilominus ipsorum pene æquales, ipsisve propiores, utpote sequenti sæculo clari, extiterunt. Unde quemadmodum primi, ac secundi sæculi Patribus tertii ævi Patres paulo quidem ætate minores fuerunt; verumtamen, uti & ex adlatis S. Basilii, ac S. Augustini authoritatibus colligitur, & inter omnes constat, æqua, non potissima, nec major illorum, quam horum ratio in illa probatione spectatur; quoniam hi illis ferme coævi extiterunt: sic, minori ætate haud officiente, compar, non potissima, nec potior Apostolicorum Patrum, quam Doctorum sæculo quarto natorum ratio in ea Catholica doctrina esse debet; propterea quod isti illis secundi, ac tertii sæculi Patribus suppares, atque iis, qui in tertio, & quarto ævo splendue-

durant, coævi fuere. Ob quam rem ipsi omnes, æquo *antiquorum*, veterumve nomine a relatis priscis Scriptoribus sunt exornati.

Id quoque eodem vetustatis argumento quod Censor obtrudit, firmatur. Siquidem antiquitas, quam veræ Fidei orthodoxæ notam esse Romanæ Ecclesiæ & Catholicæ Theologi credunt, ac probant, quaque simplicem definitorum Catholicorum dogmatum veritatem fideliter docent, est Apostolica: quæ vetustas & Ecclesiæ originem ab Apostolis acceptam, & doctrinam orthodoxam ab his derivatam præfefert. Ad quæ ostendenda afferimus unum eorum, quos afferri Dallæus requirit, antiquissimum Tertullianum secundo, ac tertio sæculo notum: qui, dum Catholicus esset, libro de præscriptionibus Hæreticorum prædocuit, quemlibet eorum errorem propter ejus novitatem admittendum non esse; ac ratiocinationes, quibus hoc vicit, non modo ad suorum temporum hæreses, verum etiam ad cunctas alias, quæ postea orirentur, profligandas valere: quarum ratiocinationum præcipua est isthæc: *Apostoli... (a) primum per Judæam contestata Fide in Jesum Christum, & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem Fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque Civitatem condiderunt, a quibus traducem Fidei, & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes prima, & Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem, dum est illis communicatio pacis, & appellatio Fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una Traditio. Hinc igitur dirigimus præscriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores quam Christus instituit, quia nec alius Patrem novit, nisi Filius, & cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hoc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Superest ergo, ut demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & hoc ipso, an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est testi-*

(a) *Tertul, lib. de præscript. Hæret. Cap.* xx. & xxi. *pag.* 208. & *seq.*

testimonium veritatis. Sed quoniam tam expedita probatio est, ut si statim proferatur, nihil jam sit retractandum, ac si prolata non sit a nobis, locum interim demus diversæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc præscriptionem movere se posse. Solent dicere, non omnia Apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursus convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse; in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis igitur integræ mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos Magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu; quibus obscura quæque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, Claves regni Cœlorum consecutum, & solvendi, & alligandi in Cœlis & in terris potestatem? Latuit & Joannem aliquid dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, & Moysen & Heliam, & insuper de Cœlo Patris vocem? .. ignoraverunt itaque & illi, quibus post resurrectionem quoque in itinere omnes scripturas edisserere dignatus est.. Dixerat plane aliquando: multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere: tamen adjiciens, quum venerit ille Spiritus veritatis; ipse vos deducet in omnem veritatem: ostendit, illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat; & utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensus Spiritus Sancti; quam Scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum spiritum possint agnoscere discentibus missum, sed nec Ecclesiam defendere, qui quando, & quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. Tanti est enim illis non habere probationes eorum, quæ defendunt, ne pariter admittantur traductiones eorum, quæ mentiuntur .... ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, (a) ex diversitate, & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus Auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis didicerunt, aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis Auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem Fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ .... (b) Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ: percurre Ecclesias Apostolicas apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident; apud quas ipsæ authenticæ Literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longe es a Mace-

(a) *Ibid. pag.* 213.

(b) *pag.* 215.

Macedonia, *habes Philippum*, *habes Thessalonicenses*. *Si potes in Asiam tendere*, *habes Ephesum*. *Si autem Italiæ adjaces*, *habes Romam : unde nobis quoque auctoritas præsto est*. *Ista quam fælix Ecclesia*, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*. *Ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur : ubi Paulus Joannis exitu coronatur ... Videamus quid didicerit*, *quid docuerit*, *cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit : Unum Deum novit Creatorem universitatis*, *& Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei Creatoris*, *& Carnis resurrectionem: Legem*, *& Prophetas cum Evangelicis*, *& Apostolicis litteris miscet*, *& inde potat fidem: eam aqua signat*, *Sancto Spiritu vestit*, *Eucharistia pascit ; martyrium exhortatur*, *& ita adversus hanc institutionem neminem recipit... Si hæc ita se habent*, *ut veritas nobis adjudicetur*, *quicumque in ea regula incedimus*, *quam Ecclesia ab Apostolis*, *Apostoli a Christo*, *Christus a Deo tradidit*, *constat ratio propositi nostri*.

Hæc est antiquitas Apostolica a Tertulliano, cujus uberrimæ argumentationes ad unum illud *propositum* tendunt, declarata : qua vetustate Ecclesia Romana se, ac cæteras orthodoxas Ecclesias in *S. Petro* Apostolo, utpote *ædificandæ Ecclesiæ Petra*, potissimum fundatas evincit; atque omnia Fidei decreta, præcipue ea, quæ contra Protestantes Hæreticos ab ipsa propugnantur, atque creduntur, verissima esse confirmat : quippe cui Ecclesiæ *Apostoli*, *Petrus*, & *Paulus totam doctrinam cum sanguine suo profuderint :* & ita Apostolica antiquitas veræ Fidei Catholicæ nota est; quæ Romanæ & orthodoxæ Ecclesiæ originem ab Apostolis, *totamque doctrinam* Catholicam ab ipsis haustam esse commonstrat.

Jam vero Tertullianus quamvis quarti sæculi Patres ætate antecesserit, tamen comparem sibi, ac reliquis istorum authoritatem in *Fidei doctrina* esse præsignificavit. Nam hi tertium Apostolicorum Patrum ævum secuti, ejusdem *fidei semina* ab *Ecclesiis Apostolicis*, quæ ab Apostolis fundatæ fuerant, exceperunt: ac propterea non minus Apostolici, quam *Ecclesiæ posteriores* eadem ratione *Apostolicæ* dictæ fuere, *deputandi* sunt. Quare non potissima, nec potior priorum veterum, quam posteriorum ratio in illa causa esse debet: eadem quippe in ipsis est *Fidei tradux*, ac *doctrinæ conspiratio*, & *consanguinitas:* qua sæculi quarti Patres ut prioribus proximi cum Apostolicam Ecclesiæ antiquitatem, & *originem* æque, atque ii demonstrent: æqua in utrisque est *probandi forma*, atque *doctrina*.

Huic argumento haud officiunt ea, quæ S. Leo I. Pontifex Summus scripsit ad Marcianum Imperatorem : qui cum ab eo petiisset, ut ordinandorum quorundam Metropolitanorum Antistitum privilegium Constantinopolitano Episcopo a Synodo Chalcedonensi tributum firmaret: ille respondit, quod hic Antistes suam *Civitatem* .... (*a*) *Apostolicam non potest facere sedem ... privilegia enim Ecclesiarum ... Nicœnæ Synodi fixa decretis*, *nulla possunt improbitate convelli*. Quæ ferunt, Constantinopoli-

(*a*) *S. Leo M. Epist. 99. ad Marcianum Augustum pag. 310. & seq. P. II. cit. edit.*

politanam Urbem ab Apostolis fundatam non esse, neque ut talem a *Nicæna Synodo* adprobatam; ideoque eo privilegio frui non potuisse; & tamen Nicænos Patres Apostolicos posse vocari; ut qui Apostolicas Ecclesias testati sint, earumque privilegia statuerint. Proinde Patres, qui Apostolorum ætatem sectati, vel subsecuti sunt, aut his fere suppares fuere, quique horum doctrinam tradiderunt, Apostolici appellari queunt, & æque adlegari.

Miror autem, quod Dallæus inerti humanarum legum, humanarum disciplinarum, linguarumque similitudine elevare non erubescat Catholicam illam Christianæ religionis fidem, quam celebravimus, quamque juxta S. Matthæi Evangelium, ac Patres Christus Deus & Homo Ecclesiæ suæ in Petro Apostolo ædificandæ promisit tum iis, (*a*) *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, tum istis, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi:* quibus quidem absolutis pollicitationibus ea censoris comparatio evertitur; quia humanarum rerum sors, & conditio deficere queunt, ac sæpe deficiunt, velut homines, in quibus illæ nituntur, sunt deficientes: at Christiana religio quamvis in hominibus fuerit, ac sit, certe fundatur illis Divinis promissionibus per sese indeficientibus, quæ semper firmam Catholici Christianismi Ecclesiam, eamque sic erroribus non victum iri, ac jugem Christi assessionem ipsi adfuturam spondent.

Quare etsi res humanæ prout a sua origine recedentes in pejus ruant; ac rerump. quarumdam, non omnium, leges, & disciplinæ, ac linguæ roboris sui fastigium prætergressæ, nativi sui decoris imminutione non careant: sane nec probabile, nec probabilius est, Christianam religionem in suis primordiis puram, & sinceram, quam iis temporibus, quæ postea consecuta sunt, fuisse; ejusque Fidei decorem exinde imminutum esse: sed id falsum est, atque erroneum; quoniam ex eo Evangelio *adversus* Ecclesiam *portæ inferi non prævalebunt*, & Christus ipsi *omnibus diebus* adfuit, & aderit: cujus proinde religionis fides ab inferis vinci, imminui, mutari, ac retroferri non potuit, nec ullo tempore potest: ideoque Ecclesia ipsa non in suis principiis magis pura, quam consequentibus sæculis; sed æque pura semper extitit; ipsiusque fides nunquam ab Hæreticis elisa, nunquam extenuata, nunquam vel flexa fuit. Ac tametsi Ecclesiastica disciplina pro Fidelium bono quandoque inflectatur: hæc tamen a Catholica fide immutabili plane distinguitur.

Ac profecto sine summa Apostolorum injuria, prout Dallæus ipse argumentatur, dici nequit, quemquam eorum, qui illis in regenda Ecclesia successerunt, voluisse, aut potuisse aliquid, quod illos ipsos fugerit, ad eam perficiendam adjicere; ex quo sequitur, tempora, quæ ad Apostolorum ætatem proxime accesserunt, remota fuisse a suspicione corruptelæ in doctrina, ac simul illa non minus sincera, quam istam ætatem, in fide extitisse. Ergo absque maxima Christi injuria

(a) *Matth.* 16. v. 15. & 28. v. 20.

juria dici non poteſt, Apoſtolos, horumque ſucceſſores omnes, qui primis quatuor Eccleſiæ ſæculis, & reliquis vixerunt, voluiſſe, aut potuiſſe quidpiam, quod ipſum Dominum fugerit, ad Catholicam religionem perficiendam adjungere: qua ex re profecto colligitur, illis ſæculis univerſis eandem religionem a ſuſpicione corruptelarum doctrinæ Catholicæ omnino vacuam fuiſſe; neque in ipſam Eccleſiam univerſam ſenſim errores irrepſiſſe; ac proinde hanc iiſdem quatuor, & aliis ſibi ſuccedentibus ævis æqualiter eſſe integram Fidei; & Chriſtianiſmi vigorem cum ſuperſtitibus Apoſtolis, tum omnibus ipſorum ſucceſſoribus viventibus maxime excelluiſſe: quæ quidem conſecutiones eodem argumento, quod Dallæus de Apoſtolis efficit, oſtenduntur: eoque magis, quod Apoſtolis aliquam temporum cognitionem, qua iſti recta dogmata a ſuis ſucceſſoribus docenda noverunt, Chriſtus tribuerit; qui Apoſtolorum ætatem, ac tria ſubſequentia ſæcula, & reliqua omnia tempora comprehendit; in quibus ſe Eccleſiæ ſuæ contra inferos, contraque adeo hæreſes, adfuturum pollicitus eſt.

Sed idcirco Dallæus errore aſſeverat, doctrinæ corruptelas paulatim ſæculo ſecundo, ac tertio, magiſque quarto, & quinto in Eccleſiam Catholicam illapſas eſſe: ut ex hoc generatim argutetur, orthodoxa dogmata ex Patrum, qui illis ſæculis claruerunt, ſcriptis certo evinci non poſſe. Quo is ſæculis quatuor, quæ Poetæ finxerunt, priora quatuor Eccleſiæ ſecula comparat novitate prophana; ad quam effringendam afferre plures Patrum ſæculis illis florentium authoritates permagni intereſt; cum de intemerata Fidei doctrina agatur: in qua Catholicum Chriſtianiſmum quatuor illis, & reliquis ſæculis non erraſſe, ſed æque pure ab hoc illam ſervatam eſſe, veteres teſtificantur.

Primum enim iſta, quæ aſſeruimus, firmat S. Hegeſippus ſub ſecundi ſæculi initia ex Hebræis natus, & deinde ad Chriſtianam fidem converſus, ac poſtremo circa annum 180. vita defunctus: cujus documenta Euſebius duobus Hiſtoriæ ſuæ capitibus repræſentat; quorum unum Dallæus ſolummodo adducit; ut plura ſibi adverſa, quæ altero in capite illi reſpondente exiſtunt, aufugiat. Quapropter utrumque caput fuſe adlegandum eſt, & alterum alteri conferendum.

Itaque Euſebius libri III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 32. S. Symeonis Epiſcopi Hieroſolymitani Martyrium ex Hegeſippo ſic refert: *Poſt Neronis, & Domitiani perſecutionem, (a) ſub hoc, cujus nunc tempora commemoramus, Trajano particularem quandam per ſingulas Civitates populari motu adverſus noſtros excitatam eſſe perſecutionem accepimus; in qua Simeon Cleopæ filius, quem ſecundum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopum conſtitutum eſſe docuimus, martyrio vitam finiiſſe memoratur. Hujus rei teſtis eſt Hegeſippus, qui de Hæreticis quibuſdam verba faciens, ab iiſdem circa hæc tempora accuſatum ſubjungit eſſe Symeonem, variiſque tormentorum generibus excruciatum . . . tandemque eodem ſupplicii gene-*

(a) *Pag. 126. & ſeq.*

genere, *quod Dominus pertulit*, *vitam clausisse*. *Sed satis est verba ipsius scriptoris hæc narrantis audire* ,, Ex eodem ,, *inquit*, ,, Hæreticorum numero quidam Symeonem Cleopæ ,, filium detulerunt, quod ex stirpe ,, Davidis oriundus, & Christianus ,, esset. Atque ita Symeon cum annos centum & viginti natus esset ,, martyrium subiit principatu Trajani Augusti, Attico Consulari ,, Syriam administrante. *Idem præterea scribit* ... Symeon ... Cleopæ filius ejus, qui patruus erat ,, Domini, acusatus similiter ab ,, Hæreticis, & ob eandem causam ,, in jus vocatus est coram Attico ,, Consulari, & per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus, ,, fidem Christi constantissime professus est ... tandem vero sententia Judicis Cruci suffixus est. *Post hæc idem Scriptor res illa ætate gestas commemorans*, *addit :* Ecclesiam ad hæc usque tempora instar cujusdam Virginis integram, ,, atque incorruptam permansisse, ,, adhuc in obscuro recessu delitescentibus, quicumque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare niterentur. Sed postquam ,, Sacer Apostolorum cætus vario ,, mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui Divinam sapientiam ,, suis auribus audire meruerunt : ,, tum demum exorta est impii erroris conspiratio fraude, & malitia falsorum Doctorum, qui,, utpote nullo amplius ex Apostolis ,, superstite, post hac nudo, quod ,, ajunt, capite adversus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt. ,, De qua re, ac de Hegesippi fide, deque illis, quorum is mentionem fecerat, Eusebius libri IV. capite 22. hæc profert : *Hegesippus quidem in quinque Commentariorum libris*, (a) *qui ad nos pervenerunt*, *luculentissima Fidei suæ testimonia nobis reliquit*. (b) *Scribit enim*, *se*, *cum Romam proficisceretur*, *Plurimos Episcopos adiisse*, (c) κ' ὡς ὅτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντων παρειληφε διδασκαλίαν ἀκῦσαι, *& ab omnibus ut unam*, & eandem, quam a majoribus accepit, *audivisse doctrinam*. *Item postquam de Clementis ad Corinthios Epistola quædam commemoravit*, *hæc addit :* ,, Et Corinthiorum quidem, *inquit*, Ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum ejusdem loci Episcopum, quo cum familiariter ,, collocutus sum, dum Romam navigarem, nec paucos dies versatus sum cum Corinthiis, mutuamque ex recta Fide consolationem cæpimus. Romam vero cum ,, venissem, mansi ibi apud Anicetum, cujus tum Diaconus erat ,, Eleutherus. Post obitum deinde ,, Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherus. In singulis autem Episcoporum successionibus, ,, & per singulas urbes eadem manent, quæ per legem, & Prophetas, & a Domino prædicata ,, sunt. ,, Ὁ δ' αὐτὸς κ' τῶν κατ' αὐτὸν, αἱρέσεων τὰς ἀρχὰς ὑποτίθεται διὰ τούτων ; *Sed & idem hæreseon sui temporis principia exponit his verbis :*

Post-

(a) *Pag.* 285. *& seq.*

(b) Sic εἰς τὸ αὐτὸ sonat *in unum*, *& idem*; ut ex Philosopho Stephanus, & Scapula explicant in voce αὐτός.

(c) Valesius in latinam non vertit hanc vocem παρείληφε : quæ ex Thucidides libro 2. exque aliis significat a *majoribus accipere*.

„ Postquam, *inquit*, Jacobus cognomento justus martyrium perinde, „ ac Dominus pertulit ob ejusdem „ doctrinæ prædicationem : rursus „ Frater Patruelis Domini Symeon, „ Cleopæ filius, Episcopus constituitur, cunctis uno consensu secundum antistitem illum renuntiantibus, eo quod cognatus Domini „ esset. Et Ecclesiam quidem hactenus Virginem vocabant, propterea quod vanis sermonibus nondum corrupta fuerat. Primus „ Thebutis indigne ferens, quod „ minime creatus esset Episcopus, „ eam (*a*) ὑποφθείρειν subvertere est aggressus. Fuit hic e septem illis „ sectis in Judaico populo proseminatis; ex quibus fuit etiam Simon, a quo Simoniani fluxerunt, „ & Cleobius, a quo Cleobiani, „ & Dositheus, a quo Dositheani; „ & Gortheus, a quo Gortheni, & „ Masbotheus, a quo Masbothei „ sunt cognominati. „

Clamitant hi textus, eam *Ecclesiam*, quam uti *Virginem depravatam* utrobique Hegesippus exhibet, non Catholicam, sed Hierosolymitanam fuisse; atque in hanc, non in illam, extremis Trajani temporibus errores irrepsisse & corruptelas. Nam ex Eusebio *post* Apostolum *Jacobum Symeon Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus* constitutus fuit. Ergo Hegesippus dum præcise & *Symeonem Episcopum*, & *Ecclesiam hactenus Virginem*, & postea vitiatam appellat, profecto ut illum *Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistitem*, ita istam particularem *Ecclesiam Virginem depravatam* intelligit. Quo *cuncti* Hierosolymitani accipi debent, qui *Symeonem* suum *secundum* Episcopum *renuntiantes*, ipsam *Hierosolymitanam Ecclesiam hactenus virginem*, sed a (*b*) *Thebute corruptam vocabant*; quippe quod iis Hierosolymæ *Episcopus minime* creatus esset. Iste igitur non universam Ecclesiam, sed Hierosolymitanam, cujus potitus non fuerat, *subvertere* cæpit. Quæ res etiam patefacit, Hegesippi antecedentia de Judæis *Hæreticis* Thebutis sectatoribus capienda esse: quippe qui *doctores falsi Symeonem coram Attico Consulari legato Syriam*, ac sic Hierusalem *administrante in jus vocarunt*. Posteaquam igitur *sacer Apostolorum ordo*, ac præcipue *Jacobus extinctus* fuerat, iidem Hebræi Hæretici, a quibus Hegesippus *Hæresum* ducit *principia*, conflarunt, *impii erroris conspirationem*, ac dehinc *nudo capite adulterinam doctrinam* non universo Christianismo, sed Hierosolymæ *obtrusere*, ut cujus urbis *Antistitem Symeonem accusarint* apud *Syriæ legatum*, illumque *supplicio* affici nefarie studuerint. Non itaque adulterinæ doctrinæ secundo sæculo Apostolorum ætatem consequente, cujus anno XVII. Trajanus periit, ad Catholicam Ecclesiam, quæ semper Fidei integra instar Virginis extitit, a Thebute manarunt.

Ecquid vult Dallæus? contrariæ falsæ assertioni non repugnat quidem, sed ejus falsitate pugnat; quem Hegesippus ipse refellit. Siquidem antiquissimo eo tempore Universa Ecclesia *Romanos* Episcopos, & *plurimos*

(a) Hoc Verbum fit ab v. נפס sub, & *φθείρ* quod apud Plutarchum in Alcibiade *evertere sonat*.

(b) Adverte, quod Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. cap. 35. pag. 113. ponit, *tertium* Hierosolymorum Episcopum post Symeonem fuisse quendam *Justum Judæum: quippe ea tempestate innumerabiles ex Circumcisione ad Christi fidem transierant*. Quæ innuunt, Tebuthis sectam, & errores ab Hierosolymitana Ecclesia ablatos fuisse, & Catholicos Episcopos postea successisse.

mos alios, eorumque *urbes* comprehendit. Atqui in *singulis urbibus*, & in *singulis Episcoporum successionibus*, quæ scilicet Trajani tempus præcesserunt, & hoc per vices subsecutæ sunt, *Una Fidei* erat *doctrina*. Ergo secundo sæculo Apostolicum ævum sequente Catholica Ecclesia ab omni erroris suspicione fuit immunis; ejusque Fides a quovis Heterodoxo interrupta non est; quia *eadem mansit*, audiente Hegesippo. Ideoque post subductam Apostolorum præsentiam inimicus homo inter pleraque frumenta orthodoxa nihil zizaniorum, nihilve erroris spargere est ausus, nec magis inde sparsit. Idem enim Scriptor vetustissimus attestatur, mortuis sanctis Apostolis, & regnantibus Pontificibus, *Aniceto*, *Sotere*, atque *Eleuthero*, qui Christianæ æræ anno CLXXXV. obiit, illa, quæ *a Domino prædicata*, & ab Apostolis scripta, ac tradita fuerant, *mansisse* in *singulis* Ecclesiæ Catholicæ *urbibus*: ac proinde Hæreticos nihil errorum eas inter *urbes* sparsisse; nec longe pejora sequentibus sæculis molitos esse; nec *Domini*, & Apostolorum sanctitatem, simplicitatem, ac *prædicationem* paulatim ex catholicorum memoria evanuisse; nec in Apostolicæ Fidei, ac simplicitatis locum luxuriantium Hæreticorum ingenia, varias artes, & figmenta invasisse; propterea quod e primo Apostolorum sæculo ad usque Eleutheri tempus *audita* est ipsa *fides*, quam & *Dominus prædicavit*, & *Majores* tradiderunt, & *Hegesippus* ipse percoluit. Huic igitur Scriptori ea certe adversantur, quæ Dallæus comminiscitur, qui etiam Christiana tempora antiquissima iis, quæ Poetæ confixerunt, iniquius assimilat: Etenim *sequens*, sive secundum Christianismi sæculum priore deterius non fuit; quoniam in Fidei *doctrina idem tulit*, ac prius, omnique adeo doctrinæ depravatione prorsus vacavit.

Munit hæc Tertullianus vel tertii sæculi initiis vivus; dum memorato *Præscriptionum* libro adversus quosdam Hæreticos, qui *Galatas*, & *Corinthios* ab Apostolo Paulo *correptos* objecerunt, ostendit istos *emendatos*, pluresque alias Ecclesias ab eodem Apostolo celebratas fuisse; & *verisimile*, aut credibile haud esse, quod ex *multæ* Ecclesiæ *erraverunt*; quum ab Apostolorum ætate usque ad sæculi tertii principia, in quibus idem author librum illum scribebat, Christi *unam institutionem*, atque *unam fidem* servaverint: in qua Fidei unitate nullum *errorem doctrinæ* admiserunt: nam quod *apud multos unum est; non est erratum*, *sed traditum*. Quapropter Catholica Christianismi *Ecclesia*, quia prius, quam Hæretici extitissent, Christianæ institutionis *limites* possederat: idcirco *origines firmas*, & *fidem*, quam *Apostoli adjuraverunt*, *tenuit* vel Tertulliano vitam agente (*a*): Cujus hæc sunt verba: *quum correptas Ecclesias opponunt*, *credant emendatas*. *Sed & illas recognoscant*, *de quarum fide*, *& scientia*, *& conversatione Apostolus gaudet*, *& Deo gratias agit: quæ tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent: age nunc*, *omnes erraverint: deceptus sit Apostolus de testimonio reddendo* ... *cequid*

(a) *Tertull. de Præscript. Hæret. cap.* 28. *&* *seq. pag.* 212.

quid verisimile est, ut tot, ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est. Exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Ubi tunc Marcion, Ponticus Novilerus, stoicæ studiosus; ubi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat, illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu & in Catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum ejecti ... ad quos merito dicendum est: qui estis? quando, & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion jure sylvam meam cedis? qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves? quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est Possessio, olim possideo, Prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Authoribus, quorum fuit res. Ego hæres Apostolorum: Sicut caverunt Testamento suo; Sicut Fidei commiserunt; sicut adjuraverunt; ita Teneo. Vos certe exhæredaverunt, ut extraneos, ut inimicos.

S. Epiphanius circa Christianæ æræ annum 310. natus, dehinc anno 373. Ancorati opus, quod videlicet instar ancoræ Fidelibus esset, composuit: in quo ut plura orthodoxa dogmata declaravit; mox asseruit, *in Ecclesia Catholica* fidei *Professionem* ab *Apostolorum* ævo, *Apostolicisque temporibus ad* usque eum labentis quarti sæculi annum, quo librum illum concinnabat, *Incorruptam*, atque adeo sine doctrinæ corruptelis, esse servatam; eandemque *unam Fidem*, quamvis per *singula quæque* quatuor priorum sæculorum *tempora cum variis hæresibus insectantibus conflictata* fuerit, tamen *in sua veritate perstitisse:* quod S. Doctor ita notum fecit: *Hæc a me* (*a*) *in illorum gratiam scripta sunt, qui vitæ, ac salutis nostræ congruam, & consentaneam rationem, & certissimam Professionem scire, amplectique voluerunt: quæ jam tum ab lege, Prophetis, Evangeliis, Apostolis, Apostolicisque temporibus ad hæc nostra in Ecclesia Catholica incorrupta servatur: quæque per invidiam, ac turbas adversus unam, ac veram Fidem concitatas singulis quibusque temporibus variarum hæreseon insectatione jactata, ac multis incommodis earum importunitate conflictata: illa, inquam, ipsa fides, spes, salusque nostra in sua veritate perstitit. Quum ex adverso hæreses identidem sua se labe contaminent, & ab Ecclesiæ societate separentur.*

S. Basilius magnus capite VII. libri de Spiritu Sancto arguit Arianos, qui in gloria Patri, & Filio tribuenda haud congruenter de Filio dici *cum quo*, hancque vocem a piis quarti sæculi Catholicis minime adhiberi dicebant: quos perstrinxit hac propemodum generali ratione; quod ipsi ejusdem temporis Fideles, qui *Majorum traditionem citra mutationem*, (*b*) ac sic citra illius depravationem, *conservarunt*, ea voce uterentur: *Illud*, inquit, *mendacium est*, *hanc vocem* cum quo ab

(a) *S. Epiph. in Ancor. num.* LXXXIII. *pag.* 82. *tom.* II. *Edit. Colon. an.* 1682.

(b) *Pag.* 13. *Tom.* III.

ab usu Piorum alienam esse. Quotquot enim morum constantia antiquitatis majestatem speciosis novitatibus praetulerunt, ac Majorum traditionem citra Mutationem conservarunt, tum ruri, tum in Civitatibus hac voce utuntur.

Capreolus Carthaginensis Episcopus ad Ephesinum I. Concilium Œcumenicum anno 431. Epistolam misit, quae ab isto probata est, fuisque actis inserta: qua ille ab hocce petiit, non solum ut *novas doctrinas Ecclesiasticis auribus inusitatas*, & *novos errores, quos pridem impugnavit Ecclesia, priscae authoritatis robore* profligaret; sed etiam ut *Fidem, quae hactenus valuit*, sive *Ecclesiae veritatem*, quae *jam inde ab initio ad praesens usque* saeculi quinti *tempus simplici Puritate decurrebat*, *assereret*, atque *doceret*: quod ejusdem Synodi Patres *asseruerunt*; a quibus Capreolus illud idem sic deprecatus est: (*a*) *Vestram Sanctitatem .. rogatam cupio ..., ut spiritu Sancto cooperante, quem cordibus vestris in omnibus, quae acturi estis, praesto futurum non dubito, novas doctrinas, & antehac Ecclesiasticis auribus inusitatas, priscae authoritais robore instructi e medio profligetis, atque ita quibuscumque novis erroribus resistatis, ne hos, quos pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes Apostolicae Sedis authoritas, Sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit, secundae disputationis praetextu vox jamdudum ablata renovare videatur. Nam si quid forte novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur oportet, ut vel recte dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. At vero si quis ea, quae jam olim dijudicata sunt, denuo in disputationem vocari sinat; is sane aliud nihil facere censebitur, quam de Fide, quae hactenus valuit, dubitare. Deinde ad posteritatis exemplum, ut ea, quae nunc pro Catholica Fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa, immotaque conservare, quae superioribus temporibus a Sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illam perpetuam stabilitatem retinere voluerit, quae de Catholicae Fidei ratione statuerit; is non propria authoritate, sed antiquorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet: itaut ea ratione partim veterum, partim recentiorum decretis, & sententiis placita sua corroborans, unicam Ecclesiae veritatem jam inde ab initio ad praesens usque tempus simplici Puritate, invictaque constantia & auctoritate decurrentem se asserere, docere, & tenere ostendat.*

Vincentius Lirinensis quinto saeculo illustris, in Commonitorio 1. docuit, Catholicam fidem progressu quidem temporis magis enucleatam, sed minime immutatam; atque a *Catholicis* errores, sive *prophanas vocum novitates*, quas devitandas Paulus Apostolus monuit, nusquam admissas; verum *incorrupta traditione* ab iisdem antiqua orthodoxa dogmata *custodita* fuisse. Qua de causa Vincentius abunde istud pertexit: (*b*) *Operae pretium est totum ipsum Apostoli capitulum diligentius pertractare:* o Timothee, *inquit*, Depositum

(*a*) *Tom. III. Concil. Lab. pag.* 1075.
(*b*) *Vincent. Lirin. in Comm.* 1. *cap.* 27. *& sequ. pag.* 445. *& sequ.*

situm custodi, devitans prophanas vocum novitates. *Exclamatio ista & præscientiæ est pariter & Charitatis. Prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat, errores. Quid est hodie* Timotheus, *nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum Corpus Præpositorum, qui integram Divini cultus scientiam, vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? quid est*, depositum custodi? Custodi, *inquit, propter fures, propter inimicos; ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo.. quid est* Depositum? Id est, *quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; Rem non ingenii, sed Doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis; rem ad Te perductam, non a Te prolatam; in qua non author debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens*. Depositum, *inquit*, custodi: „ Catholicæ Fidei „ talentum inviolatum, illibatum- „ que conserva. Quod tibi credi- „ tum, hoc penes te maneat, hoc „ a Te tradatur. Aurum accepisti, „ aurum redde: nolo mihi pro aliis „ alia subjicias... O Timothee, „ o Sacerdos, o Tractator, o Do- „ ctor, si Te Divinum munus ido- „ neum fecerit, ingenio, exercita- „ tione, doctrina, esto spiritalis Ta- „ bernaculi Beseleel, pretiosas Divini „ Dogmatis gemmas exculpe, fide- „ liter coaptà, adorna sapienter; „ adjice splendorem, gratiam, ve- „ nustatem. Intelligatur Te expo- „ nente illustrius, quod antea ob- „ scurius credebatur. Per te poste- „ ritas intellectum gratuletur, quod „ ante vetustas non intellectum ve- „ nerabatur. Eadem tamen, quæ di- „ dicisti, doce, ut cum dicas no- „ ve, non dicas nova. Sed forsitan „ dicit aliquis: nullusne ergo in „ Ecclesia Christi profectus habebi- „ tur Religionis? Habeatur plane „ & maximus. Nam quis ille est „ tam invidus hominibus, tam exo- „ sus Deo, qui istud prohibere co- „ netur? Sed ita tamen, ut vere „ profectus sit ille Fidei, non per- „ mutatio. Siquidem ad profectum „ pertinet, ut in semetipsum una- „ quæque res amplificetur; ad per- „ mutationem vero, ut aliquid ex „ alio in aliud transvertatur. Cre- „ scat igitur oportet, & multum, „ vehementerque proficiat tam sin- „ gulorum, quam omnium, tam u- „ nius hominis, quam totius Ec- „ clesiæ, ætatum, ac sæculorum gra- „ dibus intelligentia, scientia, sa- „ pientia, sed in suo dumtaxat ge- „ nere, in eodem scilicet dogma- „ te, eodem sensu, eademque sen- „ tentia ..... Exempli gratia: Se- „ verunt Majores nostri antiquitus „ in Ecclesiastica segete Triticeæ Fi- „ dei semen; iniquum valde, & in- „ congruum est, ut nos eorum po- „ steri pro germani veritate frumenti „ subdiditium zizaniæ legamus er- „ rorem. Quin potius hoc rectum, „ & consequens est, ut Primis, at- „ que extremis sibimet non discre- „ pantibus de incrementis Triticeæ „ institutionis tritcei quoque dog- „ matis frugem demetamus; ut, „ cum aliquid ex illis seminum pri- „ mordiis accessu temporis evolva- „ tur, & nunc lætetur, & excola- „ tur; nihil tamen de geniminis pro- „ prietate mutetur: addatur licet „ species, forma, distinctio: eadem „ tamen cujusque generis natura „ permaneat ... quodcumque igi-

tur

„ tur in hac Ecclesiæ Dei agricul-
„ tura Fide Patrum satum est, hoc
„ idem filiorum industria decet ex-
„ colatur, & observetur, hoc idem
„ floreat, & maturescat, hoc idem
„ proficiat, & proficiatur. Fas est
„ etenim, ut prisca illa cœlestis
„ Philosophiæ dogmata processu tem-
„ poris excurentur, limentur, po-
„ liantur, sed nefas est, ut com-
„ mutentur ..... Christi vero Ec-
„ clesia, sedula, & cauta Deposito-
„ rum apud se dogmatum custos,
„ nihil in his unquam permutat,
„ nihil addit, non amputat neces-
„ saria, non apponit superflua, non
„ amittit sua, non usurpat aliena;
„ sed omni industria hoc unum stu-
„ det, ut vetera fideliter, sapien-
„ terque tractando, si qua sunt illa
„ antiquitus informata & inchoata,
„ accuret, & poliat; si qua jam
„ confirmata, & definita, custodiat.
„ *Denique* quid unquam aliud con-
„ ciliorum decretis enisa est, nisi
„ ut quod antea simpliciter crede-
„ batur, hoc idem postea diligen-
„ tius crederetur; quod antea len-
„ tius prædicabatur, hoc idem po-
„ stea instantius prædicaretur, quod
„ antea securius colebatur, hoc idem
„ postea sollicitius excoletur. Hoc
„ inquam, semper, neque quic-
„ quam præterea Hæreticorum no-
„ vitatibus excitata, Conciliorum
„ suorum decretis Catholica perfe-
„ cit Ecclesia, nisi ut quod prius a
„ Majoribus sola Traditione susce-
„ perat, hoc deinde Posteris etiam
„ per scripturæ Chirographum con-
„ signaret, magnam rerum summam
„ paucis litteris comprehendendo,
„ & plerumque propter intelligen-
„ tiæ lucem non novum Fidei sen-
„ sum novæ appellationis proprie-
„ tate signando. Sed ad Apostolum
„ redeamus. *O Timothee*, inquit,
„ *Depositum custodi*, *devitans pro-
„ phanas vocum novitates*. Devita,
„ inquit, quasi viperam, quasi scor-
„ pionem, quasi Basiliscum, ne Te
„ non solum tactu, sed etiam visu,
„ afflatuque percutiant. Quid est,
„ *Devita? Si quis*, inquit, *venit
„ ad vos, & hanc doctrinam non af-
„ fert*. (a) Quam doctrinam, nisi Ca-
„ tholicam, & universalem, & u-
„ nam, eandemque per singulas æ-
„ tatum successiones incorrupta ve-
„ ritatis traditione manentem, &
„ usque in sæcula sine fine mansu-
„ ram? Quid tum? *Nolite*, inquit,
„ *recipere eum in domum*, *nec ave
„ ei dixeritis*. *Qui enim dicit illi
„ ave*, *communicat operibus ejus ma-
„ lignis*. *Prophanas*, inquit, *vocum
„ novitates*. Quid est, *prophanas?*
„ quæ nihil habent sacri, nihil re-
„ ligiosi, ab Ecclesiæ penetralibus,
„ quæ est templum Dei, penitus
„ extranea. *Prophanas*, inquit, *vo-
„ cum novitates*. *Vocum*, id est,
„ dogmatum, rerum, sententiarum
„ novitates, quæ sunt vetustati, at-
„ que antiquitati contrariæ: quæ si
„ recipiantur, necesse est, ut Fides
„ beatorum Patrum aut tota, aut
„ certe magna ex parte violetur:
„ necesse est, ut omnes omnium æ-
„ tatum fideles, omnes Sancti, o-
„ mnes casti, continentes, Virgi-
„ nes, omnes Clerici, Levitæ, &
„ Sacerdotes, tanta Confessorum
„ millia, tanti Martyrum exerci-
„ tus, tanta urbium, tanta po-
„ pulorum celebritas, & multitu-

(a) 1. Cor. 5.

„ do, tot insulæ, Provinciæ, Reges, Gentes, regna, nationes, totus postremo jam pene terrarum orbis per Catholicam Fidem Christo capiti incorporatus tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur. *Prophanas*, inquit, *vocum novitates devita*. Quas recipere, atque sectari Nunquam Catholicorum, semper vero Hæreticorum fuit. Et revera quæ unquam hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquam Hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ universitatis, & antiquitatis consensione discreverit? quod ita esse luce clarius exempla demonstrant. Quis enim unquam ante prophanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Cœlestium reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adstrictum? Quis ante sacrilegum Arium Trinitatis unitatem discindere, quis ante sceleratum Sabellium unitatis Trinitatem confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Novatianum, crudelem Deum dixit, eo quod mallet mortem morientis, quam ut revertatur, & vivat? Quis ante Magum Simonem Apostolica districtione percussum, a quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum continua, & occulta successione manavit, auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum, ausus est dicere Creatorem Deum? ... innumera sunt talia, quæ brevitatis studio prætermittimus: quibus tamen cunctis satis evidenter, perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere hæreses quasi solemne esse ac legitimum, ut semper prophanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ, a Fide naufragent: Contra vero Catholicorum hoc vere proprium, Deposita sanctorum Patrum, & commissa servare, damnare prophanas Novitates.

Demum S. Fulgentius genere Afer, anno 468. in lucem editus, annoque circiter 507. Ruspensis Ecclesiæ Antistes præfectus, ad Probam Romanam virginem de virginitate Epistolam exaravit: ubi de virginis nomine differens, id vocabuli etiam *Ecclesiæ Catholicæ*, quæ in *Fide Virgo incorrupta persistebat*, nec *seductione*, neque adeo quorumlibet Hæreticorum errore decipiebatur, adscripsit his verbis: „ typice (*a*) itaque a viro ducitur virginis vocabulum, quemadmodum nomen a Christo ducitur christianum: Christus enim Dei virtus est, & Dei sapientia: ex quo est Ecclesia, quæ Virgo in Fide, & Charitate persistens, & sapientiam possidet, & virtutem: ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ Virginitatis integritate fulcitur. Huic virgini Esaias dicit, „ quoniam compla-

(*a*) S. *Fulg. Epist.* 3. *num.* 9. *pag.* 77. *Ven.* *Edit. an.* 1742.

placuit Domino in Te, & terra tua inhabitabitur, habitabit enim juvenis cum Virgine, & habitabunt in Te Filii tui. (*a*) „ & ut ostenderet, „ non alium esse juvenem, quam „ sponsum, nec aliam esse virgi- „ nem, quam Sponsam; sponsum „ autem & sponsam, Christum & „ Ecclesiam, secutus adjunxit: „ & gaudebit Sponsus super Sponsam; & gaudebit super te Deus tuus. *Hæc Virgo Mater est*, *cui dicitur*, habitabunt in Te Filii tui, *& hæc Mater Virgo est*, *de qua dicitur*, habitabit enim juvenis cum Virgine. *Hæc Virgo Sponsa est*, *de qua dicitur*, & gaudebit Sponsus super Sponsam. „ Hæc igitur Ecclesia una, & „ vera Catholica, Sponsa est, quia „ inhæret Christo: Mater est, quia „ fæcundatur a Christo: Virgo est, „ quia incorrupta perseverat in Chri- „ sto. Hujus Sponsæ nec fœcundi- „ tate virginitas corrumpitur, nec „ virginitate fæcunditas impeditur. „ Tale namque istius est viri, Vir- „ ginisque connubium, ut idcirco ab „ hoc Viro fæcundetur hæc virgo, „ quia in hoc connubio Nulla un- „ quam potest esse corruptio; & tan- „ ta in hac Matre Virginitatis per- „ severat integritas, ut nisi Virgo „ semper esset, mater esse non pos- „ set. Istius Matris, ac Virginis no- „ men novum ita prænuntiat Esa- „ ias, (*b*) *& vocabitur tibi nomen novum*, *quod os Domini nominavit*. „ Ergo quia Christus virtus „ est, sicut Ecclesia vocabulum Vir- „ ginis a virtute sumpsit, sic a Chri- „ sto Christianum nomen accepit.

In hac igitur Causa collaudatos veteres earum rerum, quæ ipsorum temporibus fiebant, ac dogmatum, quæ credebantur, Testes fide dignos nemo jure negare potest: quia & antiqui, non recentes, vetustatis sunt idonei obsignatores, & productæ eorumdem testificationes, quas non oportuit relictas, consonæ sunt, atque constantes. Quare loquar de eo, quod apud omnes plurimum valere debet, hoc est, de Catholica Fide, quam omnino sine errore, aut æque intemeratam Catholicus Christianismus quatuor primis sæculis custodivit; quibus quatuor sæcula a Poetis ficta, inter quæ sequens superiore semper deterius est, sinistre comparantur. Nam Hegesippus, Tertullianus, Epiphanius, Basilius, Capreolus, Vincentius Lirinensis, ac Fulgentius firmiter testificantur, quod primo sæculo, altero, tertio, quarto, ac sequentibus, aut ab *Apostolorum* temporibus, aut etiam a *Simeone Mago* ad *Pelagium* usque, Ecclesia Catholica *plurimos* fideles, *Martyres Sanctos*, ac *Patres* complexa, *nunquam errores*, *seductiones*, ac *prophanas* Hæreticorum, qui *extranei* ab ipsa extiterunt, *novitates recepit:* at *singulis* illarum *ætatum successionibus unam doctrinam Catholicam*, *unam institutionem*, *unamque fidem* semper *servavit*. Ergo prophanorum quatuor sæculorum longe alia ratio est, quam priorum quatuor sæculorum Ecclesiæ orthodoxæ: quandoquidem in illis prophanas novitates, propter quas sequens sæculum superiore semper pejus est, inesse fingunt Poetæ: in istis vero *prophanas* Heterodoxorum *novitates Catholicus* Christianismus *nunquam sectatus est*; sed *eandem Fidem*, quæ in primo effulserat, in tribus ævis consequentibus *tenuit:* ac

(*a*) *Is.* 62. 4. 5.

(*b*) *Ibid.* v. 2.

ac propterea secundum sæculum primo, tertium secundo, quartum tertio deterius haud fuit: sed isthæc quatuor Ecclesiæ sæcula fuere vacua ab omni doctrinæ depravatione, utpote *integra veræ fidei*, quam relati Patres constanter annuntiant. Nec vero tria priora Catholici Christianismi sæcula incorruptiora, quam quartum, sed quatuor ipsius sæcula æque pura fuisse in Fidei doctrina, asseverandum est, atque tenendum: quoniam ab *Apostolorum initio* ad quartum, & quintum usque sæculum *incorrupta fides*, *incorrupta traditio*, incorrupta *Ecclesiæ veritas simplici Puritate decucurrit*: atque in Catholica Ecclesia *Matre*, quæ *in Fide Virgo semper est*, *virginitatis perseveravit integritas*. Quamobrem antiquissima Christianismi sæcula, præsertim secundum, & tertium, omni quidem errore, sicut inculcavimus, caruerunt: nihilominus haudquaquam in Fide puriora, quam sequentia, sed æqualiter pura ea cuncta fuere; ideoque illa hisce non anteponenda, sed æque omnia sic spectanda sunt, ut ex quatuor priorum sæculorum Patribus Catholicorum dogmatum probationes, eorumque confirmationes ex quinti, & sexti sæculi scriptoribus desumantur; propterea quod in iis omnibus ævis, quemadmodum ex Testibus dicebam, *una fides*, & *simplex*, atque adeo æqualis, ejus *puritas*, & *integritas* valuere.

Quare quod nonnulli probe censent, ad veram veteris Ecclesiæ de religione sententiam pernoscendam maxime evolvenda esse eorum scripta, qui a magno Constantino usque ad S. Gregorium Magnum R. Pontificem, hoc est, a tertio sæculo exeunte usque ad septimi initia, vixerunt: id allato sensu accipi debet. Non enim trium priorum sæculorum scripta sunt ita pauca, quasi in istis multa dogmata minime contineantur; istud quippe falsum esse premonstravimus. Nec etiam trium posteriorum ævorum, quam superiorum potior esse debet auctoritas: auctoritas namque Patrum, qui quatuor primis sæculis emicuerunt, par est in evincendis Fidei dogmatis, ac sententia illorum, qui quinto, & sexto seculo vitam egerunt, compar in iisdem firmandis. Sed quia labenti sæculi tertii Patres Apostolis propemodum suppares, ac primi, & secundi seculi auctoribus ferme coætanei, ac secundi, & tertii sæculi Patribus coævi fuerunt; atque ita Apostolorum doctrinam optime scisse, ac tradidisse credendi sunt: idcirco ex istorum, uti & illorum, operibus veræ antiqui Christianismi catholici sententiæ de Religione exquirantur oportet. Quod si nobis horum non pauciora, quam illorum testimonia superessent; hæc non recentiorum, sed antiquorum Patrum documenta utique forent; quippe qui post medium sæculum tertium, cujus temporis Patres recentiores nemo asserit, nati, eodemque dilabente clari, veterum scriptorum, atque Apostolicorum Patrum, qui vel in ævo secundo, & tertio, vel in tertio dumtaxat vixerunt, æquales habentur: quorum propterea testimoniis illorum documenta præponenda non sunt, sed utraque æque estimanda; quia licet illi istis paulo anteriores fuerint, tamen isti præcipue tertii sæculi Christiani antiquitate donati, & prioribus proximi, eandem ejusdem ævi tertii Catholici, & vetusti fidem sine dubio exhibuerunt.

Sed

Sed enim Ecclesiam, quæ Constantini tempus ante medium sæculum quartum subsecuta est, in fide incorruptiorem ea, quæ ipsum antecessit, fuisse, nullus vetus Ecclesiasticus scriptor adstruit, nullus Catholicus sentit, nullus eruditus fingit. Fingit vero Dallæus, ipsius quarti sæculi Ecclesiam a priorum temporum luce summotam minus virium, minusque splendoris habuisse, in eave doctrinam Catholicam vitio esse interruptam; quod commendatis quarti, & quinti sæculi testibus aperte adversatur: quibus quidem nos adjuti nostræ causæ haudquaquam diffidimus, sed eam certam esse demonstramus. Namque ex repetitis eorum testimoniis clarum est, a prioribus *Apostolicis temporibus ad* usque illas ipsorum Patrum ætates, quæ Constantini tempora sequutæ sunt, *veram Fidem*, *Traditionem*, & *unam Ecclesiam* non incorruptiorem, sed simpliciter *incorruptam permansisse*; ipsamque *Fidem hactenus valuisse*; neque adeo Ecclesiam ab *Apostolicorum temporum* luce, & fide summotam, neque ejus traditionem interruptam, nec Fidem minus validam, minusque splendidam, quam antea erat, fuisse; immo *sæculorum gradibus profectum Fidei habitum*, *non permutationem* factam esse. Christi enim Ecclesia sedula, & cauta *depositorum apud se dogmatum custos*, *Conciliorum*, quæ vel vivo Constantino magno, vel mortuo celebrata sunt, *decretis fideliter enisa est*, ac *perfecit*, *ut*, *quod antea simpliciter credebatur*, *hoc idem*, *nec quicquam præterea*, *intelligentiæ luce* donatum, *postea diligentius crederetur*, &, *quod prius a majoribus sola traditione susceperat*, *hoc idem Posteris per Scripturæ chirographum consignaret*. Quarto igitur, & sequenti sæculo Ecclesia *prioris* ætatis splendori proxima, ac non minus virium *fidelis diligentiæ*, nec *minus lucis intelligentiæ*, quam iis prius in *Fide servanda* utebatur, habens, dogmata *antiquitus informata non novo sensu* interrupit; verum isthæc *eodem* dogmatis *genere*, *eodem sensu*, *eadem sententia*, *eadem doctrina catholica*, & *novæ appellationis proprietate signavit*, atque *custodiit*.

Itaque adversus tam clara, tamque constantia testimonia Dallæus Ecclesiæ Catholicæ doctrinam quarto sæculo, & quinto interruptam falso causatur, dum ejus vi dogmata orthodoxa vinci firmarique minime vult, simulque ad illud exagerandum S. Cypriani Martyris Epistolam 74. minus bene adducit; quæ profecto doctrinæ & traditionis interruptionem, quæ Fidei veritatem spectent, nequaquam significat. Siquidem quum Cyprianus Hæreticos rebaptizandos ad Stephanum I. qui ab anno 253. ad usque annum 257. Summo Pontificatu fruitus est, scripsisset, eamque causam non ad Fidem, sed ad Ecclesiasticam disciplinam attinere putasset; idcirco Stephani *Religioni*, ac *Fidei* obsecutus est, etiamsi *sciverit quosdam*, quorum unum tacite ipsum Stephanum intelligebat, contrariæ, antiquæ, & rectæ consuetudini adhæsisse, qua Heterodoxi per verba hæc Evangelica, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, baptizati, ut Firmilianus eodem tempore Cæsareæ (*a*) Cap-

(a) *Vide ejus Epistolam S. Cypriani operibus adnexam pag. 302. & seq. Nov. Ven. Editionis mox referenda.*

Cappadociæ Episcopus retulit, nec rebaptizabantur, nec rebaptizandi erant ex ejusdem Stephani decreto deinceps edito; quod quidem Cyprianus aliquo nævo minime amplexus, sed unitatis pacem cum eo Pontifice servans, antiquam illam consuetudinem interruptam falso putavit. Quæ omnia & nonnullis Cypriani Epistolis, & aliorum veterum testimoniis, quibus Dallæi opinationem eliminabimus, sunt comprobanda.

Enimvero Cyprianus suo, & Concilii Carthaginensis circa annum 255. celebrati, in quo ea de causa actum erat, (*a*) nomine ad Stephanum I. ista conscripsit: „ De eo vel maxi„ me tibi scribendum, & cum tua „ gravitate, ac sapientia conferen„ dum fuit, quod magis pertineat „ & ad Sacerdotalem auctoritatem, „ & ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem „ pariter, ac dignitatem de Divinæ „ dispositionis ordinatione venien„ tem eos, qui sint foris extra Ec„ clesiam tincti, & apud Hæreticos „ & Schismaticos prophanæ aquæ „ labe maculati, quando ad nos, „ atque ad Ecclesiam, quæ una est, „ venerint, baptizari oportere, eo „ quod parum sit eis manum im„ ponere ad accipiendum Spiritum „ Sanctum; tunc enim demum ple„ ne sanctificati, & esse Filii Dei „ possunt, si Sacramento utroque „ nascantur; quum scriptum sit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. „ Hæc ad conscien„ tiam tuam, Frater carissime, & „ pro honore communi, & pro sim„ plici dilectione pertulimus, cre„ dentes etiam tibi pro Religionis „ tuæ, & Fidei veritate placere, „ quæ & religiosa pariter, & vera „ sunt. Cæterum scimus quosdam, „ quod semel imbiberint, nolle de„ ponere, nec propositum suum „ facile mutare, sed salvo inter col„ legas pacis, & concordiæ vincu„ lo, quædam propria, quæ apud „ se semel sint usurpata retinere, „ qua in re nec nos vim cuiquam „ facimus, aut legem damus, quan„ do habeat in Ecclesiæ administra„ tione Voluntatis suæ arbitrium „ liberum unusquisque Præpositus „. Rursum dehinc S. Martyr Jubajano poscenti ejus sensa de Hæreticorum baptismo inter alia id responsum dedit: (*b*) „ Clamat Dominus, ut qui „ sitit, veniat, & bibat de flumini„ bus aquæ vivæ, quæ de ejus ven„ tre fluxerunt. Quo venturus est, „ qui sitit, utrumne ad Hæreticos, „ ubi fons, & fluvius aquæ vitalis „ omnino non est, an ad Eccle„ siam, quæ una est, & super unum, „ qui & claves ejus accepit, Domi„ ni voce fundata est? Hæc est una, „ quæ tenet, & possidet omne Spon„ si sui, & Domini potestatem. In „ hac præsidemus, pro honore ejus, „ atque unitate pugnamus. Hujus „ & gratiam pariter & gloriam Fi„ dei devotione defendimus. Nos „ de divino permissu rigamus sitien„ tem Dei populum. Nos custodi„ mus terminos vitalium fontium. „ Si possessionis ergo nostræ jus te„ nemus, si Sacramentum unitatis „ agnoscimus, cur prævaricatores „ veritatis, cur proditores unitatis „ exi-

(a) *S. Cypr. Epist. 72. pag. 275. Ven. Edit. an. 1728.*

(b) *Epist. 73. pag. 201. & sequ.*

„ existimamur? Aqua Ecclesiæ fidelis, & salutaris & sancta corrumpi, & adulterari non potest, sicut & ipsa Ecclesia incorrupta & casta, & pudica est .... & quum dicant, de Deo eos non esse, sed esse de Antichristi spiritu; quomodo gerunt spiritalia, & Divina, qui sunt hostes Dei, & quorum pectora obsederit spiritus Antichristi? Quare si rejectis humanæ contentionis erroribus, ad Evangelicam authoritatem, atque ad Apostolicam Traditionem sincera, & religiosa fide revertamur, intelligemus, nihil eis ad gratiam Ecclesiasticam, & salutarem licere, qui spargentes, atque impugnantes Ecclesiam Christi, a Christo ipso adversarii, ab Apostolis vero ejus Antichristi nominantur... (a) Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominus unusquisque Episcoporum quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum Collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus Divinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus, maxime cum & Apostolus dicat, (b) *Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. „ Servatur a nobis patienter, & leniter caritas animi, collegii honor, Vinculum Fidei, & concordia Sacerdotii „. Tandem in litteris ad Pompeum dixit: „ Si canalis aquam ducens, qui copiose prius, & largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergetur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis in capite unda siccaverit, an vero integra inde, & plena procurrens in medio itinere perstiterit: ut si vitio interrupti, aut bibuli canalis effectum est, quominus aqua continua perseveranter, ac jugiter flueret, refecto, & confirmato canali ad usum, atque ad potum Civitatis aqua collecta, eadem ubertate, atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur; quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta Divina servantes, ut si in aliquo nutaverit, & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & ad Evangelicam, atque ad Apostolicam Traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & Ordo, & origo surrexit. „

Eusebius autem Cæsareensis Episcopus, Cypriano ipsi ex parte coævus, lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ capite II. ac III. illud Stephani I. decretum sic celebravit: „ (c) Romæ quum Cornelius tribus circiter annis Episcopatum tenuisset, Lucius in ejus locum substituitur; qui vix octo mensium spatio perfunctus eo munere, moriens Episcopale officium Stephano dereliquit. Ad hunc Stephanum Dionysius primam earum, quæ de baptismo conscriptæ sunt, Epistolam exaravit, quum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo pur-

(a) Pag. 287. (b) 1. Cor. 11.

(c) Pag. 322. & seq.

„ gari oporteret. Quippe antiqua „ consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhibe„retur : primus omnium Cypria„nus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius „ emundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit. „

Et vero S. Augustinus in libro III. & IV. de baptismo contra Donatistas, qui Evangelicum baptismum, de quo diximus, extra Ecclesiam collatum, nullum esse errore contendebant; catholicos improbe rebaptizabant, & S. Cypriani exemplo abutebantur, profert illam hujus Epistolam ad Jubajanum, eosque his verbis exagitat: „ (a) Arbitror jam,.. „ authoritatem beati Cypriani ad „ retinendum vinculum pacis, nulloque modo violandam unitatis „ Ecclesiæ saluberrimam charitatem „ magis pro nobis, quam pro Donatistis, esse proponendam. Si „ enim Cypriani exemplo uti voluerint ad rebaptizandos Catholicos, quia ille censuit, in Catholica baptizandos Hæreticos: nos „ potius ejus exemplo utimur, quo „ apertissime statuit, a Catholica „ Communione, id est, a Christianis toto orbe terrarum diffusis, „ etiam malis, & sacrilegis admissis, nullo modo per separationem „ Communionis esse recedendum; „ quandoquidem nec eos, qui, ut „ eidem videbatur, non baptizatos „ sacrilegos in Catholicam Communionem recipiebant, a jure „ Communionis voluit amovere dicens„, *neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes* .... „ quod „ si dicunt, propterea tunc illam „ Catholicam Ecclesiam fuisse, quia „ erant ibi pauci, vel si hoc putant, „ etiam multi, qui baptismum datum apud Hæreticos improbabant, „ & baptizabant eos, qui inde veniebant: quid ergo ante Agrippinum, a quo ista cœpit quasi nova ratio adversus consuetudinem „ dimicans, numquid non erat Ecclesia? Quid denique post Agrippinum, quando nisi ad pristinam „ consuetudinem reditum esset, alterum moliri Concilium non esset necesse Cypriano, numquid „ non erat Ecclesia, quia talis per „ omnia consuetudo tenebatur, ut „ baptismus Christi nonnisi Christi „ baptismus haberetur, etiamsi apud „ Hæreticos, vel Schismaticos datus fuisse probaretur? Quod si erat „ etiam tunc Ecclesia, & Hæreditas Christi non interrupta perierat, sed per omnes gentes augmenta capiens permanebat, tutissima ratio est in eadem consuetudine permanere, quæ tunc bonos, & „ malos una complexione portabat... „ Nos itaque, ut dicere cæperam, in „ ejus Ecclesiæ Communione securi „ sumus, per cujus universitatem id „ nunc agitur, quod & ante Agrippinum, & inter Agrippinum, & Cyprianum per ejus universitatem similiter agebatur; & cujus universitatem neque Agrippinus deseruit, „ neque Cyprianus, neque illi, qui „ eis

(a) S. *Aug. lib.* 3. *de bapt. cont. Don. cap.* 1. & 2. *num.* 1. & 3. *pag.* 107. & *seq. tom.* IX.

„ eis consenserant, quamvis aliter, quam cæteri saperent, sed cum eis ipsis, a quibus diversa senserunt, in eadem unitatis communione manserunt.... Illud enim Sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur: (a) in corpore autem unicæ columbæ incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam, aut rugam nec ille, nec ille invenitur. Et quomodo accipienti non prodest baptismus ei, qui sæculo verbis, non factis renuntiat; sic non prodest ei, qui in hæresi, vel schismate baptizatur; itaque autem correpto prodesse incipit, quod ante non proderat, sed tamen inerat... (b) quod autem ait, *nec quisquam dicat, quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur: quando Apostoli nonnisi unam Ecclesiam tradiderunt, & baptisma unum, quod nonnisi in eadem Ecclesia sit constitutum:* „ non me tantum movet, ut baptismum Christi etiam apud Hæreticos inventum audeam reprobare, (sicut etiam ipsum Evangelium quum apud eos invenio, necesse est ut approbem, quamvis eorum detester errorem), quantum admonet, fuisse quosdam etiam Sancti Cypriani temporibus, qui consuetudinem illam, contra quam fiebant africana concilia, de qua & ipse paulo ante dixit, *frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt*,, dicerent ab Apostolis traditam. Nec invenio, cur istam consuetudinem, quæ post Cyprianum etiam plenario totius orbis Concilio confirmata est, tam robustam & antea idem Cyprianus invenerat, ut cum ejus mutandæ auctoritatem, quam sequeretur, vir tanta scientia præditus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperirer. Quod cum sibi adversus totius orbis morem non sufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modo nos antiquitate ipsius consuetudinis, & plenarii postea Concilii authoritate firmari, diligentius considerantes, verisimiles potius, quam veras esse invenimus, quæ illi veræ visæ sunt in obscurissima quæstione laboranti, & de remissione peccatorum fluctuanti, utrum in baptismo Christi possit non fieri, & utrum possit apud Hæreticos fieri: ubi si minus ei aliquid revelatum est, ut magnitudo charitatis ejus, qua unitatem non deseruit, probaretur; non ideo quisquam tantis ejus firmamentis, meritisque virtutum, & tantæ copiæ gratiarum debet se audere præponere, quia universalis Concilii admonitus firmitate, videt aliquid, quod ille non vidit; quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesia. Sicut nec Petri Apostoli meritis quisquam tam insanus est, ut se præponat, quia Pauli Apostoli edoctus litteris, & ipsius jam Ecclesiæ consuetudine roboratus, non cogit gentes judaizare, quod Petrus aliquando coegerat.„

Quid nunc primum querar? aut unde arguam? Ferent me, si dicam, Dallæum præter S. Cypriani mentem, ac verba, quæ in Epistola LXXIV.

 ad

(a) *Ibid. lib. IV. cap. IV. num. 4. pag. 124.*

(b) *Ib. cap. VI. num. 8. pag. 126.*

ad Pompeum exaravit, fingere, atque objicere, quod *doctrinæ, & traditionis Ecclesiasticæ canalis interruptus, aut bibulus factus est:* cujus doctrinæ, ac Traditionis interruptionem S. Martyr ibi nec posuit, nec docuit, quemadmodum in eadem Epistola jam exhibita cernere est: ubi dumtaxat prædictum *usum* non rebaptizandi Hæreticos interruptum fuisse, illa quidem similitudine, sed falsis dubitationibus inibi expressis voluit; ideoque censuit, *pergendum* esse *ad fontem*, sive *ad Originem Dominicam*, & *Evangelicam*, atque *ad Apostolicam Traditionem*, quæ Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, ac fidem præseferunt. Et quidem ad Originem illam, seu *fontem*, ut usus relati *canalis* inspiceretur, reverti Cyprianus adsignificavit: sed laudatæ *Doctrinæ*, fidei, ac *traditionis* canalem interruptum, aut *bibulum* factum esse non dixit. Vide igitur, argumentum, quod Dallæus assumit, a S. Martyre non esse prolatum, sed a Censore illo confictum. Quapropter Fidei Doctrina, in qua antiquissimum Christianismum Catholicum erasse Dallæus errando occentat, a Cypriano vetustissimo Scriptore haud interrupta credebatur; quippe qui, uti apud alterum ejus locum, & apud Augustinum legitur, in illa *obscurissima quæstione fluctuans*, tamen servabat *Ecclesiæ unitatem*, & *vinculum fidei:* ad quam proinde non pertinere eam causam, sed sibi *liberum* esse eum *usum* false arbitratus; adstituit, contrarios *humanæ contentionis*, ac non adeo doctrinæ *fidem* respicientis, errore laborasse. Cæterum *consuetudinem* non rebaptizandi Hæreticos ab *Apostolis traditam* esse, ac non interruptam, ostenditur & ex Stephano, cujus *fidem*, ac *Religionem* Cyprianus laudavit: & ex Eusebio, qui illam *contrariam consuetudinem* ex *Traditione invaluisse* asseruit; & ex Augustino testificante, quod ea *pristina consuetudo tenebatur* ab *Ecclesia Catholica*; in qua adeo interruptioni haud subjacuerat; ac propterea certissima credenda est. Non igitur in Catholico Christianismo ipsa *consuetudo*, *Traditio*, ac *Fides* interruptæ fuerunt.

Atque etiam Orthodoxa Ecclesia easdem Fidei vires, quibus tertio sæculo fruebatur, quarto & quinto ideo habuit; quia ipsa ex Cypriano, qui tertio ævo vixit, atque ex Augustino, qui quarto, & quinto nituit, erat non incorruptior, sed absolute *incorrupta:* & idcirco eam non minus virium in sequentibus temporibus, quam in superioribus, habuisse clarum est. Quamobrem ex S. Cypriani sensu non modo causæ nostræ non diffidimus, verum etiam hanc efficacius probamus, dum ex quarti sæculi Patribus Ecclesiam in Fide æque *incorruptam*, atque in tertio fuerat, tradentibus ipsius Ecclesiæ dogmata ostendimus.

Pergamus iterum ad fontem, sive ad Apostolicam Traditionem haud interruptam, ad quam tertio sæculo Cyprianus recurrit, cujusque vi præmonstratam consuetudinem minime abruptam fuisse Stephanus, Eusebius, & Augustinus indicarunt: qua ex re inferri potest, saltem ex tertii sæculi auctoribus fidei dogmata esse probanda: cui argumento reponimus, nos ex trium priorum sæculorum Patribus Orthodoxorum dogmatum, præsertim eorum, quæ contra recentes Heterodoxos defensitantur, probationem capere, ac demonstrare, quæ a Protestantibus hæresi negantur Romanæ Ecclesiæ, & Ca-

& Catholicæ dogmata, ea in scriptis trium vetustissimorum sæculorum clare tradita haberi, sicque illorum Hæreticorum causam non juvari, sed penitus dirui. Quum autem ex quarti sæculi Doctoribus illius probationis initia ducimus; non idcirco ad fontem, ad originem, ad traditionem ipsam non recurrimus; nec præter Cypriani mentem agimus; neque ipsis Heterodoxis profumus; verum eorum errores proterimus: quandoquidem sicuti Catholica secundi sæculi doctrina in tertio, ita tertii ævi Traditio in quarto refulsit: quam rationem munit S. Basilius Magnus supra commendatus, qui *antiquitatis* utique trium præcedentium sæculorum *Majestatem*, ac *Majorum Traditionem* a *Piis* quarti sæculi Catholicis *sine mutatione conservatam* esse præclare docet, eorumque *Piorum usu*, ac Doctrina commemoratum dogma commonstrat: ex qua proinde *Traditione*, quæ sæculo quarto vigebat, firmiter evincuntur ea Catholica dogmata: quæ etiamsi in Scriptorum, qui in tribus ævis prioribus enituere, voluminibus nequaquam existerent; vel si essent, uti reapse extant; non ideo eorum probatio, ac stabilimentum absurde, ac præpostere in tria subsequentia sæcula rejiciuntur, sive ex libris, quos horum ævorum Doctores concinnarunt, eliciuntur ob idipsum, quia ut *Majorum traditio* in quarto sæculo, ita quarti sæculi fides in quinto, ac reliquis integre perseveravit, sicuti adlegati Patres memoriæ commendarunt. Quapropter cum prænarratum dogma Eutychianæ hæresi adversum in aliquo Patrum tribus primis ævis florentium volumine existat: attamen Chalcedonense Concilium, & alii solum ex quarti, & quinti sæculi Doctoribus istud valide ostenderunt. Numquidnam hic præposteri, & absurdi ab adversario excogitati? absurdum sit, atque præposterum ipsum erroris portentum, utpote contra *antiquitatis majestatem* quarto sæculo eminentem, contra Patres eorum temporum *testes*, contraque Concilii Chalcedonensis, & S. Leonis Magni ante laudati doctrinas invectum.

Et quoniam Dallæus eo errore ductus, cum suis Romanorum Catholicorum, & Orthodoxæ fidei adversariis multo minus Patres vel quarto sæculo, vel quinto, vel sequenti claros, quam antiquiores æstimat, atque in causa, quam tuemur, illis fidem derogat & auctoritatem: in primis adversus illum brevi exhibebo S. Hieronymi Epistolam ad Pammachium; quam exaravit in eos, qui ipsius libros contra Joviniani hæresim, qua is nuptiis Virginitatem exæquabat, scriptos traduxerunt, quod S. Doctor iisdem operibus Jovinianum everterit potius, quam docuerit; quodque in ipsis tantam distantiam inter Virginitatem, ac nuptias fecerit, quanta est frumentum inter & hordeum: quarum criminationum priorem Hieronymus eo rejecit, quia *aliud est docere discipulum, aliud adversarium vincere:* quam rem simul ostendit ex Græcorum Patrum, qui eo oppugnandi modo usi sunt, aliquibus, nimirum ex *Origene*, (*a*) *Methodio*, & *Eusebio*, exque *latinis Scriptoribus*, *Tertulliano*, *Cypriano*, *Minutio*, *Victorino*, *Lactantio*, *Hilario:*

(a) S. Hier. Epist. 47. pag. 220. & sequent.

rio : quibus, aliisque nuncupatis, contra alteram sugillationem Hieronymus, S. Ambrosium ita adlegavit: (*a*) *quod si cui asperum, & reprehensione dignum videtur, tantam nos inter Virginitatem, & nuptias fecisse distantiam, quanta inter frumentum, & hordeum est : legat S. Ambrosii de viduis librum, & inveniet illum inter cætera, quæ de Virginitate, & nuptiis disputavit, etiam hoc dixisse ..., & multa alia, quæ in tribus libellis de Virginitate latissime prosecutus est . Ex quibus universis perspicuum est, me nihil novi de Virginibus, nuptiisque dixisse; sed Majorum in omnibus sequutum esse sententiam, tam hujus videlicet, quam reliquorum, qui de Ecclesiasticis dogmatibus disputarunt*. Quamvis ergo secundi, ac tertii sæculi Patres, *Tertullianus*, *Origenes*, *Cyprianus*, aliique fuerint *S. Ambrosio* paulo antiquiores, nihilosecius illos, atque hunc quarti sæculi Patrem ipsorum antiquitati proxime accedentem, iisdemque supparem, non in inferiori, sed in eodem *Majorum* numero, locoque reposuit Hieronymus; qui non multo minus huic, quam illis tribuit, sed *tam hujus*, *quam reliquorum* illorum *sententiam*, quibus verbis authoritatis æqualitas significatur, *in omnibus* præcipue *in Ecclesiasticis dogmatibus secutus est* . Hæc erat quarti sæculi in quo eruditissimus Hieronymus floruit, doctrina; quæ utique errantem illam recentiorum Hæreticorum opinationem evellit; ac monstrat, ex quatuor priorum sæculorum Patribus æque *majoribus* Catholicorum dogmatum probationes sumi debere; quod uti principium posuimus, atque probavimus : quocirca S. Augustinus, sæpe commendatus non multo minus *Reticio Augustodunensi*, *Olympio*, *S. Basilio*, *S. Ambrosio*, cæterisque quarti sæculi Doctoribus, quam *S. Irenæo*, ac *S. Cypriano*, secundi, ac tertii ævi Patribus tribuit; sed illos æque, atque hos pependit; quippe quos cunctos *Catholicæ Fidei Defensores antiquos* appellavit, quo eorum omnium documentis Pelagianum errorem contereret; quem etiam *Catholica* illorum quarti sæculi authorum *antiquitate subvertit;* quæ proinde non minus, quam orthodoxa istorum secundi, ac tertii sæculi Patrum doctrina, æstimanda est; quum ad priorum vetustatem *antiquitas* consequentium propius accesserit. Atque ephesina Synodus (*b*) æcumenica anno 431. celebrata non minus ex *S. Cypriano*, ac *S. Petro* Alexandrino, qui labente tertio sæculo emicuit, & sub quarti initia Martyrium subiit, quam ex S. Athanasio, Hilario, aliisque sæculi quarti Scriptoribus Nestorii hæresim refellit. Hinc quintum Concilium generale postquam allata fidei Confessione *Patrum, qui per diversa tempora*, utique priora, & posteriora, *in Dei Ecclesia splenduerunt*, *fidem* collaudavit : ibi demum adnexuit, se *per omnia sequi* & quarti, ac quinti sæculi *Doctores*, quos supra ex eadem Synodo recensuimus, & *omnia ab ipsis conscripta de recta Fide*, atque *in damnatione Hæreticorum:* ergo non multo minus subsequentibus

(a) *Pag.* 223.

(b) *Vide ejusdem Synodi actionem II. in qua Patres isti laudantur.*

bus, quam præcedentibus Patribus credendum, neve illis fides deroganda est; ac facrorum dogmatum probationes, confirmationesque ex eorum subsequentium sæculorum Patribus recte petuntur; utpote quorum *sententiam*, ac *fidem* Patres ipsi, & generalia Concilia antiquitus iisdem tribus sæculis *sequuta* fuerint. Secus etiam ex quatuor primis generalibus Synodis, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, atque ex quinto Concilio Œcumenico, quæ Concilia vel quarto, vel quinto, vel sexto sæculo acta fuere, aliquorum Fidei dogmatum comprobationes sumi nequirent, & multo minus istarum Patres, quam antecedentes Scriptores Ecclesiastici, æstimandi essent, iisque ipsis Fides nequaquam præstanda; quod non solum maxime absonum, & erroneum est, verumetiam S. Gregorio Magno oppositum; qui labente sæculo sexto ad summum Pontificatum assumptus in Epistola ad Joannem Constantinopolitanum Antistitem, & cæteros Patriarchas de Fidei professione sic agit: (a)*quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor; Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum, in quo Eunomii, & Macedonii error convincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio: Quia in his, velut in quadrato lapide, Sanctæ Fidei structura consurgit ... quintum quoque Concilium pariter veneror ... quisquis ergo aliter sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum Synodorum Fidem tenet, pax ei sit a Deo*, quam ob sententiam in *sanctæ fidei structura* non multo minus, sed *sicut quatuor Evangelii libros*, quos Sancti Evangelistæ præcedenti, primove Ecclesiæ sæculo conscripserunt, *sic ea quatuor Concilia* subsequentibus sæculis, quarto, & quinto, celebrata, atque etiam *quintum Concilium* sexto sæculo coactum, *suscipere* debemus, ac *venerari*. Ergo & trium subsequentium sæculorum, ac prædictarum Synodorum Patres non multo minus, quam trium antecedentium ævorum auctores, sed *sicut* istos, *sic* illos in ejusdem *Fidei* doctrina sequamur, & uti ex istis, ita ex illis Catholicorum dogmatum probationes, confirmationesque capiamus, oportet: alioqui nec eorum *Synodorum fidem tenere* possemus; quod & hæresi haud vacat, & ipsi Gregorio, aliisque Patribus illas Synodos commendantibus, ac pluribus nuperis Heterodoxis easdem amplectentibus, plane adversatur.

Quoniam de his satis actum est: redeo ad trium priorum sæculorum Patres; quorum vel scripta, vel fragmenta ad tollendas eas, quæ tamen jam diremptæ sunt, controversias contra priscos Hæreticos, ac nuperos Protestantes valent; quæ plura esse, non paucula, res ipsa docet, ac sic istud posterius inficiamur, non, ut Dallæus supponit, ultro damus: Primum enim quamvis

(a) S. Greg. M. lib. 1. Epist. indict. IX.. ep. 25. pag. 515. Tom. II. nov. Ven. Edit.

vis aliquot fideles primis illis sæculis voluerint, fidem Catholicam fulgore vitæ, & sanguine, quem constanter pro Christo effundebant, in hominum cordibus inscribere: nihilominus plerique eorum temporum orthodoxi id satis non habuerunt; verum etiam scriptis veram fidem tueri, exponere, ac propagare adamarunt, per continuas, quibus afflictabantur, calamitates a scribendo minime avocati, quod iis tum licuisse, ipse Dallæus adversus seipsum commonstrat illis Patribus ab semet relatis, qui ob persecutiones, vel hæreses, vel alias ob causas, quæ tribus ipsis sæculis exortæ fuerant, ad scribendum excitati, multa opera conscripsere. Sic Quadratus Atheniensis, & Aristides, aliique Apologias pro Christianis, & Castor Agrippa opus contra Basilidis Hæretici Libros viginti quatuor, atque Hegesippus Libros quinque Commentariorum: ac Melito Sardensis Episcopus, Dionysius Corinthius, Apollinaris Hierapolitanus, Pinytus Cretensis, Philippus, Modestus, Pantænus, Rhodon, Miltiades, Hippolythus, Serapion, Julius Africanus, Dionysius Alexandrinus, ac reliqui plures Libros, plurosque litteras iisdem gravissimis persecutionum temporibus exararunt; quo liquido appareat, multos earum ætatum Fideles, morum honestate, ac pluribus, non perpaucis, scriptis, vel etiam Sanguine, quem pro Christo Jesu fuderunt, explenduisse; ac Dallæum sibi non constantem falsa contexere.

Hoc quoque Origenes ab ipso adversario prolatus significavit; qui aliter, quam ille exhibet, loquutus est in librorum contra Celsum Editorum Præfatione; ubi Ambrosio postulanti, ut criminationes, quas idem Philosophus Ethnicus in Christianos conflarat, dilueret; Origenes ista respondit: (a) *Salvator, ac Dominus noster Jesus Christus, quum falsis premebatur testimoniis, obticuit; ad crimina objecta nihil respondit; quippe qui persuasum habebat, tota vita sua, rebusque inter Judæos gestis melius falsa testimonia dilui, & crimina repelli, quam si ullis se Sermonibus defendisset. Tu vero, pie Ambrosi, nescio, qua causa volueris me depellere calumnias, & criminationes, quas contra Christianos, Ecclesiarumque Fidem scripto Celsus edidit: quasi eas aperte non falsi convincerent res ipsæ, nec eas obtereret doctrina quovis scripto præstantior, & quæ ne illis quidem ullam probabilitatem relinquit, qua quicquam virium habeant. Jam vero Jesum tacuisse, quum falsa contra illum dicta testimonia sunt, satis in præsenti constabit ex Matthæi verbis, quibus fere similia scripsit Marcus. Matthæi verba hæc sunt:* (b) Princeps autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum .... & quum accusaretur a Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis quanta adversum Te dicunt testimonia? & non respondit ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer .. *Atque etiam erat quod vel mediocriter prudentes admirarentur, qui falso accusatus se ipse defendere, nulliusque sceleris reum se demon-*

(a) *Orig. Præfat. ad lib. cont. Celsum pag.* 115. *Tom. I. noviss. Paris. Edit.*

(b) *Matth.* 26. 59.

monstrare, qui vitæ suæ laudes, virtutesque vere divinas prædicare poterat, quo viam judici ad æquiorem sententiam aperiret, eum hæc non modo non fecisse, sed etiam despexisse, & magno animo contempsisse accusatores. Nam Jesum a Judice sine mora absolvendum fuisse, si quid ad propulsandas criminationes dixisset, perspicuum est ex iis, quæ Pilatus dixisse memoratur : quem vultis ex duobus dimittam vobis? (*a*) Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? *Et ex his, quæ proxime sequuntur*, sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. (*b*) *Jesus igitur falsis testimoniis præmitur ; & quia semper inest hominibus malitia, semper accusatur. Silet quidem ad hæc Hodieque, nec quicquam voce respondet, sed germanorum discipulorum ejus vita defenditur. Hæc enim falsorum testium perfidia validior falsa testimonia, calumniasque redarguit, atque evertit. Quamobrem affirmare non dubito, quam a me defensionem parari postulatis, ea illam* τινανι *discuti, quæ rebus, & factis constat, simulque illam Jesu potentiam, quæ non omnino stupidis evidenter apparet. Tamen ne tua jussa detrectare videar, conatus sum pro viribus ad singula, quæ Celsus objicit, id respondere, quod ea evertere visum est : tametsi non arbitror, ullum e Fidelibus esse, qui scriptis ejus commoveri queat. Nam prohibeat Deus, ut quisquam sit, qui postquam tantam Charitatem Dei in Christo Jesu, Verbis Celsi, ejusve similium a proposito dimoveri possit. Ac neque Paulus inter innumeras illas res, quæ alios a charitate Christi, & a charitate Dei,*

Differt. I.

(a) Ib. 17. (b) Ibid. 18.

quæ est in Christo Jesu separare solent, sed quæ superaverat illa, quæ ipse ardebat, charitas, sermonem non recensuit. (*c*) *Adverte enim primum illum dicere :* quis nos separabit a charitate Christi? An tribulatio? an angustia? an persecutio? an gladius?.. sed in his omnibus supervincimus propter eum, qui dilexit nos. *Secundo loco enumerat alia, quæ parum firmos in pietate plerumque separant ... ac nos quidem gloriari æquum fuerit, si nec tribulatio, nec alia, quæ post illam enumerantur incommoda, nos avellant : non item Paulum, & Apostolos, aut si quis alius illis evasit similis .... quare mihi nequaquam placeret is, cujus fides in Christum aut scriptis Celsi, qui defunctus jam pridem hanc vitam vivere desiit, aut alia sermonis probabilitate subverti posset. Nec scio, quo loco habendus ille esset, cui scripta opus essent, quibus se adversus Celsi contra Christianos criminationes muniret, averteret ea, quæ fidem convellere possent, & in ea sese confirmaret. Attamen quia fieri potest, ut in vulgo fidelium reperiantur, quibus exitio esse possent Celsi scripta ; saluti autem defensio, quæ dilueret Celsi calumnias, & stabiliret veritatem, statui tua jussa capessere, scriptumque, quod ad me misisti, confutare : quod quidem scripta licet inscribatur a Celso,* sermo verus ; *neminem tamen puto, si modo in philosophia tantulum profecit, hanc illi laudem concessurum fore. Sane Paulus, cui non latebat multa esse in Philosophia Græcorum non contemnenda, immo quæ tametsi falsa, specie tamen veri multis fucum facere possint, sic de illis loquitur :* Videte,

H ne

(b) Rom. 8. 35.

ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. (*a*) *Et cernens in sermonibus sapientiæ* hujus mundi *videri quiddam magnificum*, *dixit*, *Philosophorum illorum sermones esse* secundum elementa hujus mundi. *At Celsi scripta nemo sanæ mentis dixerit esse* secundum elementa hujus mundi.

Ubi nunc est illud, quod eo loci „ eleganter docet Origenes, Chri-„ stianismum vitæ innocentia, mo-„ rumque honestate potius, quam „ pigmentis oratoriis, propagari, „ & retineri debere „? Hæc enim Origenes in ea Præfatione non posuit, cujus multa exhibuimus, ac cætera, quæ ad causam, quam pertractamus, minime pertinent, missa fecimus; quisque ut sive in adlatis Origenis verbis, sive in reliquis prætermissis, cernere queat, illud dictum a solo Dallæo productum esse, non ab Origene exaratum: qui tertii sæculi scriptor inibi docuit, *Christum Dominum falsis testimoniis*, quæ adversus ipsum Hebræi impie exciebant, *nihil respondisse; rebusque inter Judæos gestis*, nimirum miraculis, & documentis cœlestibus, *falsa testimonia melius*, *quam si ullis se sermonibus defendisset*, ab eo *repulsa esse:* ideoque *calumnias*, & *criminationes*, quas *contra Christianos*, *Ecclesiarumque fidem scriptis Celsus edidit*, *obteri veritate*, ac *doctrina;* quam utique *germani Salvatoris Discipuli* aut scripturis ab ipso Origene adlegatis, aut vocibus proposuerunt, quæ sane *quovis scripto* alieno *præstantiora* creduntur.

Et quamquam vitæ innocentia, morumque honestate, quas in præfatione Origenes haud nominavit, plerique fideles præditi fuerunt: certe hosce non illis solis virtutibus, sed quoque *Ecclesiarum fide*, ac *doctrina* Origenes tuitus est; quam contra Celsum etiam scriptis mandavit, non usus Oratoriis pigmentis, de quibus inibi ne verbum quidem ille fecit, quæ proinde Dallæus comminiscitur. Atque idem ille vetustus auctor *arbitratus est*, ea, quæ de *Christi potentia*, *rebus*, ac *factis constabant*, Apologeticis libris *discuti*, sive in examen revocari, ideoque illos scribi non oportere; quia isthæc *evidenter apparebant*. Verum quod iidem libri Celsi *criminationes everterent*, *&* *veritatem stabilirent;* ac *ne* cui Celsi opera *exitio esse possent:* idcirco melius Origeni *visum* est, libros illos Apologeticos exarare: a quorum compositione *incommoda*, & calamitates, quæ eo tempore effervescebant, Origenem non removerunt; qui adversus Dallæum inibi addidit, quod uti *neque Paulus* Apostolus *inter tribulationem*, *angustiam*, ac *persecutionem non recensuit sermonem* utique scriptum, atque ab Origine adlatum: ita eadem incommoda a conscribendis libris nec Origenem ipsum, nec quemlibet alium *avellebant;* atque ita Christianis per continuas quibus affligebantur calamitates ad scribendos libros animum appellere non licuisse, Dallæus contra Origenem ab se citatum falso adstruit. (*b*) *Non* igitur *Paulus*, *non Apostoli*, non

(a) *Colofs.* 2. 6.

(b) Hinc non pigmentis oratoriis, nec sola vitæ honestate, sed etiam scriptis multi fideles Christianam religionem propagarunt: tametsi aliqui Patres arte Oratoria usi sunt ad Ethnicos, qui eam adhibebant, revincendos.

non *alius* iis *similis*, non Origenes ipse *inter tribulationes* de libris scribendis parum curarunt; sed catholica *doctrina* aut scripta, aut tradita Christianam religionem propagarunt, ac defenderunt.

Atenim Dallæus sacra Apostolorum volumina excipiens; perpaucos illorum primorum temporum, sive priorum trium sæculorum Ecclesiasticos libris conscribendis operam dedisse causatur; quem nuperum censorem non tam admiror, quod falsum scribat; quam quod id certum esse ex Eusebio putat; qui tamen *nonnullos* quarundam Ecclesiæ rerum scriptores; & *complures*, qui *scriptis* fidem defenderunt, & S. Scripturas enodarunt, producit; horumque multitudine non certam, sed falsitatis plenam Censoris opinationem sane commonstrat.

Hæc ut magis elucescant, utque Censoris oppositio diluatur: necessum est, & illa, quæ Eusebii textum, quo adversarius abutitur, antecedunt, pluresque illarum ætatum auctores, ab eodem Eusebio dehinc recensitos indigitant, & ea, quæ consequuntur, referre ex libri 1. Historiæ Ecclesiasticæ capite 1. ubi vetustus ille Historicus ipsius operis institutum exponit his verbis: (*a*) *quum Sanctorum Apostolorum successiones, ac temporum seriem, quæ a Servatore nostro ad nos usque effluxerunt, scribere instituerim: quot præterea, quantæque res in Ecclesia gestæ a Scriptoribus nostris commemorentur: qui præcipue in celeberrimis Civitatibus eidem Ecclesiæ præfuerint: qui subinde per ordinem tem-rum sua quisque ætate verbum Dei vel voce, vel scripto prædicaverint: qui etiam quibusque temporibus homines novandi cupiditate ad maximos errores delapsi, falsæ doctrinæ auctores professi sint, Christi gregem quasi lupi gravissime infestantes: ad hæc quantæ calamitates universam Judæorum gentem obstructas Servatori nostro insidias statim consecutæ sint: quoties etiam, & quibus modis, ac temporibus Christiana religio a Gentibus impugnata sit: & qui tum superiori memoria pro illius defensione tormenta, ac mortem ipsam perpessi, fortissime certaverunt: tum quæ nostra ætate martyria consummata sint: postremo quam propitium, ac benignum Servatoris nostri præsidium nobis demum adfuisset: hæc, inquam, omnia quum scribere instituerim, non aliunde, quam ab ipsa Servatoris, ac Domini nostri Jesu Christi Incarnatione initium ducam. Porro in ipso statim vestibulo veniam nobis dari nostra poscit Oratio, quippe qui ingenue fateamur, majus esse nostris viribus opus hoc, quod polliciti sumus, integrum, atque omni ex parte perfectum exhibere. Primi enim hoc argumentum aggressi;* Οἷα τινὰ ἐρήμην καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦντες *novam quandam, nullisque adhuc vestigiis tritam viam incedere nunc tentamus: Deum quidem itineris Ducem... fore sperantes, optantesque:* ἀνθρώπων γε[illegible] οὐδαμῶς [illegible] *ne latum quidem hominum vestigium reperientes, qui ante nos viam illam calcaverint:* ἢ ὅτι *nisi quod nonnulli rerum, quæ sua ætate contigerunt, exiguas quasdam, & particulares narrationes sparsim nobis reliquerunt, tanquam faces quas-*

(b) Pag. 1.

quasdam nobis eminus attollentes, qua via incedere, & quomodo Sermonis nostri cursum tuto dirigere debeamus. Quæcumque igitur proposito opera profutura esse credidimus, ex his, quæ ab illis sparsim commemorata sunt, studiose colligentes, aptosque instituto nostro locos, velut flosculos ex Sapientiæ pratis decerpentes, Historica narratione in unum Corpus compingere conabimur. Ac postquam in quibusdam libri III. capitibus Sacras Apostolorum Scripturas dinumeravit: tum libri IV. capite VII. *falsæ Doctrinæ*, sive hæresis Duces Adriani I. Imperatoris temporibus viventes, de quibus in priori illo libri I. capite mentionem fecerat, recenset, & contra illorum hæresim scripsisse *plures* Ecclesiasticos ita denarrat: *Ceterum illis temporibus rursus veritas plures sui defensores in medium produxit, qui non solum viva voce, sed etiam scriptis disputationibus adversus impias hæreses decertarunt*. Tum libri ipsius IV. capite 21. complures Ecclesiasticos authores eodem capite I. designatos hoc pacto enumerat: „ iisdem temporibus in Ecclesia floruit Hegesippus, de quo in „ superioribus libris abunde jam dixi: & Dionysius Corinthiorum „ Episcopus: Philippus præterea & „ Apollinaris, ac Melito: Musanus „ etiam, & Modestus, ac postremo „ Irenæus: quorum omnium libri „ sinceræ Apostolicæ traditionis, ac „ veræ fidei Doctrinam continentes, ad nos usque pervenerunt „. Denique ut alios Eusebii locos prætermittam: is quoque libri V. capite 27. *plurima veterum Ecclesiasticorum*, quos Historiæ initio nominarat, *monumenta* sic exhibet (a): „ porro „ Veterum Ecclesiasticorum virorum, qui tunc temporis vixerunt, „ Plurima adhuc servantur apud multos laudabilis diligentiæ monumenta: eorum vero, quos ipsi dignoscere potuimus, hæc fere sunt: „ Heracliti Commentarii in Apostolum: Maximi quoque volumina de illa apud Hæreticos quæstione, unde sit malum; & de „ eo, quod materia facta sit: præterea Candidi in Hexaemeron, & „ Appionis de eodem argumento „ Commentarii: item Sexti liber de „ Resurrectione, & Arabiani opus „ quoddam, aliorumque complurium. „

Habeo igitur, quos opponam, textus Eusebii; qui sane ex illis græcis verbis non ait, quod *nullis superiorum trita esset via, quam capessebat*; sed cum exceptione dixit, quod *novam, nullisque adhuc vestigiis tritam viam incederet*, ac *ne latum quidem hominum vestigium reperiret: Nisi quod nonnulli exiguis particularibus narrationibus faces quasdam ei eminus attollerent, quomodo sermonis cursum dirigere deberet*. Ac proinde, aliqui ante Eusebium *narrationibus* illis *sparsim* operam navarunt; non tamen *in unum historicæ narrationis corpus* redegerunt, quot *Apostolorum*, ac præcipuorum Episcoporum *successiones* extiterint; quæ *temporum*, quæ a Servatore nostro ad Eusebii ætatem usque *effluxerant*, *series* fuerit; quot, quantæque *res* in *Ecclesia gestæ* sint; quot, quantisque calamitatibus Judæi ob *structas* Christo *insidias* involuti fuerint; quot Ecclesiastici Scriptores floruerint; quot

(a) Pag. 251.

quot demum martyria Christiani pro Fide perpessi sint. Ex quibus omnibus rebus, ac non aliunde Eusebii cura manavit, cunctas ut illas, aliasque etiam res in *uno* Historiæ *corpore* exararet. Non quia nulla lux ipsi affulserit, ac nulla ejusdem historiæ vestigia extiterint; *nulla* enim hæc cum illa particula excipiente, *nisi*, conjunxit: verum quod ordinatim, & late universa illa in eo uno corpore nequaquam repererit. Tu autem Censor scriptorum Ecclesiasticorum, qui tribus primis sæculis diluxerunt, multitudinem ab Eusebio inibi clare indicatam dimittis? ecce eos, qui *scripto verbum Dei prædicarunt*, *a nonnullis*, qui in Ecclesia res gestas scripserunt, secretos posuit, ac de utrisque scriptoribus, qui ab Apostolis distinguuntur, in historia subsequente se *scribere* protulit: atque in adductis ipsius Historiæ capitibus, non tantum sacra Apostolorum volumina, sed & *plures*, qui *adversus hæreses scriptis disputationibus decertarunt*; & plurium *libros*, in quibus *veræ fidei doctrina* continebatur; & *plurima veterum Ecclesiasticorum monumenta*, *quæ apud multos servabantur*, expresse descripsit. Ergo magnam hanc authorum, monumentorumque copiam in illo priori capite haud obscure significavit; quippe in quo de istis se scripturum promiserit. Quomodo igitur pro certo sumis, eorum primorum temporum spatio perpaucos libris conscribendis operam dedisse, hincque eam Eusebii sollicitudinem, qua Ecclesiasticam historiam exaravit, profluxisse? Falsa hæc, non certa esse ex eodem Eusebio liquet; cujus sollicitudo non manavit ab Ecclesiasticorum operum quæ ab Apostolicis scripturis secernuntur, paucitate, ut quæ *plurima* fuisse affirmarit: sed ab illa *temporum*, *gestorum*, & *complurium* veterum *scriptorum* serie, atque ab Ecclesiæ historia conjunctim, ordinate, & latius haudquaquam descripta, ortum habuit, & causam.

Nunc autem venio ad fictum crimen gravissimum, & falsissimam Dallæi suspicionem; quæ quum injuste admirationem extorqueat; stupor est in verbis, non ratio, non conjectura, non vis in argumento. Quamquam enim aliquot illorum Veterum, quos ipse dinumerat, libri, vel hominum negligentia, vel infidelium audacia vel incendiorum casu, vel denique temporum injuria perierint; nihilo secius plura celebriorum ex illis authoribus fragmenta apud Eusebium supersunt: (*a*) qui in Historia Ecclesiastica cum exhibet orationis illius, quam Quadratus pro defensione religionis nostræ conscripserat, monumentum, quo is Servatoris nostri miracula *vera* esse monstravit: (*b*) tum quoddam Castoris Agrippæ dictum, quo Basilidis hæresim notam fecit: (*c*) tum aliquod Hegesippi scriptum de bello judaico, & aliud subinde jam memoratum: (*d*) tum Epistolæ, quam Dionysius Corinthiorum Episcopus Soteri Romano Pontifici nuncupavit, testificationem, qua ille morem, institutumque Romanorum Ecclesiasticorum laudibus extulit, (*e*) Clementisque I. Romani Præsulis Epistolam I. ad Corinthios celebravit:

(*a*) *Euseb. lib. IV. Hist. Eccl. cap. 3. pag. 120.*
(*b*) *Ib. cap. 7. pag. 118.*
(*c*) *Cap. 8. pag. 130.*
(*d*) *Cap. 22. pag. 157.*
(*e*) *Cap. 23. pag. 159.*

vit: ac Melitonis Sardensis monumenta, quibus iste aut Christianos tuitus est, aut aliquot Sacras Scripturas recensuit: atque ex Rhodonis libris quoddam scriptum, (*a*) quo is Marcionis, ejusque sectatorum, & Apellis hæreses repræsentavit. Præterea Historicus ille, exhibito Miltiadis (*b*) testimonio contra Montani Hæresiarchæ pseudoprophetiam, adducit longum Apollonii Scriptoris Ecclesiastici fragmentum ex volumine, (*c*) quod iste adversus Montanistas condidit, cujus nonnulla verba infra afferemus: itidem Serapionis (*d*) *sententiam* de eorumdem Cataphrygarum hæresi, & quædam alia ejusdem Serapionis *verba* ex hujusce libro desumpta, quo (*e*) *Evangelium Petri* esse adulterinum, ut suo loco dicetur, probavit. Ac quoque producit fere integram (*f*) Julii Africani ad Aristidem Epistolam de consensu Evangeliorum in stirpe Christi narranda (*g*): & propemodum integram Polycratis Ephesiorum Episcopi Epistolam ad Victorem R. Pontificem de Paschatis die: (*h*) atque etiam integram S. Dionysii Alexandrini Antistitis Epistolam ad Novatum de schismate: alia etiam illustria ejusdem Epistolarum, quas de Hæreticorum baptismate scripsit ad Sixtum Romanæ urbis Episcopum, (*i*) monumenta: & ampla ipsius vel librorum, vel Epistolarum, ex quibus aliquæ integræ existunt, fragmenta: denique alia aliorum Ecclesiasticorum scripta argumenta, quibus vel Christi fidem declararunt, aut res Ecclesiasticas descripserunt. Quis ergo neutiquam cernit, falsa a Dallæo obtrudi, quum dicit, illorum nuda nomina, & titulos apud Eusebium superesse? ut enim nonnullorum ex iis, quos ipse profert, inscriptiones in Eusebii historia Ecclesiastica tantummodo extare concedam; tamen non paucæ eorum, qui etiam a censore nuncupantur, quosque modo laudavimus, monumenta, quibus ipsorum dicta, ac sensa continentur, apud Historicum ipsum supersunt. Quid ita? Quia nulla apparet alia ratio, nisi quod nullum fidelium studium in hisce omnino supprimendis adhibitum fuit; utpote qui istos plures celebriorum Scriptorum labores potius, quam non pauca authorum in quibusdam multo deteriorum opera penitus intercidere passi non sint. Proindeque dubitandum non est, quin ipsis Christianis fraudis, dolive crimen false imponatur, qui ne habebant quidem, nec habent ulla a primo Christianismo diversitatis argumenta; quum illorum Patrum, qui in prioribus Christianismi temporibus scripserunt, aliquot monumenta prorsus abolita haud sint, sed certissime extent.

Atque ut hoc ipsum eodem exemplo, quod Dallæus ostentat, monstremus; utque ejus censuræ falsitas elucescat: mirum est, quod adversarius ipse confingat, „ Apollonii „ viri inter Catholicos laudatissimi „ nihil ad nos pervenisse; „ quod fal-

(a) *Lib. v. cap. 23. pag. 194.*
(b) *Lib. v. cap. 16. pag. 201.*
(c) *Lib. v. cap. 18. pag. 202.*
(d) *Lib. v. cap. 19. pag. 204.*
(e) *Lib. vi. cap. 12. pag. 234.*
(f) *Lib. 1. cap. 7. pag. 12.*
(g) *Lib. v. cap. 24. pag. 211.*
(h) *Lib. vi. cap. 45. pag. 278.*
(i) *Lib. vii. cap. 9. pag. 288. & alibi.*

falsissimum est: quandoquidem apud Eusebii Historiam Ecclesiasticam, uti monuimus, amplum Disputationis illius, quam Appollonius contra Montanistas pro Catholicis vel labente sæculo secundo, vel tertio ineunte concinnavit, superest fragmentum; cujus pars, atque etiam Tertulliani prætextus, aliorumque veterum testificationes adversus Dallæi argutationem Montanistarum jejunia, & Xerophagias immerito opponentem producendæ sunt.

Verum prius, quam istæ in medium proferantur, adnotandum censeo; quod Ecclesia Catholica unius Quadragesimæ jejunia ex Traditione Apostolica perpetuo coluit; ac Xerophagias, sive aridos cibos sex diebus ante Paschatis festum ex consuetudine mutabili, quæ tamen ipsius Ecclesiæ publica, & legitima authoritate a Christo accepta innitebatur, interdum adhibuit. Montanus autem Hæterodoxus privata sua, atque adeo inani potestate duas alias Quadragesimas, duasque alias Xerophagiarum Hebdomadas, excepto sabbatho, ad salutem necessarias esse, ideoque in uno, eodemque anno observandas, temere proposuit, & insuetis, extraordinariis, atque errantibus legibus importavit; quas leges, quas alias Xerophagias, quas alias Quadragesimas orthodoxa Ecclesia nunquam admisit; non quod aliis diebus jejunare non liceat; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate jejunia adhibere.

Hisce perpensis, adducam Apollonii verba ex Eusebio; qui prius significat Montanistarum errores, quibus ii Montanum ceu Paracletum impie venerabantur, secundas nuptias tanquam scortationes damnabant, Matrimonia dissolvebant, nova jejunia observanda statuebant, falsas prophetias dictitabant, aliaque effutiebant. Dehinc libri quinti Historiæ Ecclesiasticæ capite 18. insignem Apollonii locum sic exhibet: (a) *Sed & Apollonius Ecclesiasticus Scriptor supradictam Cataphrygarum hæresim adhuc sua ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversus eos volumen condidit, tum falsas prophetias, quæ ab illis circumferuntur, verbatim expendens, tum vitas, moresque eorum, qui hæresis illius authores fuerunt, discutiens, ac de Montano quidem audi, si placet, quæ dicat:* „ sed quisnam est „ Novus ille Doctor? Opera ejus, „ & Doctrina satis aperte produnt. „ Hic est, qui nuptiarum dissidia „ docuit, qui jejuniorum leges imposuit, qui Pepuzam, & Tymium Phrygiæ oppidula Hierusalem nominavit, ut cunctos undique homines eo convocaret, „ qui pecuniarum exactores constituit, qui sordidam munerum captationem oblationum nomine callide obvelavit, qui doctrinam „ suam prædicantibus salaria præbet, ut per fædam ventris ingluviem doctrina ejus convalescat. „ *Hæc ille de Montano: de Montani vero prophetissis aliquanto post loquitur in hunc modum:* „ ostendamus „ igitur, *inquit*, has principes prophetissas, simul ac spiritu impletæ sunt, viros suos dimisisse. „ Quantopere ergo mentiebantur, „ qui Priscam Virginem vocabant? *Deinde subjungit hæc verba:* „ Non „ tibi

(a) Pag. 202.

,, tibi videtur Scriptura universa
,, prohibere, ne Propheta munera,
,, & pecunias accipiat? quum igi-
,, tur videam, Prophetissam aurum,
,, & argentum, vestesque pretiosas
,, accepisse, quomodo eam non re-
,, pudiabo? *Et Paulo post de quodam ex eorum numero, qui Confessores apud ipsos habentur, hæc dicit:* ,, præ-
,, terea Themison speciosa avaritia
,, obvelatus, qui Confessionis signum
,, non pertulit, sed, magna pecu-
,, niæ vi erogata, vincula abjecit:
,, quum ob eam causam modestius
,, deinceps ac submissius agere de-
,, beret, tanquam martyr sese offe-
,, rens, ausus est exemplo Apostoli
,, conscripta Epistola Catholica, eos
,, quidem, qui Fideliores ipso ex-
,, stiterant, instituere, novæ autem
,, doctrinæ patrocinari, ac postre-
,, mo in Dominum, in Apostolos,
,, ac in sacrosanctam Ecclesiam im-
,, pie loqui. ,,

Sed Tertullianus in Montani errores delapsus, librum de jejuniis adversus Romanos Catholicos, quos Psychicos, sive animales falso, & inique vocabat, exaravit: ubi Paschatis nomine significavit totum illud quadraginta dierum intervallum, quod ante Pascha solemnibus jejuniis consecrabatur; quemadmodum Pentecostes nomine totum illud quinquaginta dierum spatium intellexit, quod a Paschatis festo ad solemnem usque Pentecostes diem decurrit. Ex eo autem antepaschali jejunio, quod ex Traditione Apostolica Catholici observabant, exque nonnullis Xerophagiis, quas iidem ex Ecclesiæ arbitrio prosequebantur, Tertullianus aliorum jejuniorum, aliarumque Xerophagiarum, quas Montanus invexerat, necessitatem sic perperam arguit: (*a*) ,, Quid ergo ces-
,, satis Paracletum, quem in Mon-
,, tano negatis, in Apicio credere?
,, Præscribitis constituta esse sole-
,, mnia huic Fidei Scripturis vel
,, Traditione Majorum, nihilque
,, observationis amplius adjiciendum
,, ob illicitum innovationis. State
,, in isto gradu, si potestis. Ecce
,, enim convenio vos & præter Pa-
,, scha jejunantes, citra illos dies,
,, quibus ablatus est sponsus, & sta-
,, tionum semijejunia interponentes,
,, & vero interdum pane, & aqua
,, victitantes, ut cuique visum est.
,, Denique respondetis hæc ex ar-
,, bitrio agenda, non ex imperio.
,, Movistis igitur gradum exceden-
,, do Traditionem, cum quæ non
,, sint constituta, obitis. Quale est
,, autem, ut tuo arbitrio permit-
,, tas, quod imperio Dei non das?
,, plus humanæ licebit voluntati,
,, quam Divinæ potestati? Ego me
,, sæculo, non Deo liberum memi-
,, ni: sic mecum est ultro officium
,, facere Domino, sicut indicere il-
,, lius est. Non tantum obsequi ei
,, debeo, sed & adulari: illud enim
,, imperio ejus, hoc arbitrio meo
,, præsto. Bene autem quod & Epi-
,, scopi universæ plebi mandare je-
,, junia assolent, non dico de indu-
,, stria stipium conferendarum, ut
,, vestræ capturæ est; sed interdum
,, & ex aliqua sollicitudinis Eccle-
,, siasticæ causa. Itaque si & ex ho-
,, minis edicto, & in unum omnes
,, ταπεινοφρόνησιν agitatis, quomodo
,, in nobis ipsam quoque unitatem
,, jejunationum, & Xerophagiarum
& sta-

(a) *Tertull. lib. de jejuniis cap.* XII. *&* XIII. *&* XIV. *&* XV. *pag.* 551.

„ & stationum denotatis? nisi forte „ in Senatus consulta, & in principum mandata coitionibus opposita delinquimus. Spiritus Sanctus, quum in quibus vellet terris, & per quos vellet prædicare, „ ex providentia imminentium, sive Ecclesiasticarum tentationum, „ sive mundialium plagarum, qua „ Paracletus, id est, advocatus, ad „ exorandum Judicem hujusmodi officiorum remedia mandabat. Puta nunc ad exercendam sobrietatis, & abstinentiæ disciplinam. „ Hunc qui recipimus, necessario „ etiam, quæ tunc constituit, observamus. Adspice ad judaicos fastos, & invenies nihil novum, si „ quæ Patribus sunt præcepta, omnis deinceps posteritas hæreditaria religione custodit. Aguntur „ præter ea per Græcias illa certis „ in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & „ ipsa repræsentatio totius nominis „ Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quam dignum „ Fide auspicante congregari undique ad Christum. Vide quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo „ tempore cum compluribus cænas. „ Conventus autem illi stationibus „ prius & jejunationibus operati; „ dolere cum dolentibus, & ita demum congaudere gaudentibus norunt. Si & ista solemnia, quibus „ tunc præsens patrocinatus est sermo, nos quoque in diversis Provinciis fungimur in spiritu invicem repræsentati. Lex est Sacramenti. Horum igitur tempora „ observantes, & dies, & menses, „ & annos, galaticamur. Plane si „ judaicarum ceremoniarum, si legalium solemnitatum observantes „ sumus: illas enim Apostolus dedocet, compescens veteris Testamenti in Christo sepulti perseverantiam, & Novi sistens. Quod „ si nova conditio in Christo, jam „ nova & solemnia esse debebunt, „ aut si omnem in totum devotionem temporum & dierum & mensium & annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? cur „ quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? Cur „ stationibus quartam, & sextam sabbathi dicamus, & jejuniis Parasceven? Quamquam vos etiam „ sabbatum si quando continuatis, „ nunquam nisi in Pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam, nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur. Nec ergo apud Apostolum differentiæ ratio, distinguentem nova & vetera. Sed & hic „ inæqualitas vestra ridebitur, quum „ vetustatum formam nobis exprobratis, in quo causam novitatis „ accusatis. Reprobat etiam illos, „ qui jubebant cibis abstinere; sed „ de providentia Spiritus Sancti prædamnans jam Hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos „ ad destruenda, & despicienda opera Creatoris: quales inveniam „ apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem; hodiernum „ de Pythagora Hæreticum, non apud Paracletum. Quantula est enim „ apud nos interdictio ciborum? „ Duas in anno Hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbathis, & Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab eis, quæ „ non rejicimus, sed differimus. „

Audiendus deinceps est S. Hieronymus, qui & illum Apollonii librum, ex quo aliquot ejus verba refert, & sex Tertulliani volumina *adversus Ecclesiam* edita, & septimum quoque volumen, quod iste *adversus Apollonium* scripserat, vidit, sicuti in virorum illustrium libro liquido innuit his verbis: (*a*) *Apollonius vir disertissimus, scripsit adversus Montanum, Priscam, & Maximillam insigne, & longum volumen, in quo asserit Montanum, & insanas vates ejus periisse suspendio, & multa alia, in quibus de Prisca, & Maximilla refert :* „ Si negant, „ eas accepisse munera, confiteantur „ non esse Prophetas, qui accipiunt; „ & mille hoc testibus approbabo. „ Sed & ex aliis fructibus probantur Prophetæ. Dic mihi, crinem „ fucat Propheta? Stibio oculos linit? Prophetæ vestibus & gemmis „ ornantur? Prophetes tabula ludit „ & tesseris? Propheta fænus accipit „ ? *Dicit in eodem libro quadragesimum esse annum usque ad tempus, quo ipse scribebat librum, ex quo hæresis Cataphrygarum habuerit exordium. Tertullianus sex voluminibus adversus Ecclesiam editis, quæ scripsit* περὶ ἐκστάσεως, *septimum proprie adversus Apollonium elaboravit, in quo omnia, quæ ille arguit, conanatur defendere. Floruit autem Apollonius sub Commodo Severoque Principibus.*

Et vero Hieronymus in Epistola ad Marcellam Montani errores ab orthodoxis dogmatibus, quæ catholici credebant, distinguens: inter alia hoc discriminis ponit (*b*): *Nos unam quadragesimam secundum Traditionem Apostolorum, toto nobis orbe congruo jejunamus: illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. Non quo & per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat: sed quod aliud sit Necessitate, aliud Voluntate munus offerre.*

Rursus idem S. Doctor Commentariis in Aggæum hæc istius Prophetæ verba, quod ad rem adtinet, sic interpretatur: (*c*) „ & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super „ vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super „ homines, & super jumenta, & „ super omnem laborem manuum „: (*d*) *pro siccitate septuaginta* μάχαιραν, *id est*, gladium *transtulerunt* ... infertur .. *gladius super montes elevantes se adversus scientiam Dei, & super frumentum, & vinum, & oleum, quibus quasi cibis, & potu & refectione Hæreticorum Conciliabula deceptis populis blandiuntur. Congrue quis dixerit, panem illorum esse panem luctus, & furorem Draconum esse vinum eorum, & furorem aspidum insanabilem ... Sed & alia, quæ absque authoritate, & testimonio Scripturarum quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei. Homines autem, & jumenta, vel* λογισμοὺς, *&* αἰσθήσεις, *id est, cogitationes, & sensus eorum accipiamus: vel certe rationabiles in eis, & irrationabiles, id est, doctos, & indoctos pariter, & omnem laborem manuum, & jejunia eorum, & observatio-*

(a) *S. Hier. in lib. de Vir. illustr. cap. 40. tom. 12. pag. 867.*
(b) *S. Hier. Ep. 42. tom. 2. pag. 187.*

(c) *Agg.* 1.
(d) *S. Hier. Comment. in Agg. cap. 1. Tom. 6. pag. 748. & seq.*

vationes varias, & *Chameunias*, *id est*, *humi dormitiones*. *Qui tribus Quadragesimis per annum jejunantes*, & ξηροφαγίαις *humiliantes animam suam*, & *vel maxime de Tatiani radice crescentes*, *super hujusccemodi laboribus audiunt*; „ Tanta passi estis „ sine causa „.

Theodoretus libri III. Hæreticarum Fabularum capite III. Hæresis, qua Cataphryges inflati fuerant, inventorem ita descripsit: (*a*) *Hæresim*, *quam Cataphrygas vocant*, *inchoavit Montanus regionis illius vico natus*, *cui nomen Ardaban*. *Hic dominandi cupiditate motus*, *Paracletum seipsum appellavit* .... *Et Pepuzæ vico Hierusalem nomen dedit*. *Hic & matrimonium solvi constituit*, & *Nova jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem introduxit*.

Est quisquam, qui cum hasce authoritates perspexerit, falsa illa *Diversitatis argumenta* a Dallæo obtrusa minime arguat? insigne enim Apollonii inter Catholicos laudatissimi monumentum, contraquam censor causatur, perennavit; quo idem Scriptor vetustus non modo falsas Montani prophetias, atque errationem, qua matrimonia solvebat; sed etiam *nova* ejusdem *jejunia* elisit, ajens: *quis est novus ille Doctor? Hic est* ..., *Qui jejuniorum leges imposuit*. Cur autem hæc tam gravia verba Tertulliani scriptum contra Orthodoxos Romanos brevi refutantia permanserunt, atque a Posteris Catholicis sublata, ac perempta nequaquam fuere? solum ea certior ratio, nedum probabilior, reddi potest; quod neque præposteras jejuniorum, ac Xerophagiarum leges, & disciplinas, quas in Montani partibus antiqui Patres damnaverant, iidem illi posteriores Orthodoxi receperint: neque ullam a primis Christianis differentiam, ullamque cum Montani, ac Tertulliani jejunii conformationem, habere voluerint: neque ulla fuerit ipsorum vel in Apollonium Civem veterum Defensorem negligentia, vel in Tertullianum deinde hostem præpostera Charitas: quoniam ipsi posteri Catholici illa *quædam* scripta Apollonii enuntiata, quibus Montanistarum jejunia, & Xerophagiæ funditus diruuntur, perire passi non sunt; nec proinde foverunt Tertulliani librum Montano faventem; nec Apollonii opus penitus aboleverunt, nolentes extare argumenta suæ a primo Christianismo diversitatis; quam Dallæus ut certam falso sumit; quum ex adverso illi posteriores orthodoxi illius voluminis, quod Apollonius edidit, partem meliorem, quæ primi Christianismi doctrinam contra Montanistas præfefert, certe servaverint. Quapropter dubitandum non est, quin Censoris argumentum sit commentitium; quod ipse ex Apollonii sententia, quæ superest, cognoscat, atque *miretur*.

Præterea adeo nulla est Tertullianei erroris Montanistarum jejunia, & Xerophagias exaggerantis conformatio cum prisca, & hodierna Romanæ Ecclesiæ Catholicæ traditione, ut idipsum Tertullianus allatus, Apollonius, Hieronymus, ac Theodoretus liquido probent. Etenim Tertullianus unius Quadragesimæ *constitutum* ut proprium vetustorum Romanorum Catholicorum dogma

(*a*) *Ibi Tom. IV. pag. 227.*

adſignificavit his verbis : *præſcribitis Scripturis, & Traditione majorum conſtituta eſſe ſolemnia huic Fidei, nunquam, niſi in Paſcha jejunandum, nihilque obſervationis*, quod videlicet alios quadraginta dies in *annuo Circulo* iterum, iterumque jejuniis colendos ſpectaret, *amplius adjiciendum propter illicitum innovationis*. Ergo cum unius Quadrageſimæ *præſcriptio*, tum ejusdem jejunia Romanorum Orthodoxorum erant propria, non Montaniſtarum: qui Hæretici etiamſi illam amplexi ſint, nihilominus eandem a vetuſtiſſimis Catholicis *præſcribentibus*, ac non adeo hi Orthodoxi a Montaniſtis, ſumpſere. In ea igitur una Quadrageſima non erranti Tertullianeæ doctrinæ, quæ Montaniſtarum eſt propria, ſed antiquioris Eccleſiæ Romanæ *præſcribentis traditioni*, quam ſcilicet a *majoribus* Apoſtolis acceperat, hodierna Catholica Eccleſia conformatur. Cum autem eam *Traditionem* Tertullianus ipſe poſtea in Montani hæreſim lapſus fateatur: cumque ſubinde futiles ſuorum jejuniorum leges, quas Montaniſtæ, non majores Orthodoxi, neve Apoſtoli, conferuerunt, perperam inferat: tum Pereſius, ac Turrianus ipſam *majorum traditionem* adverſus nuperos Hæreticos rectius adferunt; quia teſtimonium ab adverſario profectum, quo Eccleſiæ Catholicæ *præſcriptionem* Montaniſtarum jejuniis oppoſitam retulit, magnam vim habet, recenteſque Hæreticos premit: contra quos ea Tertulliani diſputatio inſtituta videtur ex ea parte, qua Catholicorum *Majorum traditionem* adducit; non ex alia, qua Montaniſtarum errores male tuetur: cujus Scriptoris Montaniſtæ erronea doctrina in eo ſita erat, quod alias *jejunationes*, ſive duas alias Quadrageſimas, & *duas Xerophagiarum Hebdomadas* obſervandas contenderet ex legibus a Paracleto latis; quas tamen a Montano *Novo Doctore*, ac non adeo a Spiritu Sancto, *impoſitas*, hodierna Eccleſia Romana cum Apollonio animadvertit, & averſatur. Hinc quamvis aliqui priſci Orthodoxi *interdum pane, & aqua*, aut *Xerophagiis victitarint*; ac *præter Paſcha portionalia jejunia*, ſive *ſtationum ſemijejunia*, quibus ad horam uſque nonam abſtinentia producebatur, interpoſuerint: attamen iſta *non ex imperio*, non ex lege, non duabus Hebdomadis; ſed ex aliqua indefinitorum dierum conſuetudine mutabili, *exque arbitrio, ut cuique viſum eſt*, adhibuerunt; innuentes, alia jejunia, & Xerophagias eſſe quidem licitas, ſed minime neceſſarias; ac proinde illum aliquarum Xerophagiarum uſum a *duabus* earumdem *Hebdomadibus*, quas nova, atque irrita Montani lege Cataphrygæ obſervabant, certiſſime diſcrepare; utpote quæ Tertullianus ipſe liquido diſcriminarit: qui etiam *quartæ, ſextæque Feriæ*, ac *Sabbathi*, ſive quatuor temporum jejunia; ac *Paraſceves*, & *Sabbathi jejunitatem*, ſeu Carnium abſtinentiam, qua Catholici uſi ſunt, & utuntur, ſecrevit ab illis duabus tum Quadrageſimis, tum Xerophagiarum Hebdomadis; in quibus Orthodoxi veteres *Differentiæ rationem*, & *cauſam novitatis* accuſabant; præſertim quum illas *neceſſario* obſervandas Montaniſtæ effutierint. Quocirca S. Hieronymus præter *unam quadrageſimam*, quam *ſecundum traditionem Apoſtolorum* Romana Catholica Eccleſia ſemper coluit, duas alias *Quadrageſimas*, & *Xerophagias*,

quas

quas Tatianus, & Montanus invexerant, reprobavit. Atque hæc eadem *nova jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem introducta* Theodoretus exposuit. Quæ omnia si Dallæus advertere voluisset, profecto haud confinxisset Tertullianeæ doctrinæ ac Montanisticæ cum hodierna Romana conformationem. Quandoquidem vel una in Quadragesima, vel in quatuor temporum jejuniis, vel in Parasceves, & sabbathi abstinentia congruentiam cum aliis duabus Montani, & Tertulliani Quadragesimis, cumque duabus Xerophagiarum Hebdomadis Ecclesia Catholica nec habet, nec docet, sed sequitur *Majorum* doctrinam, quæ Tertulliani illa omnia distinguentis *Novitati* opposita est. Quapropter Romani Orthodoxi non ex *duarum Hebdomadum lege*, quam Montanus effinxit, sed *ex arbitrio interdum*, & indiscriminatim vel Xerophagias, hoc est, aridos cibos, vel non aridos in jejuniis adhibent: in quo commendati Recentiores, aliique eam *differentiæ rationem* apertius vident; quam adversus omnem Tertullianeum errorem Catholici veteres attulerunt. *Differentia* igitur omnino est, non Tertullianeæ *novitatis* conformatio cum hodiernæ Romanæ Ecclesiæ *traditione*, cujus puritatem ab *Apostolis* hausit.

Omitte ergo propria Montanistarum jejunia: contemne ipsorum errores: agnosce id commentum esse, quod posteri Catholici volumen Apollonii ut sibi adversum resecuerint, ac Tertulliani scriptum de jejuniis ut sibi suffragans reservarunt. Illius enim operis magna pars, & celebris minime periit, qua Apollonius Montani errata reprobavit; quæ improbatio hodiernæ Ecclesiæ Romanæ illa repudianti admodum favet. Atque isto Tertulliani libro plura quidem *majorum* fidem declarantia, quæ ille Montanista sibi opposuit, continentur: sed hisce auctor idem errantes Montani positiones, quas Ecclesia Orthodoxa exsecratur, adjecit. Quare nec alias Operis ab Apollonio editi partes funditus tollere, nec Tertulliani librum *contra Ecclesiam* exaratum servare, posteriorum Catholicorum indoles fuit: qui proinde ipsum hujusce Montanistæ Librum nusquam, ut Dallæus criminatur, suum putarunt; id quod inculcatæ jejuniorum, & Xerophagiarum *differentiæ* liquido probant. Itaque hunc Tertulliani librum tempora asservarunt: illud autem integrum Apollonii volumen, non magnam ipsius operis partem laudatam absumpsere temporum eorumdem injuriæ.

Quam ob causam sequentium sæculorum Fideles multis *aliorum* priorum Patrum operibus perniciem vel attulisse, vel certe maturasse credendi non sunt; propterea quod plures eorum, quorum integra volumina deperdita sunt, loci in Eusebii Historia Eccclesiastica existunt; in quibus perspicitur quædam ratio mutabilis disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ uti in prioribus sæculis, ita in posterioribus graves ob causas inflexa est. Imprimisque ex iisdem Patrum fragmentis, quorum aliqua adlegavimus, & plura recensuimus, eruuntur argumenta unius immutabilis Fidei Christianæ, quam hodieque Ecclesia Catholica profitetur, ac docet. Cumque ista monumenta insignia supersint, etiam posteriorum sæculorum Catholici integros eos veterum libros suæ Fidei consonos haud sustulissent, sed conservassent; si ser-

servandi potestas Orthodoxis ipsis fuisset: qui sicut illos locos, præsertim extans Hegesippi fragmentum; ita integra volumina, ac præcipue hujusce commentarios neutiquam deleverunt.

Atque ut iterum ad Hegesippum, postea ad Papiam, veniam; admoto, quod primorum Christianorum Orthodoxorum simplicitas uniusmodi erat in una Apostolica Fide profitenda; quam Fidei unitatem non antiqui Heterodoxi, non recentiores Hæretici, qui in Fidei, morumque doctrina cum a Catholicis, tum inter sese maxime diffident, sed recentes Orthodoxi Romani sequuntur, ac venerantur: quorum proinde fides, simplicitas, ac doctrina a fidelibus primorum sæculorum moribus diversæ non sunt. At vero Dallæus objicit, quod posteri Catholici operibus Hegesippi, Papiæque perniciem attulerint; „ ne, si servarentur, eorum simplicitas, & aliena „ a sæculorum insequentium moribus fides recentiorum inventis „ fraudem faceret „: quæ argutatio errore involvitur & suppositione. Etenim servata sunt, & supra exhibita non pauca Hegesippi verba: quo teste quum priorum Ecclesiæ sæculorum simplicitas in eo constiterit, quod *plurimi* Episcopi *unam, eandemque fidei doctrinam* traderent: ab ea simplicitate unius doctrinæ professio, quæ nunc in Catholica Ecclesia colitur, aliena non est: ac sic ipsa fides Christiana „ recentiorum inventis, ac fraudibus „ invecta ab adversario impie supponitur. Qui Papiam quoque immerito obtendit; cujus veteris exemplo rursus oppositionem explodimus, remque magis, magisque enodamus. Siquidem Papias secundo sæculo notus, quamvis honore dignus, nihilominus ita *fuit mediocri admodum ingenio præditus*, ut, *non satis intellectis Apostolorum narrationibus*, errori de millenario in terris Christi regno, quemadmodum Eusebius narrat, (a) *occasionem præbuerit*: quam novam opinationem *multi* Orthodoxi antiquissimi, atque Apostolorum temporibus proximi *non agnoverunt*, S. Justino Martyre, qui Papiæ æqualis extitit, referente: qui, ut postmodum fusius dicemus, Tryphoni Judæo Christianorum sententiam eo de regno sciscitanti ita respondit: (b) *multos rursus, eosque ex illo Christianorum genere, quod piam, & puram sequitur sententiam, id non agnoscere, tibi significavi*. En *piam*, ac *puram* primorum *Christianorum sententiam* commento illi oppositam; quam amplectitur hodierna Ecclesia Romana: cujus proinde fides ut in eo dogmate, sic in reliquis, quæ ex antiquitatis Sacræ, & Ecclesiasticæ fontibus hauriuntur, a Veterum Catholicorum Fide, puritate, ac pietate minime distat. Num autem illi antiquiores Christiani secundo viventes sæculo, quoniam eorum rectæ sententiæ contraria erat Papiæ opinatio, idcirco hujusce librorum interitum aut tentarunt, aut maturarunt, aut eos intercidere haud inviti passi fuere? quis ista sibi confinxerit, quæ ne ullus quidem vetustus author memoriæ prodidit, neque aliquantulum indigitavit? Ergo

(a) Euseb. lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 39. pag. 119.

(b) S. Just. in Dial. cum Tryph. Jud. num. 80. pag. 177.

go Dallæus falsissime sumit, Papiæ fidem ab eo recentium Catholicorum dogmate longe diversam esse: istud quoque a primi Christianismi documento differre; ideoque eorumdem orthodoxorum, qui, ne illa diversitas agnosceretur, illius Scriptoris libris interitum fraudulentius maturarint, inventum videri. En falsitas: quandoquidem ea Papiæ opinatio non a Fidei simplicitate, sed ab ipsius *ingenio admodum mediocri* ortum habuit; cujus opinationis contrarium, rectumque dogma haud recentiorum Catholicorum inventum, sed primorum *Christianorum sententia* est; qui quum Papiæ scriptis quamvis oppositum erratum continentibus nullam perniciem fecerint: nec perinde eadem ipsa sequentium ætatum Orthodoxi sustulerunt, & falsissimum, non verum, neque verisimile Censoris argumentum ex diversitate commentitia, erutum demonstrarunt; vel quod nullus insequentium sæculorum Scriptor id facinus aut narrat, aut innuit. Quo generali silentio etiam probatur, nec vere, nec verisimiliter a nuperis Catholicis Apostolicæ *doctrinæ* unitatem sectantibus, Hegesippi, ac cæterorum volumina fuisse extincta: eoque magis, quod ii Patres recentium Catholicorum dogmatibus, sicuti partim vidimus, partim ex Eusebio, aliisque colligitur, suffragantur.

Quibus ex omnibus illud, quod proposuimus, efficitur, nimirum ex quatuor priorum sæculorum Patribus, quorum opera, vel operum fragmenta supersunt, Fidei assertiones, quas nunc Romana Catholica Ecclesia docet, probari; easque adeo non Recentiorum inventa, sed veterum Catholicorum dogmata esse. Quæ cum nuperi Orthodoxi minime excogitarint, atque ab antiquorum fide nequaquam abludant: certe iidem illi de aliquot deperditorum integrorum voluminum exitio, ut fraudem facerent, ac nova supponerent, neutiquam cogitarunt.

Sed Dallæus suum prius argumentum, quod dimiserat, quodque eliminavimus, recordatus, sibi repetendam censuit Operum, de quibus diximus, paucitatem: quorum tamen aliqua certa, & minime inquinata hic prætermisit; quæ quidem, ut illa, brevi recensenda sunt. Sane in eo censu sunt unæ S. Clementis I. litteræ ad Corinthios scriptæ, & septem S. Ignatii Antiocheni Episcopi, ac Martyris Epistolæ legitimæ, quas postea tuebimur: tum S. Polycarpi Smyrnensis Antistitis Epistola ad Philippenses; S. Justini Martyris Orationes, Apologiæ, ac Tractatus; S. Irenæi quinque libri adversus hæreses, & quædam Epistolæ; plura Tertulliani, & Clementis Alexandrini conscripta; nonnulla S. Dionysii Alexandrini, & S. Gregorii Thaumaturgi opuscula; ac plures S. Cypriani Martyris Epistolæ, & scripta. Quantum vero attinet ad hujus æqualem Origenem; profecto non ex isto uno plus lucis in re, qua de agimus, nobis oritur, quam ex cæteris illis jam dinumeratis: neque ab isto ipso potius, quam ab illis habemus, in quo acquiescamus. Eximia namque est illorum doctrina, qua Ecclesiæ dogmata tradiderunt; quibus consentiens Origenis authoritas non pluris, quam eorumdem eruditio, sed peræque æstimatur. Istius autem scriptoris non paucula, sed plura monumenta haud lacera, græce, & latine Parisiis nuper edita, atque a

pau-

pauculis ejus opufculis mifere immutatis fecreta, plane fuperfunt; quorum majorem partem, utpote extantem, non hominum invicia, non temporum injuria, non tot fæculorum, quot ab Origenis morte ad nos effluxerunt, vetuftas, aut fuperare, aut auferre valuerunt. Is quoque vir magni ingenii, & mirandi fuit: verumtamen aliquos in errores lapfus eft; quorum pœnitentiam, uti probabimus, egit; cujus propterea non errantia dicta, fed teftificationes plerifque Patribus confentientes amplectimur; hocque pacto Arnobium, Lactantium, atque Eufebium vel tertio fæculo claros fectamur.

Prætereo opera trium priorum ætatum Auctoribus fubdita, quæ in teftimoniorum ferie, quibus facra dogmata vincuntur, nullum tenent locum: quem tamen plura illa legitima Patrum tribus prioribus fæculis illuftrium occupant fcripta. At Cenfor ait, quarti, & quinti fæculi volumina, quæ majori numero, quam fuperiora, fuere, quæque ad nos ufque fælicius perennarunt, a priorum authoritate longius abeffe. Id ille pertendit hac erranti argutatione, quod admodum probabiliter Chriftianifmus univerfus doctrinæ labem paulatim contraxerit, ac fingulis fæculis de priftina, & nativa fua puritate quidpiam amiferit: quæ opinatio non probabilitatis, fed falfitatis plena eft & erroris, utpote adductis Patribus prorfus oppofita: quorum prior Tertullianus aperte teftatur, *verifimile* haud effe, *tot*, ac tantas orbis *Ecclefias* etiam prioribus *Apoftolicis* pofteriores *in unam fidem erraffe*, atque adeo nullo modo effe probabile, Chriftianifmo univerfo, five *Ecclefiæ Catholicæ*, quippe quæ *Apoftolorum fidem femper tenuit*, fidei labem fenfim illatam fuiffe; ipfumque Orthodoxum Chriftianifmum de nativa fua credendi Puritate vel levius decidiffe: cujus Fidei *certiffimam profeffionem*, & *antiquitatis majeftatem incorruptam ab Apoftolicis temporibus* ufque ad quarti, & quinti fæculi *tempus fimplici Puritate*, *citra mutationem*, *citra novitates*, citraque adeo maculas *Catholica Ecclefia fervavit;* atque ita doctrinarum corruptelis paulatim nequaquam adhæfit, deque priftina, & *fimplici veritatis* Fidei *Puritate* aliquid nunquam deperdidit: Hæretici vero *ab Ecclefiæ focietate feparati fua fe labe contaminarunt*, quemadmodum S. Epiphanius, S. Bafilius Magnus, & Capreolus, vel quarto, vel etiam quinto viventes fæculo, affirmant: contra quos eorum temporum teftes Dallæus, & aliqui Proteftantes ab ipfo citati falfum illud gignunt erratum. Quarti igitur, & quinti fæculi Patres a priorum fæculorum, Catholicorumque Scriptorum, quorum Fidem tradiderunt, authoritate longius non abfunt.

Quocirca Catholicis dogmatibus quarti, & quinti fæculi Patrum opera lumen præferunt; a quorum voluminum multitudine negotium metuendum effe, quam falfo Dallæus prædicet, licet hinc intelligat, quod magnus operum ante quartum fæculum a recenfitis compluribus Patribus exaratorum, eodemque quarto fæculo extantium numerus nullam moram attulit, quin Eufebius, ac S. Hieronymus vel longinquos fermones, vel breves authoritates aut ad probandos libros facros, aut ad quafdam hærefes revincendas, ex ipfis permultis libris adducerent ad

hæc

hæc Operum quarto, & quinto fæculo productorum, quæ hodieque exiftunt, copia Concilio Chalcedonenfi, cujus teftimonium jam memoravimus, negotium haud conflavit, quominus ex numerofis duorum iftorum fæculorum confcriptis authoritates adverfus Eutychianos eliceret.

Et vero S. Auguftinus duos trium priorum fæculorum Patres, Irenæum, & Cyprianum, ac multos fæculi quarti, & etiam quinti teftes contra Pelagianos collaudans, adfignificat, voluminum amiflorum inopiam, & vel minime magnum Operum, quæ trium priorum ætatum Patres edidere, vel ingentem confcriptorum a quarti & quinti fæculi Authoribus productorum numerum haudquaquam obftare, ne aut e paucis, aut ex multis Patrum libris fententiæ adverfus hærefes facile eruantur, ac ne quid negotii exhibeat non minus voluminum paucitas, quam horum multitudo, neve utraque in mora fit: quandoquidem ipfe Auguftinus nec ob pauca duorum priorum Patrum Opera Teftium inopia laboravit, nec fequentium multitudine obrutus fuit.

Veræ igitur non hominum, fed Chrifti fententiæ ab Apoftolis, Apoftolicifque Patribus, horumque fucceſſoribus traditæ, aut verborum, librorumque copia, aut filentio nunquam opprimuntur. Doceant enim cenforem adlegatæ S. Irenæi, S. Bafilii, S. Auguftini, Theodoreti, & Chalcedonenfis Synodi teftificationes, quanta aliquando fignificatione perobfcuris verborum ambagibus haud involuta, quanta fæpius doctrinæ claritudine, quantaque paffim verborum, & operum copia Catholicam fidem proponant. Qui Patres quamvis in medio Paganifmo quædam myfteria Divina quandoque tacuerint, nihilominus eadem, quæ Ecclefiæ Orthodoxæ Filiis, & adverfus Hæreticos, alioqui declarabant, infidelibus occulere, non filentio obruere, crediti funt. Non ergo aut vocum, & librorum ubertate, aut filentio fidei propofitiones obruuntur; fed vel illa exponuntur, vel ifto celantur.

Quæ poteft igitur difficultas eruditorum mentem præpedire, dum veram, & communem, five communiorem veterum fententiam de Fidei rebus capere fatagit? nulla fane. Quid? quum ipfi Patres adftruunt, eandem, atque unam fidem, eandem hujus doctrinam, eundemque ftatum effe: nonne ejusmodi funt, ut non diverfo doctrinæ Catholicæ genere, fed vario linguarum, ftylique modo, & quandoque pluribus unius rei imaginibus, atque rationibus, ac fæpe iisdem diſertius utantur? Loquuntur fuperiora; in quibus Irenæus, Cyprianus, aliique varia & imagine, & lingua, feu græca, feu latina, & multa ratione, fed uno documento peccati originalis extantiam defcribunt: quod monftrat, Patrum confenfum una Fidei doctrina, non femper eadem ejusdem rei imagine, ac ratione, uti Dallæus perperam poftulat, conceptum fuiffe: cui crebro eandem fere fpeciem fignificationis multi Patres Græci, & Latini tribuentes; non diverfo doctrinæ Orthodoxæ, fed fermonum genere Spiritus Sancti æqualitatem cum Patre, & Filio, & duas in Chrifto naturas, unamque Verbi Dei perfonam, & plura Fide cohærentia dogmata oftenderunt. Quo certum eft, in ea linguarum, ingeniorum, & circum-

ſtantiarum varietate ſæpe, non raro, duos, immo complures Patres occurrere; qui abſtruſa Chriſtianæ religionis myſteria aut imagine eadem, ac ratione, aut multiplici quidem, ſed eadem ſententia, unoque conſenſu mire concipiant. Proindeque illa varietas rem ipſam Fidei minime afficit; quia eadem unius Fidei capita ſine doctrinæ Catholicæ diverſitate iidem quatuor, vel quinque ſæculorum anteriorum veteres variis linguis, varioque ſtylo comprobant; quam rem ſapientes nullo negotio percipiunt, atque amplexantur.

§. IV.

Hæterodoxi Joannis Clerici prætextus, atque error diſſolvuntur.

FAlſitatem equidem perlevi retentam animo, gravibus teſtimoniis contrariam, & convictam ſuperioribus locis, conceſſuram arbitror veritati; cujus tanta eſt potentia, ut in rebus non exiguis modo, ſed etiam maximis ſeipſam ſua claritudine tueatur; quam tamen Joannes Clericus aſſequi nolens, ac Dallæum nequicquam defenſitans, Epiſtolam prætextibus, erroribusque refertam exaravit. Hujus verò non omnia verba, ac locos, qui ad rem quam tractamus, minime attingunt, ſed falſas rationes, quas ad ea, quæ diximus, obtendit, afferemus, & oppugnabimus.

Quum enim alter Hæreticus inibi de Patrum uſu, quem Dallæus invexit, agat: jam de ipſorum eruditione, ac teſtimonio, quæ æſtimari debent, hæc minus bene pronuntiat: (*a*) „ De illorum autem eruditione non ex fama, quæ fallax „ ſæpe eſt, ſed ex rebus ipſis, hoc „ eſt, ex eorum ſcriptis judicare de„ bemus. Videndum, an multa uti„ lia noſſent, quorum cognitio non„ niſi ab ingenio acuto, aut longo „ labore comparari poſſet: an ſci„ rent eruditione ſua uti; hoc eſt „ recte ratiocinari ex iis, quæ vera „ eſſe compererant, eaque adcura„ to ordine diſponere: an quæ no„ rant, poſſent ita exprimere, ut „ lectores doceant, delectent: an „ flectant, aut certe perſpicua co„ gnitione rerum, quas deſcribunt, „ illuſtrent. Alioqui ſi nec res ipſæ „ magnam eruditionem redoleant, „ nec ratiocinationes firmæ ſint, „ nec ordo earum commodus, nec „ dictio perſpicua, aut elegans, non „ video quid mirari in veteribus poſ„ ſimus, &c. tantis laudibus extol„ lere. „

„ Hodie eruditus nemo haberi „ queat, qui vulgaria tantum pro„ ferat, qui recte ratiocinandi regu„ las paſſim perfringat, qui nullo „ ordine utatur, qui nullam ſtyli, „ aut certe perſpicuitatis rationem „ habeat: nec intelligo, cur veli„ mus eruditionis laudem veteribus „ multis tribuere, in quorum ſcri„ ptis hæc omnia animadvertere li„ cet. Miſerrima profecto eſt hodie „ ſors noſtra, quibus ſine magno la„ bore, ſine ſingulari rerum delectu, „ ſine ratiocinationibus, in quibus „ nihil acutiſſimi Dialectici merito „ carpere poſſint, ſine adcurato or„ dine, ſtyloque minimum perſpi„ cuo, negatur eruditionis honos; fæli-

(a) *Jo. Cler. Ep. IV. Crit. pag. 101. & ſeq. volum. 3. Edit. Amſtel. an. 1710.*

„ fæliciſſima contra fuit veterum, „ quorum in multos, omnibus hiſce, aut maxima eorum parte deſtitutos, tantæ laudes congeſtæ „ fuerunt.

„ Ego vero, nec ſane ſolus, ut „ ingenue profitear, quod ſentio, „ cum de Patrum eruditione judicare adgredior, eadem menſura, „ ut ita dicam, utor, qua ſoleo „ Recentiorum eruditionem metiri; „ neque enim puto oportere eos melioris eſſe conditionis, quam nos. „ Quæ laudo, & miror in nuperis „ Scriptoribus, ea in antiquis eodem honore proſequor; quæ ſperno, aut rideo in recentiorum ſcriptis, ea non pluris facio, cum „ mihi occurrunt in veterum monumentis. Sane timerem, ne „ diſſimulationis inſimularer, aut „ iniquitatis, ſi laudarem in Irenæo, aut Cypriano exempli cauſa, quæ ſpernerem in Luthero, „ vel Calvino, aut viciſſim.„

„ Objiciet forte aliquis, veteribus non fuiſſe ſubſidia illa ſtudiorum, quæ nunc habemus, in tot „ libris ſumma arte, & adcurato „ ordine conſcriptis; quorum ope „ diſciplinas quaſvis facilius addiſcimus, quam illi poterant; „ nec dum etiam diſciplinas ipſas ad tantam perfectionem adductas fuiſſe, ad quam nunc ſunt, „ ideoque a Recentioribus plura „ jure exigi poſſe, quam a veteribus.„

„ Atqui ex hac objectione non „ obſcura liquet, eos, qui docti, „ atque veteres dicuntur, non eſſe „ æquiparandos iis, quibus idem elogium hoc noſtro tempore meri„ to tribuitur; ex quo conſequens „ eſt, ut eruditionis ſaltem cauſa „ pluris faciamus, magiſque revereamur noſtri ſæculi Scriptores, „ quam antiquos, ſi eruditio Recentiorum multo major ſit, quam „ priſcorum. Poſſumus laudare doctrinam veterum, ſi ita libeat; „ at pro modulo illius ætatis, non „ ita ut multum recentiorum eruditioni præferatur, quemadmodum ſolet a multis. Poſſumus „ ignoſcere delectui rerum parum „ ſevero, ratiocinationibus minus „ firmis, Ordini Confuſiori, ſtylo „ non ſatis caſtigato, nec perſpicuo: at hæc præferre iis, quæ „ contrariis ornamentis ingenii, judicii, eloquentiæ prædita ſunt, „ minime ſuſtinemus.

„ Miror in eruditionem veterum „ tantas laudes congeri, ut videatur multum ſuperaſſe ſummam „ doctrinam, & ad rectæ rationis „ normam exactam, quam in hodiernis nonnullis Scriptoribus laudamus. Sunt multi etiam, qui „ cum nihil ferme ex Patrum ſcriptis legerint, præter concinnas „ quaſdam, elegantes, piaſve ſententias, quibus viri eruditi ſolent, „ quaſi gemmis quibuſdam, ſcripta „ ſua exornare; judicant ex hiſce „ gnomis de integris Patrum libris, „ falſo putant omnia eſſe ſimilia, „ aut certe ad eas accedere, vimque ratiocinationum, & ordinis „ adcurationem ubique cum elegantia dictionis certare. Quod ſi nunquam eorum aliquot opera integra legant, quod permultis contingit; collectam ex ramentis illis aureis imaginem Patrum animo ſuo obverſantem nunquam „ mutant, nec ferre poſſunt eos, „ qui ex adtenta illorum lectione „ de iis aliter prorſus judicant. „ Quin etiam ſunt, qui eo animo „ Patres legunt, ut mirentur quid-

„ quid tandem in iis invenient ; „ utque judicium illud suum tueantur, ne videantur leves, neve „ tempus frustra absumpserint, pergunt ea laudare veterum scripta, „ quæ si a Recentioribus profecta „ essent, ab iis merito exsibilarentur. Contra, si quid non ita pridem scriptum sit, acri judicio, „ summaque ordinis, & sermonis „ elegantia ; continuo eos fastidire „ hoc videas, ideo tantum, quod „ nuper editum sit. „

„ Non dubito quin etiam multi „ eruditionem Patrum hodiernæ collatam jactent, ex mera invidia „ erga eos, qui ea aperire conantur, quæ clausa prioribus sæculis „ fuerant. Sed ut redeam ad id, „ quod modo dicebam, multa subsidia defuisse Patribus, quæ nobis „ nunc suppetunt, tametsi non diffiteor, nos paratiores esse a ratione, ac via veri investigandi, & „ inventi ordine proferendi, ac probandi ; tamen multa adfuere auxilia Patribus, quibus, si verum „ quæras, nescivere uti, & quibus „ nos bardi, ac stipites, si nonnullis credimus, egregie uteremur, „ si hodie nobis suppeterent. „

„ Innumeri nunc periere scriptores, ex quibus permulta haurire „ licuit pertinentia ad historiam, „ & mores gentium finitimarum „ populi Hebræi, quibus Historia „ Sacra potuisset illustrari. At cum „ eos evolvere licuerit veteribus, „ vix inspicere dignati sunt. Multos habuerunt Historicos Ægyptiorum, Tyriorum, & Babyloniorum, ex quibus Chronologiæ „ Sacræ non obscura lux affulsisset. „ Herodis vitam habuerunt a Nicolao Damasceno conscriptam, „ ex qua annum natalem Christi „ colligere potuerunt : sed perinde „ fuit, ac si non habuissent. At unde, inquies, nosti ex iis, quæ „ non vidisti, potuisse multa hauriri prætermissa, aut neglecta a „ Patribus, quæ prodessent cum Sacræ Scripturæ, tum etiam Chronologiæ intelligendæ? Hinc nimirum colligo, quod ex Scriptoribus, qui nobis supersunt, & ex „ deperditorum pauculis fragmentis, innumera sint a Chronologis „ recentioribus collecta, quæ universam antiquitatem fugerant ; „ idemque dicere liceat de Scripturæ nuperis interpretibus. Ope artis Criticæ, & Chronologiæ ex „ paucis fluviis, aut rivulis potius „ multo plura hausta sunt a recentioribus, quam ex universo innumerorum Scriptorum Oceano „ haustum unquam a veteribus fuerat. Quid ergo facere non potuissemus, si aditus nobis patuisset „ ad illa maria, quæ dudum prorsus exaruerunt? „

„ Habuerunt etiam veteres innumeros Philosophos, qui nunc interciderunt ; ex quorum scriptis „ multa, fateor, hauserunt, illustrandæ, ut putabant, religioni „ Christianæ idonea, ut vel ex Clemente Alexandrino, & Eusebio „ manifestum est. Sed si rem accurate pensitemus, non est, cur „ magnam gratiam eis deberent, „ a quibus innumera figmenta inania acceperant, nec artem investigandi veri, aut recto ordine „ exponendi didicerant. Quin etiam „ forte præstaret, ab iis Philosophos nunquam lectos fuisse, qui „ Theologiam Christianam admistione Philosophiæ Ethnicæ corruperunt, quod merito Origeni „ exprobratum est, non quod ille „ solus

,, solus deliquerit, sed quod maxime omnium Philosophia abusus sit, auctorque fuerit, & exemplum peccandi innumeris aliis, qui postea vixere. Huc accedit, quod imitatis veteres Philosophos exigua cura fuerit, ratiocinationem nullam proferendi, quæ non firma esset, aut ordine collocandi, quod invenerant, aut invenisse se putabant. Igitur neque hac in re Eruditio Patrum magnam illis reverentiam parere potest.

,, Quod vero attinet ad eam eruditionis partem, quæ ad verba spectat, hoc unum plerisque veteribus concedere possumus, peritos fuisse linguæ vernaculæ, Græcos Græcæ, Latinos Latinæ, & quidem ita ut maxima eorum pars, præsertim apud latinos pro modulo suæ ætatis, non ad normam meliorum sæculorum, scribere possent. Præterea necesse est eos, qui sibi Patres admirationi esse dictitant, fateri plerorumque stylum esse potius declamatorium, quam sedatum, & qualem esse oportet docentium. Quo fit, ut sæpe egre assequamur, quid sibi velint, & optemus subinde, eos [illegible] μὲν, σκοτεινῶς δὲ scripsisse. Hæc sane mentis suæ exprimendæ ratio fecit, ut pauci perspicue intelligerent Religionis Christianæ dogmata.,,

,, Unus quidem, aut alter, ut Origenes apud Græcos, Hieronymus apud latinos, operam dedere addiscendæ linguæ Hebraicæ: sed nec scivere eam in rem, subsidiis, quæ habebant, uti, nec iis, quæ norant, multum usi sunt. Vigebant iis temporibus linguæ Syriaca, & Arabica in vicinia Palestinæ, & Ægypti; quæ linguæ, cum maximi essent usus, ad intelligendam Hebraicam, debuerant ab iis edisci, quod tamen factum non est. At Syri ipsi, & Arabes Christiani perfacile potuissent a Judæis Hebraicam linguam discere, & cum sua comparare, cum maximo suæ ætatis, & posteritatis fructu. Etiam Pænis, nisi iis mens læva fuisset, licuisset, ope Punicæ suæ linguæ ad cognitionem Hebraicæ pervenire, eamque domesticis opibus illustrare, cujus rei Samuel Bochartus XVII. sæculo ea edidit specimina, quæ desiderium Punicorum Scriptorum vehementissimum in nobis accenderunt; sed frustra. Perierunt illi; & quæ Rustici tunc facile facere potuissent, si ars ad id, quod norant, accessisset, ne doctissimi quidem viri nunc præstare queunt.

,, Maluerunt Græci, & Latini statuere absurdissime divinitus fuisse adflatos septuaginta interpretes, quam laborem subire, qui exantlandus fuisset, in addiscenda lingua Hebraica. Maluerunt in linguæ suæ cognitione adquiescere, & allegoricum interpretandi genus, quo nihil futilius dicamne an facilius erat, sectari, quam grammatice singula, ut decuit, utque nunc facimus, explicare. Quisquis enim summa capita Theologiæ, atque ethicæ Christianæ norat, & facultatem aliquam vernacula lingua dicendi sibi comparaverat; ex quolibet loco Scripturæ quidlibet poterat deducere, allegoricis nimirum Machinis, prout libebat, adhibitis. Quisquis eam rationem studiorum, eamque loquendi & scribendi consuetudinem nostræ prætulit,

„ tulit, & Patres majore reverentia „ dignos, quam optimos nostri sæculi interpretes censuerit, idem „ post inventas fruges glandibus suis „ vescatur, per me licet. „

„ Ex hisce omnibus colligo, si reverentia, quam antiquitati deberi a nobis volunt viri eruditi, „ hac opinione nitatur, quod fuerit postremis hisce ætatibus eruditior, falso eam niti judicio; si „ vero, quamvis recentioribus pares non sint, ad eruditionem quod „ attinet, veteribus tamen suam „ quoque reverentiam tribuendam „ contendant; non intercedo quidem, modo nimia exigatur. „

„ Deinde boni viri antiquiorum „ sæculorum, non fuere tamen nævorum omnium expertes: uti nec „ optimi quique nostræ ætatis. In „ omnibus fuit semper mistura humanæ infirmitatis; cui quidem „ ignoscere nos nostri memores decet; sed non plaudere quasi rei „ laudandæ. Solus Christus fuit immunis ut omnis erroris, ita omnis vitii; ideoque per omnia „ laudandus, & quasi absolutissimum virtutis exemplar nobis effingendum deligimus. Visne gravia indicia adfectuum humanorum sæculo secundo se se prodentium in Episcopis, & Martyribus? „ lege, quæ habet Historia Ecclesiastica de contentione circa diem „ Paschatis, tempore Victoris Episcopi Romani exorta. Visne simile quid in tertio sæculo? suppeditabit disceptatio Cypriani Carthaginensis cum Stephano Romano. „

„ At, inquies, quis ergo usus erit „ Scriptorum Patrum? idem, qui „ ex omnis generis Scriptoribus colligitur. „

„ Primum cum nullos possimus „ habere alios certiores, & fide digniores testes eorum, quæ ætatibus, quibus vixerunt gesta, & credita sunt, ex eorum scriptis historiam factorum, & dogmatum „ hauriemus. Quibus in rebus, ne „ fallamur, adhibenda erit cautio, „ & diligentia, ut alias fieri solet, „ si quæ res paulo gravior agitur. „ Cuilibet Testi non credimus, circumstantiasque omnes rei adtento animo consideramus, antequam „ judicium feramus. Non æquum „ erit, exempli gratia, ut indicta „ causa quemquam damnemus ex „ sola adversarii accusatione; hoc „ est, ut credamus adversario, qui „ acerbe invehitur in eum, quem „ erroris insimulat, & cujus nullum „ superest monumentum. Nam cum „ facile sit etiam adtentum, nec ullo præjudicio laborantem errare „ in aliena sententia: multo facilius errabit, qui adfectu præpeditus in adversarii sententiam, ut „ eam infamet, inquiret. Non credemus, sine examine, in æstu disputationis versanti, cum confirmabit, suam sententiam semper „ in Ecclesiis Christianis viguisse; „ contra vero adversarii dogma nuper inventum, aut semper antea „ damnatum fuisse. Non temere habebimus fidem Historico, qui partibus manifesto favet, cum loquitur de iis, quæ ab adversariis gesta sunt. Quæ certo resciri poterunt, distinguentur ab incertis, „ atque in medio relinquendis; prout nimirum suppetent, aut deerunt nobis testes, quibus tuto credere possimus; quemadmodum „ fieri solet in reliquis omnibus Historicis. „

„ Secundo, legentes opera Patrum, „ de

„ de ratiocinationum vi, & ordine „ ex legibus Dialecticæ indicabimus, „ stylumque ad Rhetorum canones „ exigemus. Ratiocinationes omnes, „ in quibus ex perspicuis, ac de„ monstratis enunciationibus neces„ sario colligetur quidpiam, proba„ bimus, amplectemur, laudabimus. „ Si sunt tantum credibiles enun„ ciationes, aut collectio minus ne„ cessaria, eas inter credibilia refe„ remus; at non ita eis assentiemur, „ quasi res perspectæ essent. Quod „ collectio prava sit, aut enuncia„ tiones, ex quibus deducitur, ne „ verisimiles quidem haberi queant, „ totam ratiocinationem spernemus. „ Uno verbo ut omnia complectar, „ non magis infirmas collectiones, „ aut Paralogismos Patribus condo„ nabimus, quam recentiori cuivis, „ e media turba, Scriptori. Eodem „ hic jure omnes omnium sæculo„ rum tenentur mortales; nec quod „ ex Dialecticis regulis nunc est pa„ ralogismus in scriptis nostris, po„ test haberi recta ratiocinatio in ve„ terum Christianorum libris. Qui „ autem eorum scripta legerunt, „ nec imperiti sunt Dialecticorum „ Canonum, dicant, si ita eis vi„ deatur, quam sæpe in paralogis„ mos inciderint, præsertim ex e„ nunciationibus scripturæ perpe„ ram intellectis deductos. „

„ Ad ordinem quod attinet, do„ ceant nos iidem, annon pleraque „ eorum scripta similiora sint sylvæ „ nullo ordine exortæ, hic rariori, „ illic densiori, quam nemori ad „ quincuncem consito? At inquies, „ ita etiam scripserunt vulgo Phi„ losophi, & Oratores Æthnici, nec „ majorem ordinem invenias in scri„ ptis Senecæ, Plutarchi, Dionis, „ Libanii, Themistii, & aliorum. „ Non nego, sed quod vituperamus „ in Æthnicis, id profecto laudari „ non potest in Scriptoribus Chri„ stianis. Postquam studiose legi„ mus Orationem quampiam Gre„ gorii Nazianzeni, ut hoc exem„ plo utar, sæpe ægre potissimum „ ejus scopum assequimur; nec ca„ pimus, cur a cogitatione quapiam „ inceperit, cur in aliam desierit; „ cur hæc sequantur, illa antece„ dant; aut quomodo inter se con„ nectantur; itaut, quovis alio or„ dine, non possent æque commo„ de collocari. Atqui oportuisset an„ te omnia semper proponi perspi„ cuis verbis, quid probandum sit, „ deinde a lectore facile intelligi. „ qua via orator ad finem sibi pro„ positum contendat. Sin minus, „ exiguus est orationis fructus, nec „ diuturna eorum, quæ legimus, „ memoria. Attamen plerique Pa„ tres ita passim scripserunt. „

„ Ad stylum vero quod spectat, „ non dicam, eorum nonnullos, ut „ Tertullianum, & Hilarium, ob„ scurissime scripsisse; sed declama„ toria plerosque scriptione usos es„ se, quod jam antea animadverti; „ unde fit, ut sæpe difficillimum sit „ perspicuas, ac plenas notiones eo„ rum, quæ senserunt, colligere. „ In controversiis passim ambigui„ tatibus laborant, nec tam scri„ bunt, ut lector eorum sententiam „ assequatur, quam ut vincant, aut „ ne adversarius ex illorum verbis „ occasionem infamandæ illorum „ sententiæ adripere possit. Nervos „ omnes intendunt, ut gravissimos „ ictus inferant adversario, utque „ declinent ejus tela; sed de per„ spicua, & plena notione senten„ tiæ suæ, in lectorum animis re„ linquenda, parum solliciti sunt.

„ Ani-

„ Animadvertere hoc licet ubique „ in libris Augustini contra Pelagianos, quos libros ultimum operum ejus volumen complectitur; „ ubi ita loquitur, ut libertatem „ videatur homini peccatori relinquere, quotiescumque Pelagianorum objectionibus aliter respondere non potest; alibi vero non „ obscure eam illi detrahat; unde „ natæ hoc nostro sæculo acerrimæ „ controversiæ inter viros eruditos „ Ecclesiæ Romanæ de sententia Augustini, quem diffidentes ad se „ trahere utrinque conantur. An ejusmodi scribendi ratio placeat iis, „ qui admirari se Patres ajunt, equidem nescio. „

„ Verum videor mihi audire eos, „ qui veteres jactare solent, hic exclamantes, a me eis omnem auctoritatem detrahi, quam antiquitas saltem eis tribuit, præsertim quando inter se consentiunt; „ fuisse propiores temporibus Apostolicis; ac proinde Apostolorum „ sententiam veluti per manus ad „ eos puriorem, quam ad nos tot „ sæculis remotiores, pervenisse. „

„ Libenter quæsiverim a viris eruditis, quid in hoc negotio sit „ auctoritas; an sit jus quodpiam „ singulare, quo, si quid incidat „ controversiæ, veteres, quamvis „ eruditione necessaria ad rem penitus cognoscendam caruerint, „ nec in eo negotio ratiocinati sint „ ad rectæ rationis normam; tamen „ sint audiendi, quasi perspicaces „ judices, ac Duces certi, quorum „ judicium sequutis error sit minime timendus? ubi vero Deus Patribus promisit, quamvis judicarent de re sibi incomperta, nec „ bene ratiocinarentur, a vero non „ aberraturos? nusquam sine dubio. „ Auctoritas ergo eorum, quæcumque tandem sit, his nitetur fundamentis, quod nos doceant rem „ sibi perspectam, utanturque rationibus, quibus adsensum negare „ non possumus. Atqui in hujusmodi negotiis non auctoritate veterum adfirmantium, sed rebus „ ipsis movemur. Iis credimus, non „ quia sunt antiqui; sed quia eorum judicium omnibus veritatis „ indiciis est ornatum. „

„ Sed annon, inquies, antiquitas „ auctoritatem quandam conciliat „ judiciis, qua ceteroqui carerent? „ annon idem judicium in scriptis „ Patrum majoris est ponderis, quam „ in Recentiorum libris? antiquitas, si quid judico, pondus, & „ auctoritatem judicio addit, si res „ agatur, quæ non potuerit probe „ nosci, nisi ab antiquis, quod ad „ eorum ætatem pertineat; modo „ ne testimoniis veterum, quæ proferuntur, desint indicia veri, quæ „ in testimoniis postulari solent. „ Exempli causa, si quæratur, an „ ab ætate Apostolorum singulares „ fuerint Episcopi Ecclesiis præfecti, cum videam hoc adfirmari „ ab universa antiquitate, pluris ejus testimonium facio, quam omnes ratiocinationes Recentiorum; quia sermo est de re, quam „ ab antiquis solis accipere possumus; & quia omnia veritatis signa veterum hoc testimonium comitantur. Verum si quæsiveris, „ quis sit sensus loci cujuspiam veteris Testamenti, antiquis non „ magis credam, quam recentioribus, quia nullum singulare auxilium habuerunt, quo nos careamus, & cujus ope sententiam loci obscuri intelligere potuerint, „ exempli gratia, si quæretur sensus

„ ver-

„ verborum Psalmi cx. 3. טל ילחך מרחם משחר לך, *ex utero auroræ tibi ros genituræ tuæ*; proferanturque LXX. Interpretes, qui vertunt, ἐκ γαστρὸς. πρὸ ἑωσφόρυ ἐγέννησά σε, *ex utero ante luciferum genui Te*; tum addatur Chorus Patrum hunc locum summo consensu interpretantium de generatione æterna Filii; majus apud me pondus rationes grammaticæ, quæ afferuntur a Recentioribus, quam auctoritas universæ antiquitatis, habebunt. Cur vero? quia nimirum veteres fuere destituti præsidiis necessariis ad judicandum, an LXX. Interpretes recte vertissent, aut quod perinde est, iis, quæ habebant, usi non sunt. Quotiescunque res agetur, de qua judicium ferri nequeat, nisi ope grammaticæ v. g. & logicæ; pondus judicii non ex antiquitate judicum, sed ex recto usu utriusque illius disciplinæ pendebit; nec gravius habebitur in veterum, quam in recentiorum libris, nisi forte melius grammatica, & logica sint usi. Consensus ad evertendas rationes grammaticas, aut Dialecticas nihil facit; statim enim animo occurrit ratio consensus petita ex communi ignorantia rerum, quibus ab errore consentientes potuissent revocari. Sic quamvis græca, & latina Ecclesia, per aliquot sæcula, post Apostolorum ætatem magnifice sensisset de versione LXX. Interpretum, quos multi divinitus adflatos, cæteri optimos interpretes constanter judicarunt, non dubitavit Hieronymus eos erroris arguere, novamque versionem adornare, quam merito tandem probarunt occidentales Ecclesiæ; quia norat eam versionem cum Hebraico Codice a perpaucis conferri potuisse. Nec nos hodie dubitamus, quotquot cum Hebraico Codice eam contulimus, multo meliorem potuisse fieri. Igitur consensus veterum rationibus destitutus, tum demum urgeri potest, cum res aguntur, quæ sine ratiocinatione, aliisque præsidiis, cognosci ab iis potuerunt, nec nos aliter, quam eorum testimoniis noscimus, quale est, ut dixi, Episcopale regimen a temporibus usque Apostolicis deductum..„

„ Scio objici hic solere traditionem, quam ore dumtaxat Apostoli Discipulis reliquerunt, quæ deinde cum ore, tum scriptis propagata sit, & quæ initio purior fuerit cum ob probitatem hominum, tum etiam recentem omnium memoriam. Verum huic objectioni multo major species inest, quam veritas. Etenim, ne dicam quæ in antiquitatem quamvis dici queant, sine ratione, & contra fidem Historiæ, resque adeo ipsas, plerosque omnes Apostolorum discipulos indolem Sanctissimorum illorum virorum retulisse, & summa cura, ac fide Magistrorum doctrinam addidicisse, ac retinuisse statueremus. Christus quidem nunquam expectavit eum prædicationis Evangelii exitum, ut tantum bonos, ac veritatis amantes in Ecclesiam Christianam adliceret. Liquet hoc ex Parabolis de Zizania, & Everriculo Matthæi XIII. 24. & seq. in quibus manifesto ostendit, malos bonis in Ecclesia Christiana ab initio mistum iri, & tum demum separandos, cum ad judicium ipse venturus est. In ipso Apostolo-

„ rum collegio fuit Judas; inter primos Apostolorum discipulos Ananias, & Saphira, homines avari, & dolosi; tum etiam Judæi ritibus antiquis superstitiose addicti, & qui Paulo Apostolo multas molestias crearunt; deinde Gentiles tumultuosi, qui in Ecclesia Corinthia omnia miscebant, quamvis & ipsi varia Cœlestia dona accepissent, ut docet Paulus 1. Cor. XII. & alibi: postea & homines ambitiosi, qualis Diotrephes ille, qui Joannem Apostolum spernebat: denique multi alii, quos in scriptis suis non raro castigant. Potuerunt facile esse inter hujusmodi homines, qui doctrinam Apostolicam adulterarent; immo vero fuerunt, viventibus ipsis Apostolis, in quos Paulus aliquando graviter invehitur, ut Epist. ad Gal. cap. 1. & alibi. Fuere, ut sunt semper, homines etiam minime mali, sed exiguo judicio, qui & audita & lecta male intelligere potuerunt, & quasi Apostolica dogmata errores suos propagare. „

„ Ea ætate, quæ Apostolicam proxima excepit, floruit Fabulator Papias, qui bonum Irenæum, & alios multos traditionibus veluti Apostolicis fefellit. Eusebius lib. III. cap. 39. σφόδρα σμικρὸν τὸν νοῦν *exigui judicii* fuisse non falso prodidit, *attamen Plerosque post ipsum Ecclesiasticis viris similis opinionis* (de regno Christi in terris mille annorum) *auctor fuit hominis antiquitate sententiam suam tuentibus:* πλὴν καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν πλείστοις ὅσοις τῶν Ἐκκλησιαστικῶν τῆς ὁμοίας αὐτοῦ δόξης παραίτιος γέγονεν Ἀρχαιότητα τ' ἀνδρὸς προβεβλημένοις. Dignum caput illud Eusebii, quod integrum adtente legatur; nam ex eo intelligere licebit, apud antiquissimos Christianos non defuisse homines parum cautos, qui sibi facile imponi paterentur, & forte etiam parum veri amantes: ac proinde antiquitatem solam non posse veluti Christi commeatum haberi; quo conspecto omnes, qui eum gerunt, sint quasi Testes fide digni admittendi. „

„ Multi deinde Græci non tantum eruditi, & adcurati inquisitores veritatis, sed etiam rudiores in Ecclesiam Christianam ingressi sunt: nec contenti simpliciter narrare quæ a Magistris acceperant, ea, prout poterant, interpretabantur, ornabantque & tuebantur contra Ethnicos, aut Hæreticos. Philosophia Ethnica veluti succenturiata venit Theologiæ Christianæ, eamque non parum vitiavit, ut exemplo Clementis Alexandrini ostendit. Hæc quidem condonare partim possumus animo simplici, quo fiebant; sed laudare, aut plane excusare non possumus. Guilielmus quidem Caveus, qui mihi occasionem hac de re scribendi in Anglica Clementis vita, postquam dixit errores, qui Alexandrino Catechistæ exprobrantur, inveniri & in aliis Scriptoribus primariis: *nec mirum*, inquit, *bonos, ac pios viros eorum temporum, qui perpetuo distinebantur acerrimis controversiis, hinc cum Ethnicis, illinc cum Judæis, Hæreticisque, non semper* ὀρθοτομῆσαι *in nonnullis subtilioribus capitibus* &c. immo vero propter controversias illas, præsertim cum Hæreticis, debuissent dare operam, ut caute, & adcurate de singulis rebus loquerentur, ne erro-

„ erroribus fenestram aperirent. Nec „ levia omnia fuere capita, in quibus a vero aberraverunt, ut satis „ liquet ex ejusdem Clementis exemplo. „

„ Sed, nisi veri nos pudeat, fateamur oportet, post Apostolos, „ qui ex institutione ipsa Christi, „ & Divino adflatu *in omnem veritatem* ducti fuerant, & Apostolicos aliquot viros cœlestium illorum donorum participes; cum ars, „ & ratio non succederent insultatis „ illis donis, sed tantum nonnulla „ declamandi facultas; Theologiam „ Christianam non modo non satis „ commodo ordine traditam fuisse, „ sed ne satis quidem plene, ac „ perspicue. Viri boni videntur tunc „ temporis in notionibus obscurioribus acquievisse, quæ certe sese passim produnt in scriptis, quæ temporum injuriæ erepta ad nos pervenerunt. Cum linguæ Hebraicæ, „ sacræque Criticæ non essent periti, vetus, & Novum Testamentum sola Divinarum revelationum „ non dubia, nec fallacia monumenta non satis commode interpretabantur, & passim torquebant. „ Ideoque si ex omnibus Scriptoribus secundi sæculi, qui supersunt, „ colligas summam quandam Theologiæ, religionisque Christianæ; „ animadvertes, varia esse capita, „ de quibus difficile est scire, quid „ senserint. Cæteroqui non negarim „ plerosque in summis capitibus recte sensisse, quamvis non sint reliqua subtilius exquirenda. „

„ Postquam vero res Christiana „ aucta est, plures plura scripserunt, „ definitiones a Conciliis conditæ „ sunt, constitutaque varia dogmata, & locutiones, quibus exprimerentur, vel usu, vel auctoritate Synodorum consecratæ. Verum „ hisce etiam temporibus, hoc est, „ ex quo Imperatores facti sunt Christiani, multo magis florebat facultas declamandi, & philosophandi more Ethnicorum: quam ars „ interpretandi Scripturam ex grammaticis regulis; qua de re antea „ jam dixi. „

„ Sequentia sæcula cum apud Græcos, tum apud latinos, erroribus, „ & dissidiis infamiora sunt Theologiæ Christianæ peritis, quam „ ut cum nostra ætate ea conferri patiantur. Nec veteris, nec novi „ Testamenti Divinas tabulas adcuratius interpretari, lapsu temporis, didicerant; nec ullas alias disciplinas diligentius excoluerant. „ Immo in meram barbariem paulatim delapsi, mirabantur priorum ætatum Scriptores, quos non „ intelligebant; nec proinde aut eorum errata emendare, aut vere „ dictis quidquam addere potuerunt. „

„ At tandem XVI. præsertim sæculo, & hoc nostro XVII. cum disciplinæ omnes, & quæ pertinent ad „ antiquitatis, linguarumque demortuarum intelligentiam, & quæ rerum ipsarum cognitionem tradunt, „ & quæ veri, in quavis arte, inveniendi, ac exponendi rationem „ docent, ad multo majorem perfectionem adductæ essent: antiquissima illa Religionis divinitus revelatæ monumenta multo melius „ explicari, certaque ex iis consectaria duci, capitaque omnia Theologica rectius tradi cœperunt, „ quam unquam antea ab Apostolorum ætate factum fuerat. Quod „ multo citius contigisset, si majores nostri judicio suo maluissent „ uti, quam alieno; neque enim in-

„ genia defuiſſe puto poſterioribus „ ſæculis, ſed artem dumtaxat; quæ „ nimia, cæcaque admiratione prio- „ rum veluti oppreſſa jacebat.„

„ Qui priſcos Scriptores non lege- „ runt; aut oſcitanter evolverunt, „ rem ipſam minime attendentes, „ ſibi fingunt, aut aliis deſcribunt „ Patrum ſcripta, non qualia ſunt, „ ſed qualia ea oportuiſſe eſſe exiſti- „ mant; ideoque ea de illis prædi- „ cant, quæ ab adtentis Patrum le- „ ctoribus contraria rei ipſi depre- „ henduntur. Licet in aliis judiciis, „ quæ de antiquioribus temporibus „ ferre homines ſolent, plerumque „ peccatur. Antiquiora enim omnia, „ quaſi propiora origini, aut etiam „ ipſi Deo, meliora, & auguſtiora „ eſſe cenſentur. Sæpe quo plura ve- „ tuſtas rebus detraxit, eo plura a „ poſteris adduntur.„

„ Hæc cum ita ſint; ſatis jam ma- „ nifeſtum eſt, antiquitatem ſolam, „ & conſenſum plurimorum minime „ eſſe indicia veri. Indidem etiam „ colligere licet, noſtræ ætatis viros „ eruditos, cinctos omnibus illis „ præſidiis, quæ nunc nobis ſuppe- „ tunt, poſſe melius intelligere ex „ vetere & Novo Teſtamento, quid „ ſenſerint Scriptores Sacri; quam „ homines Græci, aut Latini, qui „ ſecundo ſæculo florebant, quam- „ quam Apoſtolis propiores. Incer- „ tis traditionibus Apoſtolicis non „ patimur nunc fucum nobis fieri, „ & omnia adhibemus Criticæ, & „ Grammaticæ ſubſidia, quorum o- „ pe obſcuram ſententiam illuſtrari „ poſſe novimus. Ac ſane ſi con- „ ferantur laudati interpretes noſtri „ ſæculi cum illis; antiquiores pue- „ ri videbuntur, cum viris maturi „ judicii collati. Si exempli cauſa „ Juſtinum, & Irenæum cum Gro- „ tio, & Hammondo contuleris; „ priorum te miſerebit; intelligeſ- „ que de Martyre non minus vere „ potuiſſe dici, quam de Epiſcopo, „ in ejus ſcriptis τὴν κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ „ δόγματα ἀλήθειαν νόθοις λογισμοῖς. κιβδηλεύ- „ εσθαι, ἀχρηματα παρασημαίνεσθαι; *Eccleſiaſti-* „ *corum dogmatum adcuratam verita-* „ *tem ſpuriis ratiocinationibus adul-* „ *terari; quod oportet animadverte-* „ *re:* quod judicium eſt Photii de „ Irenæo, Cod. cxx.„

„ Hinc jam liquet, ut uſui ſint „ Patrum ſcripta, primum diſtin- „ guendum eſſe hiſtoriam dogmatum, „ & rerum geſtarum, quam ab illis „ ſolis petere poſſumus; a veritate „ ipſa dogmatum, & regula mo- „ rum; quas a Chriſto, ejuſque A- „ poſtolis dumtaxat accipimus, quia „ nos fallere non poſſunt. Ut ſcia- „ mus, an probandum ſit, quod fe- „ cerunt, aut dixerunt Patres, id „ exigendum eſſe ad Novi Teſtamen- „ ti normam, cum qua quidquid „ conſentit, rectum eſt, & a qua „ quidquid diſſentit, obliquum, „ quantælibet multitudini probetur. „ Chriſtus ſolus dicendus *Magiſter*, „ & *Pater*, a quo diſſentire non li- „ cet, ut ipſe docuit Matth. XXIII. „ 8. & ſequentibus. Patrum vero, „ ut vocantur, conſenſus, multitu- „ do, & antiquitas pondus nullum „ apud nos habeant oportet, niſi „ quatenus conſentiunt cum ſum- „ mo illo, & unico Doctore, Fide- „ libuſque ejus Diſcipulis, quorum „ doctrinam miraculis comprobavit. „ His, non quia ſunt antiqui, ſed „ propter doctrinæ præſtantiam, eam- „ que cæleſtibus teſtimoniis, hoc „ eſt, prodigiis confirmatam, credi- „ mus.„

„ Scio, Pontificios docere, non „ potuiſſe fieri, ut plerique eorum a

„ Chri-

„ Christo dissentirent, nec ejus do„ ctrinam posse intelligi, nisi ex Pa„ trum scriptis illustretur. Sed quum „ hæc duo merito rejiciantur ab iis, „ qui ab eorum communione secesse„ serunt, quod nullo Cœlesti pro„ misso, aut præcepto nitantur, non „ opus est, ut a me confutentur, „ quum præsertim posterius sit a Jo„ anne Dallæo funditus eversum. „

„ Deinde in aliis, quæ ad dog„ mata Religionis, aut ad mores „ non pertinent, omnia illorum di„ cta, aut facta sunt ad rectam ra„ tionem, artesque ab ea prognatas, „ & minime fallaces exigenda, qua„ rum solis suffragiis probari nimi„ rum possunt, aut improbari. „

„ Igitur Patrum scripta majore, „ aut minore reverentia prosequemur, seu pluris, aut minoris fa„ ciemus, prout magis, aut minus „ consentient cum explorata Chri„ sti, & Apostolorum doctrina, cum„ quæ recta ratione: quæ duæ solæ „ sunt faces a Deo ad homines de„ missæ, ut in hujus mortalis vitæ „ tenebris nobis illuceant, utque ad „ earum lucem dogmata, dicta, præ„ cepta, facta omnia expendamus. „ Nulla cujusque hominis reveren„ tia, præsertim in Religionis ne„ gotio, illis æquiparari jure potest, „ nedum ut anteferri queat. „

Ecquem miseret hujus perturbatæ, acerbæ, errantisque censuræ? in qua Hæreticus iste contra veterum testificationes, contra legitimos Patrum libros, contraque sacras Novi Testamenti scripturas multa ponit, ac miscet.

Jam ut ab antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis exordiar: Tertullianus Apostolorum temporibus proximus, in libro adversus Valentinianos, Valentini hæreses, quas refutabat, a se fictas non esse, ex *insignibus* Patribus ita probavit: (*a*) *Mihi autem cum Archetypis erit limes principalium magistrorum, non cum adsectatis ducibus passivorum Discipulorum. Nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot jam viri sanctitate, & præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum Hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus & prodiderunt, & retuderunt, ut Justinus Philosophus, & Martyr, ut Miltiades Ecclesiarum sophista, ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.*

S. Epiphanius sub quarti sæculi initium exortus, eoque adulto clarus, postquam in Panario adversus Hæreses ad eorumdem Valentinianorum hæresis vanitatem patefaciendam S. Irenæi testimonium adduxit: continuo de ipso Irenæo, Clemente Alexandrino, & Hyppolytho ista conscripsit: (*b*) *Hæc, atque his similia optimus ille senex Irenæus totidem verbis de vanissimis illorum opinionibus disputavit; vir omnino spiritus sancti donis instructissimus, ac tanquam fortis Athletas productus a Domino, & Cœlestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctus: qui sinceræ fidei, ac scientiæ præsidiis omnia illorum prostravit, evertitque mendacia: quod in secundo libro, ac sequentibus aliis potissimum perfecit: ubi illos uberiore stylo confutavit: quum velut humi abjectum,*

(a) *Tertull. in lib. adv. Valent. cap. v. pag. 251. nov. Ven. edit. an. 1744.*

(b) *S. Epiph. hæres. XXXI. num. XXXIII. pag. 204. ac seq. Colon. edit.*

jectum, ac superatum adversarium trahere, ac quodammodo triumphare visus est velle; & profligari nugatoris impudentem magis, quam fortem ad provocandum audaciam, palam omnibus detegere: nos autem partim iis, quæ a nobis breviter sunt disputata, partim quæ ab aliis sinceris id genus Scriptoribus elucubrata sunt, contenti; quum nonnullos quoque videamus de hoc argumento scripsisse, præsertim Clementem, Irenæum, & Hyppolythum, aliosque complures, qui admirabili quadam facultate illorum dogmata refutarunt; non multum in eo, ut dictum est, elaborare studuimus, satis, superque illorum opera factum arbitrati: idque ipsum apud nos existimantes, neminem esse paululum intelligentem, cui vel ex ipsis illorum libris, ac dogmatibus non ea facile occurrant, quæ ad illos refellendos idonea sint.

S. Hieronymus eodem quarto sæculo celeberrimus, Magno urbis Romæ Oratori argute quærenti, cur ipse S. Doctor in opusculis suis sæcularium litterarum, sive Ethnicorum Philosophorum exempla interdum, quasi minus congruenter, poneret; hoc dedit responsum, illud fieri licere, quatenus vel quorundam Hæresiarcharum errores a Philosophis Ethnicis hausti detegerentur, vel quibusdam aliis sanis istorum dictis alicubi Religionis Christianæ dogmata confirmarentur: quod Patrum exemplis Hieronymus vicit, atque eorum, quorum aut fragmenta, aut volumina extant, eruditionem prædicavit his verbis: *Quadratus Apostolorum Discipulus, & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ,* (a) *nonne Adriano Principi, Eleusinæ Sacra invisenti, librum pro nostra Religione tradidit, & tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium? Aristides Philosophus, vir eloquentissimus, eidem Principi Apologeticum pro Christianis obtulit, contextum Philosophorum sententiis; quem imitatus postea Justinus & ipse Philosophus, Antonino Pio, & Filiis ejus, Senatuique librum contra Gentes tradidit, defendens ignominiam Crucis, & Resurrectionem Christi tota prædicans libertate. Quid loquar de Melitone Sardensi Episcopo ..., & Irenæo Photini Martyris successore; qui origines hæreseon singularum, & ex quibus Philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt? ... Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit stromatum libros, & totidem ὑποτυπώσεων, & alium contra gentes, Pedagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum? immo quid non de media Philosophia est? Hunc imitatus Origenes, decem scripsit stromateas ... extant & Julii Africani libri, qui temporum scripsit historiam; & Theodori, qui postea Gregorius appellatus est, viri Apostolicorum signorum, atque virtutum; & Dionysii Alexandrini Episcopi ..., Eusebii Cæsariensis Episcopi ... & Athanasii Alexandrini ..., Titi quoque Bostrensis Episcopi; Cappadocumque Basilii, Gregorii, Amphilochii: qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, Eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum?*

(a) *S. Hieron. Epist. 70. ad Mag. pag. 426. & seq. Tom. I.*

rum? veniam ad latinos. Quid Tertulliano eruditius; quid acutius? Apologeticus ejus, & contra gentes libri cunctam sæculi continent disciplinam. Minutius Fælix, Causidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octavius est, quid Gentilium Scripturarum dimisit intactum? Septem libros adversus Gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius; qui de ira quoque, & opificio Dei duo volumina condidit: quos si legere volueris, Dialogorum Ciceronis in eis [illegible] *reperies. Victorino Martyri in libris suis licet desit Eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas. Cyprianus, quod Idola Dii non sint, qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum, & sensuum splendore perstringit. Hilarius meorum confessor temporum, & Episcopus, duodecim Quintiliani libros & stylo imitatus est & numero: brevique libello, quem scripsit contra Dioscorum Medicum, quid in litteris possit, ostendit. Juvencus Præsbyter sub Constantino historiam Nominis Salvatoris versibus explicavit, nec pertimuit Evangelii majestatem sub metri leges mittere. De cæteris vel mortuis, vel viventibus taceo: quorum in scriptis suis & vires manifestæ sunt & voluntas.*

Demum S. Augustinus Patrum, quos in probatione recensuimus, eruditionem commendavit, opposuitque Juliano Pelagiano; qui convitiis efflagitabat, ut *in causa judicandi* ex Testibus Ecclesiasticis eorum *paucitas* quos evehit *ratio*, *eruditio*, *ac libertas*, qua scilicet ante prædictæ controversiæ tempus opera sua a studio partium liberi conscripserunt, *eligeretur amoto turbarum strepitu:* Cui expostulationi id de Patribus memoratis (a) S. Doctor respondit: *numquid Irenæus, & Cyprianus, & Reticius, & Olympius, & Hilarius, & Gregorius, & Basilius, & Ambrosius, & Joannes* de plebeja fece sellulariorum, *sicut Tulliane jocaris*, in vestram invidiam concitati sunt? *numquid* milites? *numquid* Scholastici auditoriales? *numquid* adolescentes ex Monachis dissolutis? *numquid postremo* de qualiumcumque Clericorum turba *isti sunt*; quos urbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate *contemnis*, quia non possunt secundum categorias Aristotelis de dogmatibus judicare? *quasi Tu*, *qui maxime quereris* examen vobis, & Episcopale judicium denegari, *Peripateticorum possis invenire Concilium, ubi de subjecto, & his, quæ sunt in subjecto contra originale peccatum Dialectica sententia proferatur. Isti Episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas novitates; in quorum Ratione, Eruditione, libertate, quæ tria bona judici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt; sed Fideles, & multis excellentiores paucos Dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis, atque aliis temporibus, atque regionibus ab Oriente, atque Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum; qui navigare possit ad homines.*

(a) *S. Augustin. lib.* II. *cont. Jul. Cap.* X. *num.* 37.

mines. Quanto tibi essent judices optabiliores, si teneres Catholicam Fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam Fidem; quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac, & cibum paucis, magnisque ministraverunt; quam contra inimicos etiam vos nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime, ac fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, Pastoribus, nutritoribus crevit: ideo profanas voces vestræ novitatis expavit; & cauta, ac sobria ex admonitione Apostolica, ne sicut Serpens Evam seduxit astutia sua, sic & mens ejus corrumperetur a castitate, quæ est in Christo, Catholicæ Fidei virginitate insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcavit, obtrivit, abjecit.

Age nunc jam ostendam, Censorem, quum Patrum eruditioni ex fama creditæ fidem injuria non adhibet, laudatis testimoniis, ab eo accipiendis, sane adversari. Nam ipse fatetur, veteres fide dignos esse „ testes eorum, quæ ætatibus, „ quibus vixerunt, credita sunt: „ ergo bona Patrum fama, contra ac Censor idem argumentatur, iisdem antiquis Testibus, utpote gravibus, fulta, minime fallax est; simulque illorum *eruditio*, *doctrina*, ac *scientia*, ab ipsis priscis auctoribus creditæ, & celebratæ, nituntur veritate; ac sic æstimandæ sunt, atque credendæ.

Nec vero ex fama solum, sed ex Patrum scriptis quoque eorum eruditio, sive *doctrina*, existimatur; qui & utilia noverunt, quorum cognitio ab ingeniis cum acutis, probisque, tum fidis, atque mediocribus, sine longo labore comparari potest: Et eruditione sua uti sciverunt, recte ratiocinati ex iis, quæ vera esse compererant, quæ adcurato ordine disposuerant, quæque firmis ratiocinationibus, & dictionibus perspicuis, ac non raro elegantibus communierant; propterea quod quemque lectorem vel ipsis coævum, vel eos subsequentem moverunt, docuerunt, delectarunt, haud torquendo sua argumenta, sed prosequendo; quibus aut idololatras convicerunt, Christianamque Religionem sic tuiti sunt, ut Ethnicos Imperatores elegantiæ peritos, qua unumquodque pure, & aperte dictum noscebant, inflexerint: aut *Origenes hæreseon multis voluminibus explicarunt*, Hæreticorum *mendacia evertentes*: quas seu defensiones, seu eversiones singularis utilitatis plenas inficiabitur nemo; alioquin nec illos augustos flexissent, nec ista *mendacia* eliminassent; quod Ecclesiasticæ repugnat historiæ, quam ipse Joannes Clericus celebrat; qui proinde non dicat, videndum, an utilia Patres nossent, an id mirari in veteribus possit; sed Patrum, adductorumque Testium opera adtente legat, eam utilitatem cernat, ac veterum *admirabilem facultatem*, qua Ethnicos, & Hæterodoxos confudere, fateatur, & laudet.

Ac sicut nuperi eruditi „ non vul„ garia tantum proferunt, „ neque regulas recte argumentandi ex sacris Scripturis, exque Patribus infringunt: ita antiquiores Theologi rectis rationibus, quas ex Divinis litteris, exque Ecclesiæ veteris, vel etiam Patrum præcedentium documentis petebant, efficacius usi: sæpe speciales argumentationes ad proculcandam idolorum vanitatem, atque ad Hæreticos confutandos; quandoque

doque vulgares ratiocinationes ad docendam Christianam plebem, quam utrique subvertere moliebantur, optime adhibuerunt.

Quare cum Ecclesiæ veteris dogmata nonnisi antiqui Ecclesiastici propius, ac perfectius noscere potuerint: certe iidem veteres non vulgarium rerum modo, sed præterea singularium dogmatum delectum fælicius, & eruditius fecerunt; simulque ordinatum differendi modum, ac firmas in Oratione simplici, non fucata, rationes, quippe quibus utrique illi errantes homines exagitabantur, & quarum nihil merito carpere poterant, satius tenuere.

Pereat igitur miserrima sors opponentis, qui ficte quædam & sibi objiciendo, & Patribus ignoscendo, & eorum sensa non agnoscendo, pertendit, ipsos studiorum, quæ nunc habentur, ac differendi artem tradunt, subsidio destitutos, confusiori ordine, ratiocinationibus minus firmis, styloque minimum perspicuo usos fuisse; ideoque illos Recentioribus, qui ea studiorum ope non caruerunt, & disciplinas ad perfectionem adduxerunt, æquiparandos non esse; atque illorum doctrinam horum eruditioni, nec præferendam, nec celebrandam; hosque demum illis digniores esse & paratiores a Ratione ac via inveniendi veri, disponendi, & probandi.

Quis autem Censori isthæc errata Patrum scriptis adversa ignoverit? Siquidem nuperi Critici Theologicam differendi, ac firmiter, & ordinate ratiocinandi disciplinam, qua prius errores describuntur; tum Divinarum litterarum, Patrumque sententiis confutantur, ac postremo oppositiones solvuntur, ex ipsorum veterum Operibus facile didicerunt. Nam perantiquus S. Irenæus, Valentinianorum hæresibus, earumque originibus expositis, ipsas refellit ex sacris Scripturis, ex laudatis S. Clementis I. ac S. Polycarpi testimoniis, exque Catholicæ Ecclesiæ doctrina; quam simplici stylo & claro affatim demonstrat; ac deinceps inania illorum Hæreticorum objectamenta, ut in ipsius libris adversus hæreses cernitur, diluit; & plura ad eandem doctrinam pertinentia subnectit: qui differendi modus aptissimus est; quum errorum descriptionem, ac rectissimam argumentorum firmiorum, utpote e Sacris monumentis, exque Patribus erutorum dispositionem, qua hæreses evelluntur, ac dogmata Catholica monstrantur, contineat: quem modum inveniendi veri dogmatis, ordine proferendi, ac probandi S. Basilius, S. Augustinus, Theodoretus, Synodi Chalcedonensis Præsules commendati, ac recentiores Theologi amplexi sunt & imitati. Non ergo veteres bono rerum singularium delectu, ratiocinationum vi, atque ordine, stylo satis apto argumentationi, ac studiorum, quæ etiamnum efflorescunt, subsidiis destituti fuere: neque ratiocinationes minus firmas, stylum minus perspicuum, minusque castigatum in eo argumentandi genere, & confusiorem ordinem adhibuerunt: nec nuperi Theologi contrariis ingenii, judicii, & eloquentiæ ornamentis affecti sunt, & Patribus præferendi: etenim hi recta mente, atque eloquentia, quæ est Dialectica dilatata, præditi, Theologicam ratiocinandi disciplinam ad illum perfectum Ordinem erexerunt; &, uti adversarius fatetur, rerum sua ætate gestarum, ac dogmatum historiam narrarunt; quas utrasque re-

centiores ab ipsis antiquis Theologis accepere; qui proinde recentioribus fæliciores, laudabiliores, paratioresque fuere a via inveniendorum verorum dogmatum, ordinateque probandorum; quippe quam iidem veteres tradiderint. Perperam igitur Censor Patres, recentesque eruditos lacessit; quod & istorum doctrina illi, quam a Patribus hauserant, minime antecellat; & nuperi Theologi quibusdam veterum piis, concinnis, elegantibusve sententiis probe libros suos exornent. Non enim ex illis tanquam gnomis, sed ut aptis argumentorum sive generalium, sive particularium, quæ Patres produxere locis rerumque contextibus judicant, vim ratiocinationum, & ordinum adcurationem cum illa dictionum elegantia, quam Novator ipse non abnuit, certare, hisque rebus omnia esse similia, aut certe ad eas accedere. Et idcirco Patrum volumina, in quibus ii vel Religioni vere pugnantia, vel Sacris litteris, aut Ecclesiæ Catholicæ documentis contraria exagitarunt, proferunt in medium, ac laudant: quæ opera si a Recentioribus profecta essent, sane ex præjudicata opinione, & imprudenti, non ex adtenta eorum lectione, exsibilarentur. Illa namque a relatis doctissimis viris, S. Epiphanio, & S. Hieronymo, qui eadem adtente lectitarunt, eo celebrantur, quia Patrum *uberiorem stylum*, *Verborum*, ac *sententiarum splendorem*, *eruditionem*, *scientiam*, atque adeo ordinatam ratiocinationem præseferunt; quæ proinde despicerentur maxima injuria, si ipsa nuperi eruditi imitatione consequerentur; qui æquo animo ferre nequeunt istam Censoris Epistolam; non quod ea nuper edita sit; sed quod ab eruditissimorum veterum sensibus, a præclaris Patrum operibus, atque a recta Thologia, quæ summum illum argumentorum ordinem, ac sic aliquam, non summam, latini sermonis elegantiam sequitur, oppido abhorreat; ac, sicuti declarabimus, confusiones habeat & errores.

Jam vero laudatus S. Augustinus disertis verbis multo ante rejecit absonum illum eruditionis S. Irenæi, & S. Cypriani contemptum, quo nuperus Heterodoxus horum quædam vage injusto despicatui ducere non veretur; qui quidem Novator fastidiat pleraque omnia in Luthero, atque Calvino, qui a Catholica fide desciverunt: verumtamen in *Irenæi*, ac *Cypriani ratione*, atque *eruditione*, quibus hi *Catholicam fidem apertissime*, *ac fortissime* defenderunt, *non potest invenire*, *quod spernat:* quos Patres meliore conditione, quam Recentiores, fuisse oportet: quoniam ipsi, atque etiam reliqui ab Augustino recensiti, *multis excellentiores* fuerunt; ut quibus *post Apostolos ædificatoribus*, *Pastoribus*, ac *Nutritoribus Sancta Ecclesia creverit;* quæ ipsorum *eruditioni*, *Catholicæ Fidei*, & *auctoritati* innixa, *prophanam* Hæreticorum *novitatem expavit*, *obtrivit*, *abjecit*.

Quapropter compescat hæreticus Censor novam, absurdamque Convicii vocem, qua inde effutit, mul„ ta adfuisse auxilia Patribus, qui„ bus, si verum quæras, nescivere „ uti. „

Atqui Novator ipse verum in perantiquis Scriptoribus Ecclesiasticis, qui Chaldæorum, Tyriorum, atque Ægyptiorum historias perlegerunt, easque brevi quidem, & accurate tractarunt, pervestigare neglexit.

Impri-

Imprimis Tatianus, cum secundo sæculo Magistri sui S. Justini Martyris vestigia tenebat, adversus Græcos Ethnicos Religionis a Christo Jesu institutæ antiquitatem, ac præstantiam eleganti, eruditaque Oratione monstravit: propter quod Mosem, qui de eodem Messia plura scripserat, Homero antiquiorem sic vicit: (a) *Sit sane Homerus non modo non junior Iliacis rebus, sed ipsi bello æqualis; & cum Agamemnone militasse, ac, si quis velit, ante litteras inventas extitisse existimetur: perspicuum erit, prædictum Mosen Trojæ excidio omnino antiquiorem esse multis annis; ut qui Ilii constructionem, & Trois, ac Dardani ætatem antecedat. Cujus rei demonstrandæ causa Testibus utar Chaldæis, Phænicibus, & Ægyptiis. Quid plura dicam! Oportet enim ut qui persuadendi Operam profitetur, res quasque audientibus breviter, & compendiose enarret. Berosus Babylonius Beli apud Babylonios Sacerdos, qui Alexandro æqualis fuit, & tertio post eum Antiocho, historiam Chaldæorum tribus libris inscripsit, ac res gestas Regum exposuit, quemdam ex eis, commemorat nomine Nabuchodonosor, a quo suscepta in Phænices, & Judæos expeditio. Hæc a Prophetis nostris prædicata scimus, ac multo quidem Mosis ætate serius contigisse, annis videlicet ante Persarum imperium septuaginta. Est autem Berosus longe doctissimus; cujus rei argumentum est, quod Juba de rebus Assiriorum scribens, historiam se a Beroso didicisse declarat. Scripsit autem libros duos de rebus gestis Assyriorum. Post Chaldæos sic se habent res Phænicum. Extiterunt apud eos tres viri, Theodotus, Hypsicrates, Mochus. Horum libros in græcam linguam convertit Lætus, qui & vitas Philosophorum accurate conscripsit. In his autem Historiis narratur, sub quodam Rege raptus Europæ, Menelai in Ægyptum adventus, ac res etiam a Chiramo gestæ, qui filiam suam Salomoni Judæorum Regi in Matrimonium dedit, ac omne lignorum genus ad Templi constructionem suppeditavit. Eadem scribit Menander Pergamenus. Ac Chirami quidem ætas Iliacis rebus vicina est: Salomon autem Chiramo æqualis multo recentior est Mosis ætate. Sunt etiam Ægyptiorum tempora accurate descripta, rerumque apud eos gestarum interpres est Ptolomæus, non ille quidem Rex, sed Sacerdos Mendesius. Is Regum res gestas exponens, Judæos sub Amose Ægyptiorum Rege ex Ægypto in ea, quæ occuparunt, loca, Duce Mose, profectos esse testatur. Sic autem loquitur,* Amosis autem erat æqualis Inacho Regi. *Post hunc Appion Grammaticus vir doctissimus in quarto Ægypriacorum (sunt enim quinque ipsius libri) inter alia multa testatur, Avarim evertisse Amosis Argivo Inacho* æqualem, *ut in Annalibus scripsit Ptolomæus Mendesius. Tempus autem, quod ab Inacho ad Ilii excidium effluxit, ætates implet viginti; idque hoc modo demonstratur. Hi fuerunt Argivorum Reges, Inachus, Phoroneus, Apis, Criasis, Triopas, Argus, Phorbas, Critopas, Stenelaus, Danaus, Linceus, Prœtus, Abas, Acrisius, Perseus, Stenelaus, Atreus, Thye-*

(a) *Tat. in Orat. adv. Græc. num. 36. pag. 272. inter S. Justin. Opera Hagæ Com. edita anno 1742.*

Thyestes, Agamemnon, cujus regni anno decimo octavo capta est Troja. Debet autem, quisquis sapit, diligenter observare, nullum historiæ monumentum apud Græcos, quemadmodum ipsi perhibent, litteris consignatum fuisse. Nam Cadmus, qui litteras eis tradidit, post multas generationes in Boetiam venit. Post Inachum autem sub Phoroneo vix tandem homines ab efferata Nomadum vita ad liberariorem cultum traducti sunt. Quamobrem si Inacho æqualis Moses, annis quadringentis bello Trojano antiquior. Atque id etiam demonstratur ex Regum Atticorum, & Macedonum, & Ptolomæorum, & Antiochorum successionibus. Unde si post Inachum clariores quæque res gestæ apud Græcos scriptæ, ac notæ fuerunt; nimirum etiam post Mosen.

Subinde Eusebius tertio, & quarto sæculo clarus, Ægyptiorum, ac Phænicum historias, mores, ac ritus ex antiquis Prophanis Historicis in Præparationis Evangelicæ opere retulit, consilium suum, quo istorum descriptionem faceret, ita proponens: (a) *Jam vero tempus est, ut ad Ægyptiorum sacra, doctrinamque transeamus, ut perspectum omnes, & exploratum habeant, num absque diligenti, & matura deliberatione ab iis quoque discedendum nobis esse statuerimus, nostrumque hoc consilium non aliunde, quam ex ipsamet Evangelica demonstratione petitis rationibus, primum quidem Ægyptiis, tum reliquis deinceps omnibus, qui cum iis opinionibus erant, sententiisque conjuncti, probatum fauste, ac feliciter evenerit. Ac Manethus quidem Ægyptius historiam illorum universam græcis litteris fuse admodum explicavit; præsertim vero quæ ad ipsorum Theologiam pertinebant, cum in sacro volumine, tum aliis quibusdam operibus comprehendit. Sed quoniam Diodorus is, quem antea commemoravimus, qui diversas ex pluribus collegit historias, singularumque ritus, quam accuratissime fieri potuit, complexus est, vir sane clarissimus, opinionemque doctrinæ non exiguam apud omnes politioris litteraturæ studiosos consecutus, sic totam in unum veluti corpus veterum historiam coegit, sequentia cum prioribus apte connectens, ut ab illa Ægyptiorum Theologia operis universi principium duxerit: operæ pretium me facturum arbitror, si ex eadem, quæ ad propositam nobis disputationem faciunt, deprompta in omnium oculis ac luce constituam, quod Græci homines sæpius in hujus Auctoris lectione versantur. Hæc igitur ad verbum ille commemorat* (b).
„ Ajunt, *inquit*, Ægyptii .., Deos
„ ipsos, quum homines quoque mor-
„ tales fuissent, tamen propter sa-
„ pientiam, & communia quædam
„ in hominum genus merita im-
„ mortalitatem consecutos esse . . .
„ Deos autem quinque genuerunt,
„ Osirin, Isim, Typhonem, Apolli-
„ nem, ac Venerent . . . jam vero
„ cum orbem terrarum Osiris pera-
„ graret, Phæniciæ quidem Busi-
„ rim, Ætiopiæ autem, ac Lybiæ
„ Antæum ab eo præfectum esse . . .
„ Porro cum nullus populus Osirin
„ propter accepta ab eo beneficia,
„ non quasi Deum exciperet, plu-
„ rima sui passim eundem monu-
„ men-

(a) *Eusеb. proæm. lib. 2. præp. Evang. pag.* 44. *Paris. Edit. an.* 1628.

(b) *Ibid. cap.* 1. *pag.* 45.

„ menta reliquisse, urbesque non „ paucas in India condidisse: alias „ item circa Phrygiam obiisse na- „ tiones; ac per Hellespontum in „ Europam trajecisse; quin etiam „ ex Filiis Macedonem Macedonum „ Regem creasse .., tandemque re- „ bus subductum humanis, templa, „ ac cæteros, qui Diis tribui so- „ lent, honores eximios, ab Iside, „ ac Mercurio consecutum esse, qui „ ejus non modo Sacrificia, religio- „ nesque docuerunt, sed etiam ple- „ raque mysteriis involuta ipsius in „ gratiam excogitarunt. Cæterum a „ Typhone Fratre, homine consce- „ lerato, & impio interfectum il- „ lum fuisse ... est autem hæc com- „ munis existimatio; Gigantas quos- „ dam immani, vastaque mole cor- „ poris, ac prodigioso quodam in- „ structos apparatu Jovem, Osirim- „ que Deos, Isidis temporibus, bello „ lacessivisse. Ex eo denique legem „ illam Ægyptiorum de Matrimonio „ cum sororibus ineundo fluxisse vo- „ luit, quod Osiris primus Isidem „ sororem in uxorem accepisset. *Atque hujusmodi sunt, quæ de hominibus in Deos consecratis Ægyptiorum Historiæ prodiderunt ... jam vero de animalium consecratione hæc ab iisdem fere tradi solent. Quibusdam sane placet, qui ab initio Dii fuerunt, cum ob paucitatem, hominum terrenorum partim multitudine, partim impietate opprimerentur, eos animalium ratione carentium forma tectos periculum declinasse, eorumque naturas, quorum mutuati similitudinem fuerant, ut aliquam ob acceptæ salutis beneficium gratiam referrent, consecrasse ... quam ob causam Deum illum, quem Anubin nominant, canino esse capite, ut eum Osiridis, & Isidis prætorianum esse militem significent ... Tauros Apin, ac Mneuim quod attinet, Divinos ipsis honores concedi ... quod si quis eorum quodpiam sponte, dataque opera occiderit, morte damnatur ... Cæterum Memphi quidem Apin, Mneuim in solis Civitate alunt ... Api magnifice post mortem consepulto, alterum ei persimilem quærunt, eoque reperto, metu populus universus, luctuque liberatur. Vitulus autem primum in Nili Civitate ducitur, ac tum quidem solis mulieribus eum videre licet, quæ coram sistentes se se reductis vestibus, honestas ipsi partes ostendunt, ac deinceps ab omni prorsus ejusdem Numinis adspectu excluduntur: hujus autem in corpus Osiridis vita functi animum transmigrasse ajunt. Hæc illa est Ægyptiorum Divinitatis omnis ejectio potius, quam Theologia, eo usque infamis certe quidem, ut vel eam argumentis oppugnare turpe videatur ... Enimvero cum unum aliquod veluti corpus hunc in modum extitisset ex permixta Phæniciarum, Ægyptiarumque fabellarum varietate conflatum; mirum sane videri non debet, si erroris antiqui superstitio perdiu fuerit apud gentes plerasque dominata* (a). Cæt. *atque id, quemadmodum & superiora, non nostris, sed illorum ipsorum, qui a nobis tantopere dissentiunt, testimoniis ostendemus, quæ palam, ac diserte eo progressam esse coarguunt priorum temporum impietatem, ut jam superstitiosi homines exitialium spirituum æstro perciti, planeque Diabolicam in rabiem acti, ipsos etiam naturæ*

(a) *Ib. lib.* 3. *cap.* XVI. & XVI. *pag.* 154. & *seq.*

turæ fines, ac limites transilirent, cruorisque avidas potestates necessariorum suorum sanguine, aliisque hominum cedibus infinitis conciliari, placarique censerent. Itaque Pater unigenum filium, Materque filiam carissimam Dæmonibus immolabant . . ., quorum ego testem in primis eundem ipsum produco Porphyrium, qui eodem opere, quo expertium ratione animalium sacrificia tanquam nefaria, & iniquissima prohibet, sic ad verbum loquitur . ., (*a*) „ is, quem ad „ Sacrificium destinarant, primum „ quidem adolescentium manibus „ ter circum altare cursim agebatur; deinde a Sacerdote ad stomachum hasta percussus, exstructo rogo cremabatur . . . . similem „ quoque hominum immolandorum „ consuetudinem apud Heliopolim „ Ægypti Amosis sustulit. Manetho „ teste in eo, quem de priscis moribus, ac pietate scripsit . . . *Hactenus ex Porphirio. Jam ex primo Philonis de Phænicum historia volumine hæc pauca subjiciam:* „ apud „ veteres, *inquit*, in more positum „ erat, ut in summis Reipublicæ „ calamitatibus, penes quos aut Civitatis, aut Gentis imperium esset; ii liberorum suorum charissimi, ultoribus Dæmonibus jugulati, sanguine quasi pretio publicum exitium, interitumque redimerent. Qui vero tum ad Sacrificium devovebantur, eos mysticis quibusdam cerimoniis jugulabant. Enimvero Saturnus, quem „ Phænices Israelem nominant, „ quemque post obitum in astrum „ ejusdem nominis consecrarunt, „ cum iis in locis regnaret, ac Filium unicum ex Nympha quadam „ indigena, quam Anobrettem vocabant, suscepisset, eumque propterea Jeiidem appellatum, quod „ ea vox apud Phænices unigenam „ etiamnum significet: cumque teterrima belli clades universam in „ regionem incubuisset: illum ipsum „ regio cultu ornatum ad aram ab „ se se prius erectam, & instructam „ immolavit „ . . . *quamobrem jure „ sane ac merito Hebræorum litteris „ carpuntur illi, atque reprehenduntur, qui ex circumcisorum numero cum essent; iisdem tamen se „ se flagitiis inquinarent*, (*b*) & immolabant Filios suos, & Filias „ suas Dæmoniis . . „

Tum Eusebius, Ethnicismi vanitate rejecta, ac Divinorum oraculorum in veteri Testamento extantium, atque a Novo confirmatorum veritate monstrata: postea prophanos Historicos, qui Assyriorum gesta narrarunt, rerumque Judaicarum mentionem fecerunt, refert, aitque; „ (*c*) Illud, quod in antiquissima „ universi Orbis Historia diluvium „ Moses commemorat, a quo is, „ quem Hebræi Noemum vocant, „ Urcæ ligneæ beneficio cum reliqua „ familia servatus fuerit, a Beroso „ Chaldæo, Hieronymo Ægyptio, „ & Nicolao Damasceno, Historicis referri . . . in libris quibusdam, quorum Auctores incerti „ sunt, (*d*) Abraamum invenimus „ ad Gigantes venisse: Hos porro, „ cum Babyloniam incolerent . . . „ propter impietatem extinctos, ac „ sublatos fuisse, uno tantum Belo super-

(*a*) *Ib. cap.* 1. *pag.* 155. & *seq.*
(*b*) *Psal.* 35. 37.

(*c*) *Lib.* 12. *cap.* 2. *pag.* 413.
(*d*) *Ib. cap.* 18. *pag.* 420.

„ superstite, qui exitio subductus „ Babylonem tenuerit, sedemque si„ bi in ea Turri, quam ipsemet „ excitaverat, quamque Bellum con„ ditoris ex nomine appellarunt, „ delegerit .... Ego vero, in ea, „ quam Abydenus de Assyriorum „ rebus scripsit, historia, (a) de „ Nabuchodonosore hæc præterea „ reperi. „ Megasthenes, *inquit*, „ Auctor est, Nabucodonosorum „ Herculi ipsi fortitudine, atque a„ nimis præstitisse; atque in Ly„ biam, & Iberiam impetu facto, „ utriusque jam domitæ Colonias „ in dextram Ponti plagam depor„ tasse. Quibus peractis ..., Evil„ maluruchum Filium regni quidem „ habuit successorem: sed eo post„ modum ab se interempto, Neri„ glisares Sororis ejus vir filium re„ liquit Labassoarascum. Quo etiam „ violenta nece sublato, Nabanni„ dochum nulla cum eo affinitate „ conjunctum Regem creant; cui „ Cyrus, postea Babylone potitus, „ Carmaniæ principatum ultro con„ cessit. „ *idem porro conditam a* „ *Nabuchodonosore Babylonem fuisse* „ *ita narrat:* „ Ferunt, *inquit*, lo„ ca hæc omnia jam inde ab initio „ aquis obruta fuisse, marisque no„ mine appellata: verum suam sin„ gulis regionem Belum assignasse, „ Babylonemque mænibus cinxisse..., „ postea vero septum illud valvis „ distinctum æreis a Nabuchodono„ sore extructum fuisse: quod ad „ Macedonum imperium usque ste„ terit. Maris quoque Rubri elu„ vionem objectis repressit objicibus. „ Teredonem Urbem adversus Ara„ bum irruptiones excitavit. Pala„ tiumque suum arboribus consitis „ (pensiles hortos vocabat) exorna„ vit. „ Atque hæc ex Abydeno „ referre potissimum eo libuit, quod „ in ipsa Danielis prophetia, Na„ buchodonosor, quum in regni sui „ templo Babylone condito inam„ bularet, has in voces temeritatis, „ & arrogantiæ plenas erupisse le„ gantur: „ (b) Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? cumque sermo adhuc esset in ore ejus; „ ultorem illum e vestigio tan„ ti fastus exitum subiit. Hæc igi„ tur Authorum illorum testimonia „ nostram in rem protulisse suffi„ ciat...(c) quamquam ingentem ejus„ modi Testium tam veterum, quam „ recentiorum copiam ad manum „ habemus quoque, qui ad eorum, „ quos ante produximus, authorita„ tem calculum adjungunt suum: „ verum ne modum excedere videa„ mur, eos quidem studiosis excu„ tiendos, scrutandosque relinqui„ mus. „

Hæc tot, tantaque finitimarum populi Judaici Phœnicum, Ægyptiorum, Chaldæorumque monumenta adlatis veteribus nota vix *scrutari* dignatus est nuperus Censor; qui fingit hos recentioribus eruditiores jactari ex invidia præcipue erga seipsum, qui illa veluti clausa recludere frustra gloriatur. Nam eadem Tatianus aperuit, ipsisque uti maxime scivit: quum inspexerit & *Berosi tres libros*, qui *Chaldæorum historiam*, ac Babyloniorum Regum *gesta*

(a) *Ib. cap.* 41. *pag.* 456.
(b) *Dan.* IV. v. 27.
(c) *Eus. Ib. cap.* 47. *pag.* 458.

gesta continebant: & *Jubam*, qui de *Assiriorum rebus* scripsit: & *Theodotum*, *Hypsiuratem*, *Monachum*, atque *Menandrum Pergamenum*, qui *Phænicum*, quorum urbs florentissima Tyrus erat, *historiam* narrarunt: & demum *Ptolomæum*, qui *Ægyptiorum tempora*, resque *gestas Regum*, qui in Ægypto dominati fuerant, *adcurate descripsit*. Ex quibus omnibus descriptionibus Tatianus collegit, sacram *Mosis* Scripturam quibuscumque Ethnicorum operibus antiquiorem esse & illustriorem. Eusebius etiam *Manethonis*, *Hieronymi Ægyptii*, *Berosi Chaldæi*, *Megasthenis*, *Abydeni*, *Nicolai Damasceni*, *Philonis* Judæi, aliorumque scripta intuitus: atque *Ægyptiorum*, *Phænicum*, ac nonnullorum *Hebræorum* impios ritus, moresve, & *Nabuchodonosoris arrogantiam* execratus; sacram historiam partim illustravit; partim Regum præsertim Babyloniorum successionibus, ac suo Chronico sacræ Chronologiæ lumen prætulit. Proinde veteres ipsi non ex invidia, sed ex rerum notitia Recentioribus peritiores laudantur.

Præterea Eusebius Nicolai Damasceni testimonium Berosi Chaldæi narrationi consentaneum, quod ille in Assyriorum historia posuerat, adhibere scivit; quod perinde non fuit, ac si ipsum non habuisset Eusebius: qui tamen alia ejusdem Damasceni dicta, quæ iste in Herodis vita exaraverat, ut ab eo mentiente Herodis assentatore prolata omisisse censendus est: præsertim quum ad Natalem Christi annum, quem S. Lucas Evangelista (*a*) Cyrinio Syriæ Præside census Judaici descriptionem faciente evenisse indicaverat, confirmandum usus sit Josephi Hebræi testimonio; qui ejus Herodis magni temporibus proximus illam hujusce vitam a Damasceno descriptam viderat, eumque assentationis immodicæ, qua Herodem oneravit, insimularat, ipsamque Census descriptionem bene exposuerat.

Quod vero attinet ad alia Ethnicorum Historicorum volumina, quæ supersunt, audiendus est iterum Eusebius, qui in illo Præparationis Evangelicæ libro probavit, Philosophos, & Historicos Ethnicos plura e Divinis Moysis, & Prophetarum litteris hausisse, ac sæpe ab aliis Ethnicis opera suffuratos esse; iisque *fabulosas* narrationes *Deorum* inseruisse. Hoc ille ex Clemente Alexandrino ostendit his verbis: (*b*) „ Neque vero mirum videri debet, „ quod Hebræorum sententias investigari a Græcis, & curiosius explorari potuisse dicamus; quum „ reliquas ipsi doctrinas ex Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumque Gentium Barbararum spoliis non „ modo conflaverint, sed etiamnum „ ambitiosæ omnes æmulationis rei „ teneantur; dum alterius alter plagiarius esse non veretur ... Clemens ille noster fuse admodum „ stromatum sexto disputationem „ istam exequitur ... Hic Orphei, „ Hæracliti, Platonis, Pythagoræ, „ Herodoti, Theopompi, Thucydidis, Demosthenis, Eschinis, „ Lysiæ, Isocratis, & infinitorum „ aliorum loca inter se committit... „ Nam quum alii temere æstu quo- „ dam

(*a*) *Vide caput* v. *libri* 1. *Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii*.

(*b*) *Eus. lib.* x. *præpar. Evang. cap.* 1. & 11. *pag.* 455. & *seq.*

„ dam Falsarum, ac multiplicium „ Opinionum abrepti, tanquam in „ altum ineptæ loquacitatis gurgi- „ tem effusi sunt: tum illi sane pau- „ lo synceriore usi judicio, quibus „ de rebus veram animi notionem „ informarunt, in iis quidem non- „ nullum se Hebraicæ doctrinæ gu- „ stum habuisse declarant .... (a) Ac „ Mosis quidem & Prophetarum eo „ posteriorum antiquitatem .. su- „ bjiciam ... Cum Servatoris nostri „ natalem omnium consensu in Au- „ gusti Imperatoris tempora incidis- „ se, Christum vero circa decimum „ quintum Tiberii Cæsaris annum „ proseminandi Evangelii initium „ fecisse, constet: si quis ab eodem „ annorum summam ita colligere „ voluerit, ut per superiora retro „ tempora ad Darium usque Persa- „ rum Regem, & instauratum Hie- „ rosolymis sub eo Templum, id „ quod post judaici populi ex Ba- „ bylone reditum contigit, nume- „ rando perveniat; is a Tiberio ad „ Darii secundum, annos omnino „ reperiat quingentos, & quadragin- „ ta octo. Nam Darii quidem se- „ cundus in primum Olympiadis „ sexagesimæ quintæ, Imperii deci- „ mus quintus in quartum ducen- „ tesimæ tertiæ Olympiadis incur- „ rit: quocirca Darium Persam in- „ ter ac Tiberium Romanorum Im- „ peratorem, centum ac triginta se- „ ptem Olympiades intercedunt, „ quæ summam annorum quingen- „ torum, & quadraginta octo: con- „ ficiunt, quadriennio singulis O- „ lympiadibus attributo. Et quo- „ niam Darii secundus annus cum „ Hierosolymitani Templi vastita-

„ tis septuagesimo congruebat, ut „ ex Hebræorum historia liquet; si „ gradum etiam inde retro flectas, „ ab anno Darii secundo ad primam „ usque Olympiadem anni conficent „ omnes quinquaginta sex supra du- „ centos; Olympiades vero quatuor „ & sexaginta: quot plane ab ulti- „ mo excisi Templi anno ad Osiæ „ Judæorum Regis quinquagesimum „ numerantur; quo tempore Isaias, „ Oseas, aliique amborum æquales „ Prophetæ claruerunt. Ita prima „ Græcorum Olympias cum Isaia, „ & ipsius æqualibus congruit. Rur- „ sus qui ad superiora tempora re- „ currere voluerit; is ab Olympia- „ de prima ad Captam usque Tro- „ jam, annorum summum conficiet „ octo supra quadringentos; quem „ numerum Chronologici Græcorum „ Commentarii repræsentant. Simi- „ liter apud Hebræos ab Osiæ Ju- „ dæorum Regis quinquagesimo si „ gradum ad Labdonis Hebræi quon- „ dam Judicis tertium feceris, æ- „ qualem annorum quadringento- „ rum, & octo numerum colliges: „ atque ita sub Labdonis Judicis „ tempora Captum Ilium fuerit, „ septem annis antequam Samson „ Hebræus imperaret ... quod si ab „ illo tempore annos rursus qua- „ dringentos sursum versus numera- „ veris, Mosen apud Hebræos, apud „ Græcos Cecropem illum terrige- „ nam reperies: quo quidem recen- „ tiora esse, quæcunque Græci tan- „ topere celebrant, nemo non fate- „ tur ... Inachi Regnum in quin- „ tum a Semiramide Assyriorum „ Regem incidit, annis post illam, „ atque Mosen centum, & quin-

(a) *Ib. cap. ix. pag. 483.*

„ quaginta, quibus nihil apud Græ-
„ cos memoria dignum gestum es-
„ se reperitur.

Itaque ex antiquis omnibus prophanis Historicis, qui cum reapse infiniti non fuerint, improprie innumeri, ac proprie plurimi appellantur, multo plura Veteres, quam Recentiores, ad evincendam Mosis, & Prophetarum antiquitatem, atque ad aliquot horum oracula illustranda sumpserunt: quia, ut de Josepho Hebræo sileam, Clemens Alexandrinus Scriptorum pene *infinitorum loca fuse admodum inter sese commisit* Critices ope, qua *alterum Historicum*, ut *Herodotum*, ut *Thucididem*, ut *Xenophontem*, (*a*) qui ab eo inibi nominantur, *alterius plagiarium* fuisse monstravit: quos etiam Historicorum *Ægyptiorum*, ac *Babyloniorum Spoliis* ornatos Eusebius nuntiavit. Ac si prophanorum Historicorum loca, quæ Josephus, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, cæterique ad idem monstrandum afferunt, comparentur cum iis, quæ nuperi eruditi adducunt; profecto excedent ea, quæ isti commemorant: quæ proinde antiquitatem universam nequaquam fugerunt; præsertim cum Clemens, & Eusebius prophanos illos auctores, quorum aut volumina, aut pauca fragmenta supersunt, librorum fures non declarassent, nisi omnia, quæ in integris ipsorum scriptis extabant, probe vidissent. Præterea idem Eusebius, qui *incertos Auctores* a certis distinxerat, & *ingentem* istorum *copiam habuerat*, tum ex Abydeno Regum Babyloniorum successiones, quarum notitia Scripturæ Sacræ intelligenda prodesset, explicuit; tum ex *Chronologicis Græcorum Commentariis* talem Chronologiam effecit, ut ab eo, ejusque etiam Chronicis illas successiones, Sacramque Chronologiam Recentiores acceperint; a quibus eas ob causas ex omni prophanorum Historicorum opere nihil collectum est, quod universæ vetustati Ecclesiasticæ clausum fuerit. Quid ergo morosus Criticus sine veteribus facere posset, si ipsi aditus ad prophana certorum auctorum maria, quæ dudum exaruerunt, pateret? Sane iis obrueretur: quandoquidem absque Eusebii Critice *incertos* Scriptores, incertamque Chronologiam a certis Historicis, certaque temporum serie discriminare nequiret.

Subinde Disputator objecit, quod Clemens Alexandrinus, & Eusebius etiam habuerint innumeros Philosophos, ab iis innumera figmenta inania acceperint, ac Theologiam Christianam Ethnicæ Philosophiæ admistione corruperint.

At quam acute collecta crimina! Clemens in admonitione ad Gentes Philosophos Ethnicos hoc argumento insectatus est: *persequamur autem, si velis*, sententias (*b*) *quoque Philosophorum, quas de Diis jactitant, si forte ipsam quoque inveniamus Philosophiam, propter inanem gloriam ex materia idola constituentem... Principia itaque a se laudata reliquerunt; Thales Milesius Aquam: Et Anaximenes... Aerem... Parmenides autem Elisiates introduxit Deos ignem & Terram... Sunt autem hi* quo-

(*a*) *Clem. Alex. Strom. VI.*
(*b*) *Clem. Alex. in adm. ad Gentes pag.* 42. *Colon. Edit. an.* 1688.

quoque impii, qui insipida quadam sapientia adorarunt materiam... Ne Sauromatas recenseam, quos refert Nymphodorus in Libro de legibus Barbaricis, ignem colere, aut Persas & Medos, & *Magos... neque vero eorum celaverim inscitiam: nam etsi se maxime existimant fugere ab errore, in alium tamen labuntur errorem. Deorum quidem simulacra ligna & lapides non existimarunt, ut Græci: Sed nec Ichneumonas & Ibides ut Ægyptii; sed ignem & aquam ut Philosophi. Multis tamen postea annorum curriculis eos figuras hominum ad instar expressas coluisse, ostendit Berosus in tertio Chaldaicorum... fateantur ergo Philosophi suos Magistros fuisse Persas, vel Sarmatas, vel Magos, a quibus didicerunt impietatem venerabilium sibi principiorum: Principem omnium effectorem & ipsorum principiorum opificem ignorantes Deum... Elementis præteritis... alii quidem ex ipsis laudarunt infinitum, ex quibus fuit Anaximander Milesius, & Anaxagoras Clazomenius, & Atheniensis Archelaus: atque hi quidem ambo infinitati præfecere mentem. Leucippus autem Milesius, & Chius Metrodorus, ipsi quoque ut viderentur, duplicia reliquere principia, plenum, & inane. Ab his autem duobus mutuata adjecit simulacra, seu rerum species Democritus Abderitanus. Alcmæon vero Crotoniata astra Deos esse putabat, ut quæ sint animata. Sed nec eorum silebo impudentiam. Xenocrates, fuit hic Carthaginensis, septem quidem Deos Planetas, octavum vero, qui ex his omnibus constat, Mundum tacite significat. Sed nec prætermittam Stoicos, qui ad omnem quantumvis vilem, & abjectam materiam dicunt Deum* ὅλως *pertinere; qui aperte suam Philosophiam afficiunt dedecore. Sed nec molestum fuerit, ut arbitror, cum ad hunc locum pervenerim, meminisse etiam Peripateticorum: cujus quidem sectæ, qui est Pater, nihil de eo Patre, qui supremus est, intelligens, putat esse animam universi: hoc est, Mundi animam Deum esse existimans, ipse a seipso confoditur. Qui enim usque ad Lunam ejus definit Providentiam, deinde Mundum Deum esse existimat, evertitur, ut qui eum, qui est Dei expers, Deum esse arbitretur. Eresius autem ille Theophrastus, familiaris Aristotelis, alicubi quidem Cœlum, alicubi vero spiritum, Deum esse existimat. Nam Epicuri quidem solus vel lubens oblivisicar, qui Deo dicit non esse curæ res humanas, impie se gerens per omnia. Quid vero Heraclides Ponticus? Non ipse quoque alicubi ad Democriti abripitur simulacra? Magna mihi adfuit hujusmodi turba, inducens veluti quandam larvam Dæmoniorum, absurdas exterorum fabulas, nugis anilibus adumbratas. Longe abest, ut viris permittamus audire ejusmodi fabulas, qui ne lachrymantes quidem, ut dicitur, filios narrando fabulas solari assuescimus, timentes, ne una cum eis nutriamus impietatem, quam sane hi profitentur, qui sibi videntur sapientes; quum veritatem non magis noverint, quam pueri. Quid enim, o per veritatem, eos, qui tibi crediderint, fluxui, & interitui misere & inordinate efficis obnoxios? Cur vero vitam reples simulacris, quum vel ventos, vel aerem, vel ignem, vel terram, vel lapides, vel ligna, vel hunc mundum Deos effingis? & de Diis aliis, nempe stellis errantibus, apud homines, qui vere aberrarunt, per hanc vulgo jactatam astrologiam,*

logiam, non astronomiam, sublimia loqueris, & nugaris?... tempus est itaque, postquam alio ordine a nobis jam sunt præstita, ad Scripturas ut veniamus Propheticas. Prophetarum enim responsa materiam nobis aperte præbentia ad Dei cultum & religionem, veritati fundamentum subjiciunt. Divinæ autem Scripturæ, honestæque & moderatæ vitæ institutiones, viæ compendiosæ, nudæ a verborum fucis, & ornamentis, blanditiisque & illecebris hominem a vitiis jam suffocatum erigunt.

Eusebius quoque in. 1. Capite, atque etiam in ultimo laudatæ Præparationis Evangelicæ propositum suum, quo Ethicorum impietatem, & Philosophiam Ethnicam fabulis, atque inter se diffidentibus Philosophorum opinationibus refertam abjiciendam, ac suscipiendum Divinum Vetus, & Novum Testamentum docuerat, ita perfecit: (a) *Speciosum hoc totum Philosophandi genus repudiandum esse, vel ipsi eorum Theologi confitentur. Atque id sane diligenter in primis observandum, quos illi vetustissimos omnium Theologos habuerunt, eos præter nudam rerum historiam agnovisse nihil, solis inhæsisse fabulis, pluribus testimoniis constitisse. Quo factum proinde sit, ut in omnibus passim urbibus, atque pagis, uti a Veteribus concepta fuerant omnia, Deorum religiones, atque mysteria, jactatis pridem fabulis consentanea traderentur... Sed tamen liberalius agere placuit, ac totam illam naturalium etiam accomodationum pompam, ac speciem, tanta verborum ambitione jactatam, & inventas a Sophistis, atque Philosophis enarrationes ob oculos ponere...* (b) *physicas illas disputationes non molestas esse dumtaxat & humana facultate majores, sed impias etiam, legibusque contrarias: alios quippe nullos plane Deos admittere; alios aut infinitum, aut id, quod est, aut unum aut alia quælibet pro Diis habere, quam qui vulgo recepti sunt: atque hos inter magnam præterea dissensionem esse: alios enim universum infinitum ponere; alios certis finibus comprehensum: itemque alios omnia moveri statuere, alios omnino nihil... verumenimvero cum hactenus & mutuas hominum istorum altercationes, & illam non minus alienam a nobis, quam inanem per sese, nullique parabilem cæterorum omnium, quibus hodieque Philosophi gloriantur, cognitionem, non nostris, sed domesticis illorum ipsorum clarissimisque testimoniis abunde coarguerimus: cumque præterea causam illam omnibus spectandam protulerimus, quæ nos cum ad repudiandam ipsorum doctrinam, tum ad complectenda Hebræorum oracula impulerit: Evangelicæ huic Præparationi finem aliquando imponamus.*

Quæ est igitur illa Novatoris subtilitas, puras Doctrinas Theologicas vetustate robustas criminationibus velle pervertere? Non enim obscuritate hæc testimonia involvuntur, quæ liquido edocent; a Clemente, atque Eusebio non recepta fuisse innumera, sive permulta Ethnicorum Philosophorum commenta, neque Christianam Theologiam Philosophiæ Ethnicę admixtione.. ab iisdem corruptam, quippe qui *magnam* illorum figmentorum *turbam* veluti lar-

(a) Pag. 783.

(b) Pag. 855.

larvam quandam Dæmoniorum, *absurdasve exterorum fabulas nugis anilibus adumbratas* vel a *viris*, vel a *pueris audiri timuerunt*, *ne una cum eis nutriretur impietas*: quin etiam *philosophandi genus jactatis pridem fabulis consentaneum*, ac *mutuas Philosophorum altercationes*, quibus ii aut *Deorum multitudinem* inducebant, aut Deum *unum*, *qui est*, *aliis Diis falsis* immiscebant, palam *coarguerunt*. Illi ergo ab ea *fabularum turba longe abfuerunt*, *nec* Theologiam Christianam Ethnica *impietate nutrierunt*; utpote qui istam *non minus* alienam a *nobis*, *quam inanem per sese* Ethnicæ Philosophiæ *cognitionem* apertissime *repudiarint*. Quod si illi ipsi Ecclesiastici authores Ethnicorum Philosophorum commenta, mutuas contentiones, & quædam dicta e Divinis litteris sumpta, quibus tamen falsa impie permiscebant, fusius exhibuerunt: profecto illis magnam gratiam eo debemus, quo horum fallacias *coarguendo* detexerint, *unius Dei* extantiam, & *cultum* illustrarint, atque *exterorum testimoniis* oracula Scripturæ Sacræ, ac rectissima documenta Christianæ *Religionis* firmarint: a quarum doctrinis, non a Philosophorum figmentis, *veritatis fundamentum*, & *compendiosas vias*, atque adeo investigandi veri, & ordine disponendi artem, accepisse se, ac didicisse asseruere. Non igitur Clemens, non Eusebius, non alius Pater in istis Philosophorum falsitatibus arguendis deliquerunt. Solus ergo Origenes, non maxime aliorum omnium, qui eorumdem figmentorum nihil admiserunt, Ethnica Philosophia abusus est: cujus tamen abusionis, atque errorum, quos inde extorserat, eum pænituit: quem pœnitentem potius, quam errantem, ac peccandi exempla præbentem, multi Origenistæ sequi debuerant.

Huc accedit, quod illi alii Scriptores Ecclesiastici Ethnicam Philosophiam, quæ plures Deos comminiscebatur, nec imitati, nec secuti, immo execrati; plura, quæ in Philosophorum libris invenerant, ordinatim collocarunt ea cura haud exigua; ut partim superstitiosos istorum errores ratiocinationibus firmis eliminarint; partim Sacræ Scripturæ, & Christianæ religionis præstantiam ex nonnullis eorum monumentis, quæ ad *nudam historiam* spectabant, valide evicerint: quorum utrumque multam, ac rectam veterum eruditionem magni æstimandam esse commonstrat.

At Censor, dimisso hoc eruditionis genere, non modo ad Patrum verba, sed & iterum, iterumque ad ipsorum stylum pertransit: & quod ad verba attinet, præsertim latinos ideo suggillat, quia maxima horum pars pro modulo suæ ætatis, non ad meliorem sæculorum normam scripsit. Verum non maxima, sed magna eorum pars gravibus ex causis ita scripsisse dicenda est, non arguenda. Siquidem aliquot latini scriptores Ecclesiastici meliorum latinarum ætatum, aureæ nimirum, & argenteæ verba protulerunt: qui proinde in ea maxima parte inclusi, injuste taxantur. Alii autem Patres, dum apud populum concionarentur, suæ ætatis vocabula usurparunt, ut ab eo facilius intelligi possent: sed, quum adversus Ethnicos, & Hæreticos opera exararent, cuidam meliori loquendi normæ adhæserunt; quæ si non summa, ne contemptibilis quidem est: quoniam illa volumina Patres docentium more, quem

quem Cenſor requirit, ſcripſere; qui mos non omnem, at aliquam latinæ linguæ exigit puritatem. Et vero S. Juſtinus Martyr in Apologiis, & in Dialogo cum Tryphone, S. Irenæus in libris adverſus hæreſes; Tertullianus in Apologetico, & in Præſcriptionibus; S. Cyprianus in libro de Idolorum vanitate, & in alio de unitate Eccleſiæ; Minutius Felix in Dialogo; Lactantius ſuis in libris; S. Athanaſius in orationibus contra Arianos, S. Baſilius in libris adverſus Eunomium, & in ſcripto de Spiritu Sancto; S. Ambroſius in libris de Fide ad Gratianum; S. Hieronymus in libris contra Jovinianum, Vigilantium, & Pelagianos; S. Auguſtinus in libris adverſus iſtos, alioſque Heterodoxos; Theodoretus in Dialogo contra Eutychianos; Concilii Chalcedenonſis Præſules in memorata adlocutione ad Marcianum; cæterique ſedatum docendæ fidei Catholicæ ſtylum, & utilitatem ſecuti ſunt: qui ſi nonnunquam in incredulos, & Hæreticos recte invecti ſint, non idcirco plerumque ipſorum ſtylus declamantium eſt, non pacate docentium: nam etſi Paulus Apoſtolus admirabili quodam Fidei, ac pietatis zelo in aliquos, præcipue in Galatas, commotus fuit: tamen non declamatorio, ſed ſedato docendi ſtylo ſcripſiſſe creditur: ita neceſſe eſt, adverſarium, qui ſibi Patres admirationi eſſe perperam haud dictitat, fateri, maximam partem ſtyli plerorumque recenſitorum Patrum, qui juſto Fidei zelo in quoſdam errantes interdum invehuntur, quorumque aliquot doctrinas ſupra exhibuimus, non declamatoriam eſſe, at ſedatam, & qualem eſſe oportet docentium. Quo id cordati omnes fatentur; ac ſæpius facile aſſequuntur, quod ſibi veteres velint; ſubindeque optant, aliquos doceri, ut aperta Patrum ſenſa bene percipiant; qui ὐκ ἀμαθέστερον μὲν, σαφέστερον δὲ hoc eſt, non rudius quidem, ſed apertius ſua ſenſa ſcripſerunt, mentem ſuam ſic erudite, & liquido exprimentes, ut non pauci eam, ac plura Religionis Chriſtianæ dogmata, contra atque adverſarius falſo argutatur, intellexerint, ac celebrarint: id quod fecerunt Euſebius, S. Athanaſius, S. Baſilius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Synodi Epheſina, & Chalcedonenſis, Theodoretus, S. Joannes Damaſcenus, ac Photius; quos Conſulere, non Patres inconſulto laceſſere, cenſor debebat.

Iſte vero Patrum ſtylum, & mentem omittendo, rurſus tranſilit in ſtudiorum ſubſidia, atque Origenem, ac S. Hieronymum linguæ Hebraicæ peritos nequicquam carpit, quod ii lingua Syriaca, & Arabica, quæ Hebraicæ intelligendæ maximo uſui eſſent, uti neſciverint.

Sed quo argumento ad hæc abjicienda utar potius, quam Novatoris aſſertione? qua ait; quod „ Syri, & Arabes perfacile potuiſſent „ a Judæis Hebraicam linguam diſcere „: non ergo lingua Syriaca, Arabica, atque etiam Punica ad percipiendam Hebraicam a laudatis veteribus expeti debuerant & ediſci: quia non a Syris, non ab Arabibus, non a Punicis Judæi, ſed ab hiſce illi Hebraicam linguam diſcere poterant: quo fit, ut Origenes, ac S. Hieronymus lingua Punica & Arabica ad Hebraicam capiendam haud neceſſariis non uti ſciverint, atque injuria ab opponente pulſentur. Cum autem Chaldai-

cum,

cum, five Syriacum Idioma ad Hebræum oppido accederet: hinc iidem veteres illud ex hocce noverunt, atque adhibuerunt. Et vero S. Hieronymus ad Sacras Scripturas Hebraicas in latinum vertendas, atque explicandas nedum Syriaca, verum etiam Hebraica lingua, quam maxime norat, admodum usus est. Ad cujus linguæ notionem fine magistrorum ejus auxilio Punici, seu rustici, seu docti, nec pervenire, nec domesticis opibus ipsam illustrare potuissent; quippe quorum magis, quam Syrorum idioma ab Hebræo distaret: ad quod intelligendum Punicæ linguæ specimina a Bocharto edita, ac Punici Scriptores, quorum aliquot fabulas Eusebius supra innuit, minus valent propter illam distantiam, quam nec Censor ipse negaverit, qui illud, quod modo retulimus, asserit; ideoque Punicorum authorum desiderio, & nota Origeni, ac S. Hieronymo incassum inusta sane laborat.

Tum autem iste obtrudit, quod Græci, & Latini Patres absurdissime statuerint, septuaginta Interpretes divinitus adflatos fuisse. Atqui oppositum ex Apostolis constat, qui in Evangelii prædicatione ubique terrarum facta septuaginta Interpretum versionem haud interpolatam adhibuere: qua illi usi non essent, nisi isti uti interpretes ei faciendæ divinitus inspirati fuissent. Nam quemadmodum ad revincendos Hebræos, & ad Evangelii veritatem ostendendam Prophetarum ut divinitus afflatorum oracula adduxere: ita ad Hellenistas Judæos confutandos, ad eamque veritatem corroborandam septuaginta Interpretum utpote a Deo instructorum versionem græcam adlegarunt: quæ ratio firmiter vincit, Patres Græcos, & Latinos non absurdissime, sed rectissime sensisse, quod iidem Interpretes divinitus afflati illam translationem effecerint: cujus plura Hebraico textui ex firmioribus Criticæ regulis consona, ipsos setpuaginta Interpretes Hebraicæ linguæ haud imperitos ostendunt. Quibus de causis Patres Apostolorum temporibus proximi, aliunde Ethnicorum persecutionibus præpediti, atque ad permultas hæreses eliminandas intenti, bene maluerunt, Septuaginta versionem puram, & ab Apostolica Ecclesia receptam adferre, quam Hebraicam linguam addiscere. Alii vero posteriores Patres ubi perspexerunt, eam in translationem ætatis progressu aliquot menda irrepsisse, deinceps in perdiscendo idiomate Hebraico curam, operamque ponentes, Divinas litteras Hebraicas græcis, ac latinis versionibus enodarunt, ac defenderunt.

Hinc reliqui Patres in suæ linguæ cognitione adquiescentes, cum sæpenumero litteralem Theologicum Sacrarum Scripturarum sensum, tum aliquando allegoricum interpretandi genus commode sectati sunt: quo tamen genere nihil futilius esse, morosus Censor dubitando obtrudit; atque errat, dum resistit Apostolo Paulo: qui ut populum Christianum Divinarum promissionum Abrahæ factarum hæredem probet, Sacra de eo populo *per allegoriam dicta* ita apposite Galatas edocet: (*a*) *Scriptum est enim, quoniam Abra-*

(a) *Ad Gal.* IV. v. 22. & *seq.*

braham duos filios habuit : unum de Ancilla, & unum de libera. Sed qui de Ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem : quæ sunt per allegoriam Dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta : unum quidem in Monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim Mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum Filiis suis. Illa autem, quæ sursum est, Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim, lætare sterilis, quæ non paris : (*a*) erumpe, & clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet Virum. *Nos autem, Fratres, secundum Isaac promissionis Filii sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura ?* (*b*) Ejice ancillam, & Filium ejus : non enim hæres erit Filius Ancillæ cum Filio liberæ. *Itaque, Fratres, non sumus Ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate Christus nos liberavit.* Quid ergo dicit Divina Pauli Scriptura ? Ea, *quæ sunt per allegoriam dicta*. Num eadem futilia dicantur? Talia errans adversarii Grammatica iniquius appellabit adversus doctrinam Apostolicam, ac sanctos Ecclesiæ Doctores istam sequentes : quibus nixa Catholicorum Theologia defensitat & complures litterales Theologicos sacrarum litterarum sensus, qui scilicet verborum, rerumque connexionem respiciunt ; & aliquod allegoricum interpretandi genus ; quod ejusmodi dicitur, cum aliud verbis, quorum solam sintaxin Grammatica spectat, exprimitur, aliud sensu intelligitur : quem doctiores Patres non ex singulis Divinorum librorum capitibus, neque ex omnibus eorum Oraculis, sed tantum ex aliquibus, quæ ipsum apposite referunt, deprompserunt, servata Sacræ Historiæ veritate. Non igitur quisquis summa Theologiæ, atque Æthicæ Christianæ capita norat, & facultatem quandam vernacula lingua dicendi sibi compararat, ex quolibet Sacræ Scripturæ loco quidlibet deducere poterat ; neque deduxit, allegoricis machinis, prout libebat, adhibitis: in quibus Censor ipse illigatur, prætermittendo studiorum rationem, quam in expositione dogmatum Catholicorum, inque eversione hæresum Patres habuere: quippe qui vel græca, vel latina lingua, vel etiam utraque ex multis Sacris singularibus testimoniis plura dogmata propria, ac specialia collegerint ; Hæreticosque identidem proprio Divinorum oraculorum sensu ; interdum improprio, uti in ipsorum libris cernitur, refutarint ; ac sæpe litterali Theologico sensu, quandoque allegorico Sacras litteras sint interpretati. Non ergo ex quolibet Scripturæ Sacræ loco quidlibet, prout liberet, eruere poterant, neque eruerunt; sed propria, ac singularia dogmata orthodoxa ex propriis Divinis Testificationibus, & quasdam allegorias ex locis iis, qui ipsas congruenter ferebant, merito elicuere. Quæ loquendi, scribendique consuetudo, utilitatis, non futilitatis, plena, cuicumque adversarii locutioni præferenda est, utpote Apostolica.

Qua-

(a) *If.* LIV. I.

(b) *Gen.* XXI. 10.

Quamobrem Patres recentioribus pares non fuerunt, sed isti Eruditiores, ac majori reverentia digni, quam iidem nuperi interpretes: cujus reverentiæ Patribus debitæ prælatio haudquaquam nititur falso judicio: quia Patres Apostolicis temporibus aut proximi, aut suppares, Apostolica documenta exactius noverunt, quam scriptores a temporibus illis multum distantes; quorum proinde eruditio si Veterum doctrinæ non consonet explodenda est: quod hanc illa omnino præstantiorem declarat. Quare morosus Criticus sui erroris glandibus vescatur, qui sani documenti frugem a Paulo Apostolo inventam, a quo etiam allegoricus nonnullarum Sacrarum Scripturarum sensus docetur, minime admittit.

Etsi autem quibusdam nævis Orthodoxam fidem haud spectantibus boni, ac docti viri antiquiorum sæculorum adfecti fuere: nihilosecius hisce idcirco plaudendum est, quod, illis minime obstantibus, Apostolicam, catholicamque doctrinam pure tradiderint. Et quidem solus Christus, Deus & homo, summe immunis fuit omnis vitii, omnisque erroris; ac propterea & deligendus ut absolutissimum omnis sapientiæ, ac virtutis exemplar, & per omnia laudandus; quæ res sicut non impedit, quominus celebremus sanctos Apostolos ejus discipulos: horumque doctrinam ab illo donatam, omniumque errorum expertem: ita neque prohibet, ut laudem tribuamus Patribus contra errores asserentibus Apostolicam, Orthodoxamque doctrinam.

Secundum quam S. Victor I. Romanus Pontifex labente secundo sæculo decrevit, Paschatis festum non quarta decima luna Martii, uti Asiani mordicus contendebant, sed die Dominico post eam lunam, prout Apostoli tradiderunt, celebrandum esse. Quocirca Eusebius in Historia Ecclesiastica dicit, quod Episcopi plerique (a) *omnes uno consensu Ecclesiasticam regulam universis Fidelibus per Epistolas tradiderunt; ne videlicet ullo alio, quam Dominico die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur .., utque eo dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus. Extat etiamnum Epistola Sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt; quibus præsidebat Theophilus Cæsareæ Palæstinæ, & Narcisus Hierosolymorum. Alia item extat Epistola Synodi Romanæ. cui Victoris Episcopi nomen præfixum est. Habentur præterea litteræ Episcoporum Ponti, quibus Palma, utpote antiquissimus præfuit. Epistola quoque Ecclesiarum Galliæ extat, quibus præerat Irenæus .... aliorum quoque complurium Epistolæ extant, qui omnes eandem Fidem, eandemque doctrinam proferentes, unam edidere sententiam ....* (b) *Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi a Majoribus traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates præerat ... Victor quidem Romanæ Urbis Episcopus illico omnes Asiæ, vicinarumque Provinciarum Ecclesias* ἀποτέμνειν ὡς ἑτεροδοξούσας *tanquam contraria rectæ doctrinæ sentientes a communione abscindere* πειρᾶται *conatur ... Irenæus in Epistola, quam scripsit nomine Fratrum, quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Domini-*

(a) *Eus. lib. v. Hist. Eccl. cap. 23. pag. 210.*

(b) *Ibid. cap. 24. pag. 211. & seq.*

minico Resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum : Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias morem sibi a Majoribus traditum custodientes a Communione abscindat . . . (a) Episcopi vero Palæstinæ, quos paulo supra commemoravimus, Narcissus scilicet, & Theophilus, & cum illo Cassius Tyri, & Clarus Ptolemaidis Episcopi, & qui simul cum ipsis convenerant, postquam de Traditione diei Paschalis, quæ jam inde ab Apostolis ad ipsos continua successione manaverat, multa in suis litteris disseruerunt, tandem ad finem Epistolæ his utuntur verbis : Date operam, ut Epistolæ nostræ exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas suas a recto veritatis tramite facile abducunt.

Abducit ergo a recto veritatis tramite animam suam nuperus censor, qui illis plerisque *omnibus* Episcopis, ac Victori Summo Pontifici crimen hoc imputat, quod in relatis controversiis dederint gravia humanorum adfectuum indicia ; quæ falsa propterea sunt, quia iidem Antistites *Apostolorum traditione*, ac non ita gravi humanorum adfectuum impetu, excitati edixerunt, ut post eam lunam Die Dominico, contraquam Asiani suo more antea tolerato *acriter*, ac turbulentius *contendebant*, ubique Pascha celebraretur. Ac Victor Asianos a communione Ecclesiastica *abscindere conatus*, reapse eos ab ista minime abscidit : quoniam is ex verbo *πειρᾶται*, quod tentare, & conari significat, eam abscissionem jure tentasse, non executus esse cognoscitur: quoniamque S. Irenæus eundem Pontificem, ne separationem ipsam efficeret, haudquaquam monuisset, si reapse eos ab Ecclesiæ unitate ille resecuisset. Qui tamen illud tentavit non humanorum adfectuum nævo, sed eo, quod Asiani *contraria rectæ Doctrinæ*, quam etiam Irenæus defendit, *acriter sentiebant*. Proinde *Doctrina* Victoris *recta*, atque adeo nullis admixta erroribus fuit.

Sed & S. Stephanus medio tertio sæculo Pontifex Maximus, *saluberrimam* non rebaptizandorum Hæreticorum, (b) qui recta baptismatis forma baptizati erant, *consuetudinem*, & Apostolicam traditionem, ac non ita vitiosos humanos adfectus, sectatus; illum usum decreto suo communivit, atque opposuit Cypriano: qui ipsum Apostolicum, ac vetustissimum non rebaptizandi morem ab Agrippino Carthaginensi Episcopo correctum haud recte pertendit; in quo, non in aliis certis dogmatibus, humani quidpiam passus est; verumtamen excusatione tegendus; quia *nondum erat diligenter illa baptismatis quæstio pertractata*, referente S. Augustino (c).

Hinc de usu non omnis quidem generis Scriptorum, sed Ecclesiasticorum intelligitur, quod habere nequeamus alios certiores, ac fide digniores gestorum, ac dogmatum testes, quam Sanctos Apostolos, ac Patres : quorum posteriorum plerique causas, ac facta diligenter intuiti, cum illa, quæ ab Apostolis gesta, ac tradita fuerant, tum ea, quæ succedentibus temporibus in Apo-

(a) *Ibid. cap. 25. pag. 217.*
(b) *Vide S. August. lib. 2. cont. Don. cap. 7. num. 11.* (c) *Ibid.*

Apoſtolica Eccleſia gerebantur, & credebantur, protulerunt in medium: Ex quorum ſcriptis haurire debemus hiſtoriam factorum, ac dogmatum: & cuilibet Eccleſiaſtico Teſti eadem, quæ in ipſa Catholica Eccleſia ſunt geſta, atque credita enarranti credamus oportet. Etenim certa Eccleſiaſtica monumenta, ac facta a dubiis, inque medio relinquendis ſecernentes; circumſtantiarum omnium momenta ponderamus plus, quam alias de prophanis Hiſtoricis fieri ſolet. Præterea in Hæreticorum cauſam inquimus, ac præcipue doctrinam traditam a pleriſque Patribus, qui, uti probavimus, a ſtudio partium liberi fuerunt, ac ſic nullo præjudicio erroneo laborarunt, conſideramus; ob idque tuto Patribus credimus, eorumque teſtificatione confirmamus, Eccleſiæ Catholicæ dogmata non eſſe nuper inventa, ſed ſemper in Chriſtianis Eccleſiis viguiſſe; ipſorumque dogmatum contraria ſentientes hæreſium æquius inſimulatos eſſe; iſtaſque ut errorum maculis notatiſſimas ab Eccleſia juſte damnatas; ob eaſque rationes Adverſarii accuſationem, qui in erroris tenebris, & in diſputationis æſtu verſatus acerbe in Patres invehitur, audiendam non eſſe.

Quapropter nos legentes Patrum opera, primum in hiſce ſpectamus Sacræ Scripturæ, & Eccleſiæ doctrinam: quam logica vel dilatata ſequi, non præcedere debet. Neque enim ſecundum hanc Logicam, ſed ſecundum Divina Oracula, ejuſdemque Eccleſiæ, ac Patrum documenta, uti inter omnes conſtat, de dogmatibus judicandum eſt: ad quam firmiſſimam Regulam ratiocinationum vis, & ordo exigitur; ac ſi iſtæ illi reſpondeant, rectæ cenſentur: ſin eidem conſonent, paralogiſmi ſunt, vel errores. Non igitur de ratiocinationum pondere, & ordine, quæ in veterum operibus extant, ex Dialecticæ legibus tanquam Patrum fidem metientibus, judicium eſt proferendum; neque eorum ſtylus ad Rhætorum Canones omnino exigi debet: quia illi *doctiſſimi*, atque *optimæ regulæ Catholicæ Defenſores* (a) a S. Auguſtino crediti, doctrinam illam, quæ Catholicorum dogmatum rectrix eſt, accedente quadam logica, & aliquo Rhætorum ſtylo, propugnarunt. Quare ex plerorumque Patrum traditione credita, ac demonſtrata Theologicæ ratiocinationes pendent: ac Fidei Canones, quos ex univerſis, & conſonis eorumdem authoritatibus Eccleſia collegit, optimo jure creduntur. Si vero quædam aliquorum veterum dicta veriſimilitudine gaudent, &, uti ab ipſo Auguſtino docemur, *Salva Fidei compage alius alio de una re melius aliquid dicit & verius*: jam ipſorum argumentationes non infirmæ, non pravæ, non ſophiſticæ, non denique contemnendæ: ſed probabiles, vel probabiliores ex eodem principio evincuntur. Unde Adverſarius vetuſtos Eccleſiæ Doctores cuilibet Recentiori e media turba inepte comparat, & barbaro *paralogiſmi* ab iſto imbecilliter producti vocabulo abutitur: quem refellit idem Auguſtinus illis adverſus Julianum pronuntiatis: *numquid illi de plebeja fæce ſellulariorum in veſtram invidiam concitati ſunt?* Quis

(a) *S. Auguſt. lib. 1. contr. Julian. cap. VI. num. 22.*

quis id effutierit ? iidem ergo *docti* sunt Ecclesiæ Patres cuilibet recentiori e media turba minime comparandi. Cuidam autem juniori aut certa, & communia Patrum dogmata, quibus omnium sæculorum Christiani tenentur, aut verisimilia illorum argumenta pervertenti nequaquam condonabimus captiosas ratiocinationes: in quas Ecclesiastici veteres illius optimæ regulæ, quam omnis Dialecticus Canon sequi debet, magistri haud inciderunt; præsertim quum adversus Heterodoxos Divinæ Scripturæ enunciata, atque Ecclesiæ Apostolicæ sensa exhibuerint ; illave communiori consensu enodarint; sicuti docent eorum volumina.

Ad Ordinem quod attinet; videat quisque Sylvas, seu confusiones in ista Censoris Epistola: ibi ipse agit prius de eruditione, de ratiocinandi regulis, & ordine, de rerum singularium delectu, de studiorum subsidiis, deque veterum eruditione, lingua, stylo, & elegantia : deinde rursus de hisce rebus, de Hebraica lingua, de septuaginta Interpretum versione, de ratiocinationum vi, atque ordine, de Patrum stylo, & authoritate ; iterumque de ea versione; illius linguæ grammatica, illaque logica ; ac tandem, ut cetera omittam, de Divinis Scripturis. Ecquis neutiquam cernit, hæc similiora esse Sylvæ nullo ordine exortæ, hic rariori, illic densiori; quam nemori ad Quincuncem consito ? Primum enim Sacras litteras, deinceps Patrum authoritatem, dehinc alia ordinatim intueri, non illis ista, ac rursus istis illa miscere, debebat.

Perperam ergo suam Sylvam attribuit non modo Ethnicis Philosophis, atque Historicis, qui aliquem ordinem, ut Cicero monet, sequuti fuere: (a) verum etiam plerisque Patribus; qui perspicue quid ex Sacris litteris, ac præcedentium veterum testimoniis probandum esset proposuere, atque ad finem sibi propositum, uti superiora monstrant, recte contenderunt. Quem Ordinem S. Gregorius Nazianzenus servavit præcipue in sermone quinto de Theologia: in quo egit & de Divina Spiritus Sancti persona a Patre ac Filio, quibus cum ille est unus numero Deus, distincta, & de ejusdem Divinitate ; quam ex Divinis oraculis, exque Ecclesiæ traditione firmissime ostendit : quem apertum S. Doctoris scopum eruditissimus quisque haud ægre percipiens, intelligit, Gregorium a Divina illius persona, ut ejus characterem edisseferet, incæpisse; &, quum illam ut Divinam concepisset, non in rem aliam, sed in ipsius Divinitatis probationem optime contendisse, ac desiisse; & idcirco eo loci illud antecedere, hoc sequi; atque inter se se ista connecti : quæ proinde, atque etiam alia, quæ aliis in Orationibus S. Doctor proposuit, si aliter, quam ipse scripsit, collocarentur ; proculdubio confunderentur. Omnia igitur Nazianzeni scripta probandorum finem, atque ordinem tenent : quos facile quisque assequitur magno cum fructu, & diuturna ipsorum memoria; quam colere Novator immerito noluit.

Istius autem Sylvam rursum evellendo dicamus; quod quamvis aliquæ

(a) *Lege Cic. lib. 1. Acad. num. v.*

quæ Tertulliani, & S. Hilarii Pictaviensis Episcopi elocutiones appareant subobscuræ: nihilosecius, uti Doctiores Critici observant, in rationibus, quas illi aut contra Paganos, aut contra Heterodoxos adhibuerunt, claritudo inest ac Firmitas: quæ quidem argumento sunt, eosdem veteres de Controversiis obscurissimo ratiocinandi stylo, & declamatorio usos non fuisse, nec ambiguitatibus laborasse, neque Hæreticorum, quos solis gravissimis Hæresum ictibus pulsabant, tela declinasse; ac facile esse, plenas, & dilucidas argumentationum notiones ex iis, quæ adversus istos senserunt, ac defenderunt, ita colligere; ut nonnisi Adversarius impotentissimus, omni illorum argumento, validoque responso exagitatus, occasionem impudenter infamandæ ipsorum sententiæ ex verbis, ac ratiocinationibus, quas iidem liquido ediderunt, adripere queat. Hoc exinde nuperus Heterodoxus in S. Augustino minus bene animadvertit, erratque: nam S. Doctor ubique in libris contra Pelagianos scriptis libertatem homini vel peccatori, vel justo reliquit; non quo futilibus eorum Hæreticorum objectionibus aliter respondere haud potuerit; verum quia sacrarum litterarum, Patrumque testimoniis docuit supernæ gratiæ adjutorium, ac liberum hominis arbitrium peccato originali non peremptum, sed infirmatum; ita tamen, ut istud libertatem suam, coactionis, & necessitatis immunem, habeat, ac servet: quam alibi non, uti Novator false scribit, homini lapso Augustinus clare detraxit; immo vero non obscure tuitus est, alio enim libro in quosdam imperitos Monachos Adrumetinos de eadem libertate temere dubitantes composito S. Doctor illam ipsam ex sacris Oraculis sic plane probavit: *Ubi dicitur*, Noli hoc, & noli illud, *& ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in Divinis Monitis opus voluntatis exigitur*, (a) *satis liberum demonstratur arbitrium... Dicit Apostolus*, (b) Noli vinci a malo, sed vince in bono malum: *& utique cui dicitur*, noli vinci, *arbitrium voluntatis ejus sine dubio convenitur. Velle enim & nolle propriæ voluntatis est:* quam apertam declarationem quia aliqui recentiores dissimularunt: propterea acerrimas controversias, & errantia dissidia concitarunt; quorum tamen errores, utpote Sacrarum Scripturarum, Patrum, ac præsertim ipsius Augustini doctrinæ contrarios, Romanus Pontifex supremo, indeficientique judicio reprobavit. Itaque cordati Catholici admirantur, ac laudant scribendi rationem, qua Patres usi, ac Divinarum litterarum, Apostolicæ Ecclesiæ, aliorumque veterum vestigiis magis, quam fucato dicendi generi, inhærentes, firma, ac plana argumenta in Hæreticos attulerunt; ideoque singulari Ecclesiasticorum Testium jure gaudere agnoscuntur.

Hæc omnia plane commonstrant, plerosque omnes veteres haud caruisse eruditione ad quamque Fidei Catholicæ rem penitus dignoscendam necessaria: in eoque negotio illos vetustos, perspicaces, certos, & criticos Testes Divinæ Scripturæ,

(a) *S. August. lib. de grat. & liber. arbit. cap.* II. *&* III. *num.* 4. *ac* 5. *pag.* 720. *& seq. Tom.* X. (b) *Rom.* 12. 21.

ræ, atque Apostolicæ Traditionis, quæ non vivi, ac proprii Fidei judices, sed duæ Fidei Regulæ sunt, extitisse: ac sic ad normam rectæ rationis, quæ duas hasce Regulas sequitur, atque describit, ratiocinatos fuisse: eorumque auctoritatem nihil esse aliud, quam jus quoddam singulare, quo iidem ut antiqui earum regularum Testes in Fidei causis audiendi sunt; quorum judicium recte sequentibus error timendus non est. Ubi vero illi Patres, cum certas Divinas Scripturas testati sint, & Apostolica dogmata tradiderint, atque Hæreses iisdem Scripturis, & antiquiorum sententiis eliminarint, de re sibi incomperta judicarunt, nec bene ratiocinati sunt? Profecto adversarius errore oppositum asserit: quoniam eas Scripturas, ea dogmata, earumque hæresum ejectionem ex ipsorum veterum judiciis, atque argumentis, ut firmis, rectisque, Concilia Generalia, atque Ecclesiæ Catholicæ acceperunt. Ergo Deus iisdem Patribus, quos ipse ex adducto Apostolo Paulo *posuit* in Ecclesia *Doctores*, sane promisit, eos a vero non aberraturos; dum ipsi plerique præsertim quatuor priorum, & sequentium sæculorum Patres Apostolicis temporibus propiores communi consensu Apostolorum Doctrinam non puriorem, sed omnino puram, uti vicimus, tradiderunt. Et vero censor ipse patefacit, se perperam suis antecedentibus ratiocinari: quippe addit, quod Patres nos doceant rem sibi perspectam, utanturque rationibus, quibus adsensum negare non possumus: veteres igitur ad rectæ rationis prædictæ normam, cui adsensus negari nequit, ratiocinati sunt, ac de rebus sibi haud incompertis judicia tulerunt: quas res quum antiquis temporibus in Ecclesia Orthodoxæ perspexerint, ac testificati sint; ideo certe veterum ipsorum Testium auctoritate, ac rebus ipsis movemur; simulque Patribus credimus, & quia antiqui sunt, & quia omnibus illis veritatis indiciis ornatum est eorum judicium, quod in Patrum scriptis majoris est ponderis, quam in Recentiorum operibus: etenim auctoritatem judiciis conciliat antiquitas communioris Doctrinæ Orthodoxæ; utpote quæ probe nosci non potuerit, nisi ab antiquis: quod per sese lucet, atque ab adversario admittitur; qui proinde Patribus ut antiquis illius Doctrinæ testibus errore non credit, suæque rationi adversatur: qua etiam nos probamus, plerorumque omnium veterum testimoniis indicia veri nequaquam deesse; quæ utique hoc ferunt, quod *soli antiqui* Catholici, ac docti Fidei documenta ab Apostolis tradita, olimque & nunc a Fidelibus credita, bene scire potuerunt, communique manifestarunt consensu. Quapropter, quoniam ab universa plerorumque omnium Patrum antiquitate adfirmatur, Ecclesiis singulares Episcopos ab Apostolorum ætate præfectos fuisse; probe censor eorum veterum testimonium pluris facit, quam alias omnes recentiorum ratiocinationes. Cum igitur reliqua Fidei dogmata, quæ Catholica Ecclesia amplectitur, iidem veteres communius doceant, istorum authoritatem Censor æstimare debet ac sequi: quippe quam illa veritatis signa, quæ ipse exhibet, comitentur.

Quare si quæsiveris, quis sit sensus cujuspiam loci Scripturæ Divinæ, qui locus aliquod Fidei dogma respiciat: sane plerisque Patribus cre-

credendum est, non nuperis Hæreticis inhærendum, qui in eo explicando inter se diffident, multorumque veterum consentientium enodationem errore declinant.

Mirum autem mihi videtur, Novatorem opponere, quod Patres nullam singularem opem habuerint, qua Sacri loci obscuri sententiam intelligere possent: ad quod ostentandum ex Psalmo CIX. verba Hebraica adfert: quæ a LXX. Interpretibus, atque a Patribus minus recte intellecta esse ac translata, perperam objicit; dum ipse litteram מ posteriori vocabulo משחר præfixam vertere omittit: quæ vel cum alteram litteram ן adjunctam habet, vel cum eam in compositione abjicit: tum variis Hebraismis elegantiarum plenis gaudet, ac, præter *Ab*, *ex*, *De*, significat *Præ:* cujus rei plura exempla in sacris litteris exstant: unde Buxtorfius in lexico Chaldaico advertit, מדלי sonare (*a*) *præ me*. Hinc eadem particula Hebraica significat *ante;* velut in Numerorum capite XXVI. Moyses de Israelitis militibus in deserto jampridem emortuis dixit, מפקודי (*b*) *qui ante numerati sunt*. Jam vero nomen שחר non modo auroram, sed etiam Luciferum, sive Veneris stellam, soli præcedentem denotat: siquidem nomen illud oritur a verbo שחר, quod est *nigrescere;* quæ significatio utrique competit; nam & lucifer, & aurora, quum solem antegrediantur, diluculum cum nigredine, quæ utrumque comitatur, efficiunt. Quum igitur מ tam *Præ*, quod apud Græcos valet πρὸς, & *ante* apud latinos; quam vel *prius* adsignificet; cumque שחר etiam luciferum sonet: profecto LXX. Interpretes Hebrææ Linguæ periti ea laudati Psalmi, מרחם משחר bene græce verterunt ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου. Tum autem in sincerioribus Bibliis Hebraicis non illa לך טל, sed istud ילדתיך extitisse, ex eo conjicio, quod S. Hieronymus puræ linguæ Hebraicæ omnium peritissimus in Præfatione novæ suæ Psalmorum Translationis hæc declaravit: *Psalterium Romæ dudum positus emendaram*, (*c*) *& juxta septuaginta Interpretes, licet cursim, magna illud ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, o Paula, & Eustochium, Scriptorum vitio depravatum; plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere; cogitis, ut ... renascentes spinas eradicem ... Unde consueta præfatione moneo tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos, qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura, & diligentia transcribant. Notet sibi unusquisque vel jacentem lineam, vel signa radiantia... Ubi autem stellæ * similitudinem perspexerit, de Hebræis Voluminibus additum noverit*. Atque in latina adlati versiculi 3. Psalmi CIX. versione, quæ illam Præfationem sequitur, hujusmodi stella * haud perspicitur; sed versiculus idem ita exprimitur, *ex utero ante luciferum genui Te:* (*d*) Ergo Hieronymus in purioribus *Hebræis voluminibus* ea לך טל minime legit; quæ si in ipsis extitissent, eadem Sanctus Doctor posteriori suæ translationi adjunxisset, & prædicta stella notasset;

(a) *Pag. 1220. edit. Basil. 1640.*
(b) *Num. XXVI. v. 64.*

(c) *Tom. X. pag. 106. & seq.*
(d) *Ibid. pag. 251.*

fet; ficuti aliquorum aliorum Pfalmorum verfioni plura ex iisdem *voluminibus addidit:* illa autem non adnotavit: ipfa igitur in genuinis Bibliis *Hebræis* minime reperiebantur. Proinde alia volumina, in quibus illa cum hac verfione *Tibi ros* cernuntur, ex (*a*) *depravatis* exemplaribus orta funt, atque eadem, & ipfa verfio S. Doctoris falfe fuppofita. Extabat vero in genuinis *Hebræis voluminibus* iftud, ילדתך, *genui Te*, uti Hieronymus optime vertit; quia (*b*) ילד eft verbum præfignificans, *genuiffe*, ac ך denotat *Te*: quæ fubinde LXX. Interpretes recte tranftulerunt, *ἐγέννησα*, quorum verfionem Hieronymus latina fua tranflatione adprobavit. Ex quibus omnibus fequitur, ut plures Patres fumme confentientes æternam Filii Dei generationem *ex utero*, five ex Patris fubftantia firmiter demonftrarint; quippe eadem generatio *luciferum*, *auroram*, *diluculum*, atque adeo tempora omnia ex illius Hebrææ particulæ fignificatione præcedit. Itaque aut univerfæ antiquitatis Ecclefiafticæ authoritas, aut plurium Patrum Sacras Scripturas explicantium confenfus pondus majus apud omnes habere debet, quam grammaticæ Hebrææ rationes Critica vacuæ: cujus præfidiis veteres haud deftituti fuere; ut qui hacce ad judicandum neceffaria ufi, vel illa, quæ in fınceris Hebræis voluminibus non inveniebantur, haud latine tranftulerint; vel ea, quæ in ipfis extabant, reddiderint, ac LXX. Interpretum verfionem firmarint, mendorum, de quibus diximus, facta exceptione. Non igitur folum ex grammatica, & logica, fed quoque ex Critica, exque Patrum antiquitate, & interpretatione, quoties res Fidei agitur, pendet rectus facrorum voluminum ufus: ac fic Recentiorum libri, nifi Patribus probe innitantur, errore referciuntur. Patrum namque confenfus non ex communi rerum ignorantia, fed ex Dialectica Scripturæ Sacræ, Ecclefiafticæ doctrinæ, & Criticæ innixa petitur; quarum ope defenditur, Græcam, & Latinam Ecclefiam poft Apoftolos recte fenfiffe de legitima eorum Interpretum divinitus adflatorum verfione: quos Hieronymus erroris non arguit, fed, ut vidimus, laudat; ac dumtaxat errata, quæ in ipfam Scriptorum vitio inciderant, reprehendit: ad quæ corrigenda novam verfionem Ecclefiæ univerfæ probatam inftituit; qua fieri nequit alia melior: nam S. Doctor & fınceriores Biblias Hebraicas habuit; & calluit puram linguam Hebræam; cui videlicet fæculo quarto addita haud erant puncta vocalia, quæ Mafforetæ XI. fæculo excogitarunt. Confenfus itaque Veterum fine Critica, ac fine ratione, quæ litteris Sacris, ac Patrum antiquitate, & doctrina fundantur, minime urgetur.

Evellamus autem magnos errores ab adverfario confufe enuntiatos; qui Apoftolicæ traditioni temere obfiftit; quam & ore Apoftoli Difcipulis

(a) S. Scriptura Hebraica antiquitus manufcripta in iis, quæ ad Fidei Chriftianæ, morumque doctrinam attinent, vitiata non eft. Sed in aliqua ejus exemplaria quodpiam leve mendum irrepfit, ut, eft illud, לך טל *tibi ros*, quod dogmatis a Patribus expofiti fubftantiam non variat.

(b) Hoc verbum radix eft tribus litteris conftans, ex quo particularia nomina derivantur. Unde feptuaginta Interpretes, & S. Hieronymus radicem melius, quam derivata, in fuis verfionibus adhibuerunt.

pulis suis reliquerunt, & scriptis Patres propagarunt; quæque ab initio non purior, quam in subsequentibus temporibus, sed, uti probavimus, æque pura in prioribus quatuor, ac reliquis sæculis luxit, cum ob multorum Catholicorum probitatem, tum ob recentem Apostolicorum dogmatum memoriam hisce sæculis sibi proxime succedentibus omnino servatam. Eam vero Traditionem ut Hæreticus elevet, duo maxima struit errata: unum, quod Christus nunquam expectaverit eum prædicationis Evangelicæ exitum, ut veritatis, „ sive Fidei amantes „ in Ecclesiam Christianam adlicere„: alterum, quod „ plerique „ omnes „ Christi, & Apostolorum Discipuli Magistrorum indolem nec retulerint, nec summa cura, ac Fide eorum doctrinam addidicerint, & retinuerint. Horum prius erratum Censor ipse refellat; qui paulo post ait, quod „ Apostoli ex in„ stitutione Christi, & Divino afflatu „ *in omnem veritatem* „ ducti fuerant „, docente utique S. Joanne Apostolo; qui in Evangelio affirmat, Christum Discipulis suis dixisse: (*a*) *Creditis in Deum, & in me credite* (*b*)... *propter opera ipsa credite .. rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis ..* (*c*) *Cum autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Christus ergo instituit, & expectavit eum prædicationis Evangelicæ exitum, ut ejus Discipuli, aliique ab iis instructi *crederent*, ut istos Spiritus Sanctus *omnem veritatem* Christianæ religionis *doceret*, in eamque ipsos alliceret, utque *veritas omnis in æternum maneret* in Ecclesia Catholica. Oppositum itaque Censor contra seipsum, contra Evangelium, contraque veritatem pronuntiat. Quod igitur ex Parabolis Evangelicis de Zizania liqueat, Bonos, & malos nunc in Ecclesia militante mixtum iri: id de malis, scilicet peccantibus, sed tamen credentibus, non de veritatis fidei minime amantibus, accipi debet. Alter quoque error immanis est. Quid enim sunt *plerique omnes*, nisi maxima pars, nonnullis exceptis? Sic Judas, qui immerito objicitur, non est pars Apostolorum maxima, quam cæteri Apostoli omnes constituunt. Si ergo Censor ob Judæ defectionem plerorumque omnium Apostolorum taxat collegium, nequiter facit. Plerique autem omnes Apostolorum Discipuli fuere & hominum Hierosolymis vitam agentium *tria millia*, qui, teste S. Luca, (*d*) *erant perseverantes in doctrina Apostolorum:* (*e*) & *multitudo copiosa credentium Judæorum*, (*f*) *Græcorum*, *Gentilium*, (*g*) Thessalonicensium, Ephesiorum, (*h*) Philippensium, Asianorum, ac (*i*) Romanorum, quorum *Fides annuntiabatur in universo mundo:* & *Clemens*, *Silas*, *Onesimus*, *Aristarchus*, *Marcus*, *Epaphras*, *Lucas*, *Demas*, *Timotheus*, *Titus*, ac cæteri Pauli Apostoli *adjutores*. Qui cuncti Ananiæ, Saphiræ, Diotrephi, qui-

(a) *Jo. 14. v. 1. & 12.*
(b) *Ibid. v. 16. ac 17.*
(c) *Jo. 16. v. 13.*
(d) *Act. 21. v. 41. & 42.*
(e) *Cap. IV. v. 32.*
(f) *Cap. XIV. v. I.*
(g) *Cap. XVI. v. 4.*
(h) *Paul. Apost. Epist. ad Thessal. ad Eph. ad Philip.*
(i) *Ad Rom. cap. 1. v. 8. ad Philip. cap. IV. v. 3. ad Col. IV. v. 14.*

quibusdam Judæis Antiochenis antiquos suos ritus superstitiose invehentibus, & aliquot Corinthiis, ac Galatis, quasi parvo numero, comparati, faciunt Fidelium majorem, & maximam partem; ac sunt plerique omnes Apostolorum Discipuli. Hos vero, sicut illos exceptos, Magistrorum indoli, ac doctrinæ non adhæsisse, ab hisque eorum doctrinam adulteratam esse, adversarius contra Historiæ Sacræ fidem, resque adeo ipsas, magno profert errore: quoniam hi fere universi in *Apostolorum doctrina perseverabant & Fide*. Non igitur species, sed veritas inest argumento; quo probatur, doctrinam, quam ore dumtaxat Apostoli Discipulis reliquerunt, ab istis recte propagatam, atque a priorum quatuor seculorum Patribus proxime acceptam fuisse atque conscriptam.

Ea ætate, quæ Apostolos exceperat, florens S. Irenæus, postquam prioribus libri I. adversus Hæreses Capitibus descripsit Valentinianorum errores: tum ut istos *Ecclesiæ universæ fide*, quam ipsa *ab Apostolis, eorumque Discipulis acceperat*, & *conservabat*, exagitaret: illius libri Capite x. eandem *Fidem* præmisit, inter alia testatus, quod Christus quum in Judicii die *justam de omnibus ferat sententiam* statim *justis* non mille terreni regni annos, quos Papias comminiscebatur, δόξαν αἰωνίαν, hoc est, *gloriam sempiternam*, *afferet*: (a) cujus rei *fidem* utique ex professo ita Irenæus edocuit: *Ecclesia* tametsi *per universum Orbem usque ad extremos Terræ fines dispersa Fidem eam ab Apostolis, eorumque Discipulis acceptam: quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem...., & in unum Jesum Christum Filium Dei, nostræ salutis causa incarnatum, & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas Dei dispensationes, & adventum prædicavit, & ortum ex Virgine, & Passionem, & resurrectionem a mortuis, & cum carne in Cœlos ascensum dilecti Domini nostri Jesu Christi, & e Cœlo in gloria Patris adventum ipsius ad instauranda omnia, & a morte ad vitam revocandam omnem.. (b) ἀνθρωπότητος humanæ naturæ carnem, ut ipse justam de omnibus sententiam ferat..., & Angelos transgressores.., impiosque item homines, & injustos, & flagitiosos, & blasphemos in ignem æternum mittens; justis contra, & pietate præditis vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur, χ' δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ, & gloriam sempiternam afferat: acceptam, inquam, hanc prædicationem, ac fidem, uti ante diximus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio, & cura, perinde atque unam domum incolens, conservat; ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque Fidem accommodat, & miro consensu quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet, ac Tradit. Quamquam enim dispares inter se mundi linguæ sunt: una tamen, & eadem est Traditionis vis. Ac neque hæ, quæ in Germaniis sitæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; nec quæ in Hispaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto,*

(a) *S. Iren. lib. I. adv. Hær. cap. x. pag. 48. & seq. Tom. I. nov. Ven. Edit.*

(b) Billius minus bene hanc græcam vocem vertit, *mortalium*: quippe cum ἀνθρωπότης ab ἄνθρωπος homine deducta speciatim Humanitatem sonet: mortale autem commune sit bestiis, atque Hominibus.

gypto, *aut in Africa*, *aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent*: *verum ut sol hic a Deo conditus*, *in universo mundo unus*, *atque idem est*; *ita etiam veritatis prædicatio passim lucet*, *omnesque homines*, *qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt*, *illustrat*. *Nec vero aut is ex Ecclesiæ Antistitibus*, *qui dicendi facultate pollet*, *ab his diversa dicturus est*: *nemo enim supra magistrum assurgit*: *aut is rursus*, *qui parum dicendo valet*, *Traditioni detrimentum afferet*. *Nam quum una*, *atque eadem fides sit*; *nec qui de ea uberrimam orationem habere potest*, *exuberat*; *nec qui pauca habet*, *quæ dicat*, *eam imminuit*.

Tam indubitata, tam diserta, tamque perspicua ea sunt, ut profligent Adversarium dicentem, quod & multi post Apostolorum ætatem adulterarint Doctrinam Apostolicam; & Papias etiam multos, præsertimque bonum fefellerit Irenæum; qui tamen contraria credidit, atque prædocuit: quippe quo docente Ecclesia catholica ex plurimis *Galliarum*, *Germaniarum*, *Ægypti*, *Africæ*, *mediterranei orbis*, *orientis*, *orbisque universi* Fidelibus constans, unam, *atque eandem fidem*, quam *ab Apostolis*, *eorumque Discipulis acceperant*, *summo studio conservavit*: qua ex re certo colligitur, a multis Catholicis *Apostolorum* Doctrinam post ipsorum tempora, quibus Irenæus clarebat, conservatam fuisse, non depravatam: *eosque* doctos *Discipulos*, & complures Fideles, ac præcipue Irenæum vitæ bonitate, doctrinaque ornatum, a Papia in fraudem impulsos haud esse: utpote qui non mille illos terreni regni annos, utique neququam æternos, sed ex vi *Traditionis sempiternam gloriam* ab Irenæo in *Cœlis* proxime positam *crediderint*, ac *prædicarint*.

Verum nonnulli objiciunt, Irenæum libro v. cap. 33. ponere, quod post universale judicium (a) *erit Cœlum novum*, & *terra nova*, *in quibus novus perseverabit homo*, *semper nova confabulans Deo*. *Et quoniam semper perseverabunt sine fine*, *Esaias ait*; (b) quemadmodum enim Cœlum novum, & Terra nova, quæ ego facio, perseverabunt in conspectu meo, dicit Dominus: Sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. *Et quemadmodum Præsbyteri dicunt*, *tunc qui digni fuerint Cœlorum conversatione*, *illuc transibunt*, *id est*, *in Cœlos*, *alii tute Paradisi deliciis utentur*; *alii autem speciositatem Civitatis possidebunt*: *ubique autem Deus videbitur*: & *quemadmodum digni erunt videntes*. *Eum esse autem distantiam hanc habitationis eorum*, *qui centum fructificaverunt*, & *eorum qui sexaginta*, & *eorum*, *qui triginta*, *quorum quidam in Cœlum assumentur*, *alii in Paradiso conversabuntur*; *alii in Civitate inhabitabunt*: & *propter hoc dixisse Dominum*, *multas esse apud Patrem mansiones omnia enim Dei sunt*, *qui omnibus aptam habitationem præstat*: *quemadmodum Verbum ejus ait*, *omnibus divisum esse a Patre secundum quod quis est dignus*, *aut erit*. *Et hoc est triclinium*, *in quo recumbent ii*, *qui epulantur vocati ad nuptias*. *Hanc esse adordinationem*, & *dispositionem eorum*, *qui salvantur*, *dicunt Præsbyteri Apostolorum Discipuli*, & *per hujusmodi gradus proficere*, & *per Spiritum quidem ad Filium*, *per Filium au-*

(a) *Pag.* 330.

(b) *Is.* LXVI. v. 22.

autem ascendere ad Patrem ; Filio deinceps cædente Patri opus suum, quemadmodum & ab Apostolo dictum est; quoniam oportet regnare eum, quoadusque ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. (*a*) Novissima inimica destruetur mors. *In temporibus enim regni justus homo super terram existens, oblivifcetur mori jam.* Quando autem dixerit, *inquit*, omnia subjecta sunt; scilicet absque eo, qui subjecit omnia. Quum autem ei fuerint subdita omnia, tunc ipse Filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia, (*b*) ut sit Deus omnia in omnibus. *Diligenter ergo Joannes prævidit primam Justorum resurrectionem, & in regno Terræ hæreditatem: consonanter autem & Prophetæ prophetaverunt de ea. Hæc enim & Dominus docuit, mixtionem Calicis novam in regno cum Discipulis habiturum se pollicitus. Et Apostolus autem liberam futuram Creaturam a servitute corruptelæ in libertatem Gloriæ Filiorum Dei confessus est. Et in omnibus iis, & per omnia idem Deus Pater ostenditur, qui plasmavit hominem, & hæreditatem terræ promisit Patribus, qui eduxit illam in resurrectione Justorum, & promissiones adimplet in Filii sui regnum, postea præstans illa paternaliter*, (*c*) quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit.

At duo genera, quæ S. Irenæus adhibuit, distinguenda sunt: unum eorum, quæ ex *vi. Traditionis*, ac *Fidei ab Apostolis*, istorumque *Discipulis prædicatæ credidit*, ac *docuit*, quemadmodum in priori ejus Testimonio perspeximus: alterum illorum, quæ *Presbyteri Apostolorum discipuli*, quorum nomine Papiam in præcedenti libri quinti capite appellatum innuit, *Dicunt*. Quis non videt, prius *docendi*, & *credendi* genus posteriori *dicendi* generi antepositum, illudque, non istud, ab Irenæo *creditum* esse? qui quidem posteriori in loco fusius retulit Papiæ dictum, quo is, ut clarius narrat Eusebius infra adducendus, *mille annos*, quibus Christus regnaret in *terra*, terrenaque Paradisi fælicitate Justos donaret, fingebat: verumtamen hanc primis, ac postremis objecti loci verbis eo ipse Irenæus exclusit, quia Deus in *resurrectione justorum libertatem Gloriæ*, quam *Apostolus* Paulus *confessus* est, iisdem justis præbebit: quæ gloria non erit terrena, nec mille annorum spatio conclusa, sed *semper perseverabit*: quippe quod ea sit, in qua Dominus id manifestabit, quod *neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit*. Irenæus ergo ipsam *gloriam sempiternam*, quam antea docuerat, illi finito annorum circulo, quem Papias *dicebat*, opposuit, ab isto nequaquam deceptus.

Nec vero Eusebius ista capite 39. libri III. Historiæ Ecclesiasticæ abnuit: ubi Papiæ libris, (*d*) ac nonnullis rebus, quas ii complectuntur, exhibitis, ait: καὶ ἄλλα δὲ ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ Παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατίθεται, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα. ἐν οἷς καὶ χιλιάδα τινά φησιν ἐτῶν ἔσεσθαι καὶ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, σωματικῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ Βασιλείας ἐπὶ ταυτησὶ τῆς γῆς ὑπο-

(a) Cor. xv. v. 25. & 26.
(b) Cor. 11. v. 26. & seq.

(c) 1. Cor. 11. 9.
(d) Pag. 119.

ἀποσιωπωμένης. ἃ καὶ ἡγοῦμαι τὰς Ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενον διηγήσεις ὑπολαβεῖν, τὰ ἐν ὑποδείγμασι πρὸς αὐτῶν μυστικῶς εἰρημένα μὴ συνεωρακότα. σφόδρα γάρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν, φαίνεται. πλὴν καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν πλείστοις ὅσοις τῶν Ἐκκλησιαστικῶν, τῆς ὁμοίας αὐτῷ δόξης παραίτιος γέγονε, τὴν ἀρχαιότητα τἀνδρὸς προβεβλημένοις. ὥσπερ οὖν Εἰρηναίῳ, καὶ εἴ τις ἄλλος τὰ ὅμοια φρονῶν ἀναπέφηνεν. *Et vero idem Scriptor alia* (a) *quasi ex Traditione non scripta ad se pervenisse proponit; novas quasdam scilicet Servatoris parabolas, ac prædicationes, aliaque fabulis propiora. Inter quæ & mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus esse putatur ex male intellectis Apostolorum narrationibus; quum ea, quæ mystico quodam sensu, & exempli causa ab aliis dicebantur, non satis pervidisset. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet: & tamen aliquot post ipsum Ecclesiasticis similis opinionis author fuit, hominis vetustatem prætendentibus: velut Irenæo, & si quis alius similis opinionis author visus est.*

Digna postrema verba, quæ attente legantur: nam ex istis, quæ Joannes Clericus prætermisit, integri illius capitis, quod Eusebius contexuit, cujusque magnam partem adduximus, sensa plane intelligi queunt. Etenim quum Eusebius illa πληθυντικῶς unius, & *alius* enumeratione coarctaverit: haud obscure monstravit, non multos, sed *aliquot Ecclesiasticos* sibi *visos* esse, qui quidem Papiæ opinationem prætexerent, at certe non sequerentur, neque eam uti *sententiam suam* tenerent: quam Joannes Clericus, ut alios prætercam, S. Irenæo, aliisque perperam tribuit, dum illa Eusebii, τὴν ἀρχαιότητα τἀνδρὸς προβεβλημένοις, ita vertit, *hominis antiquitate sententiam suam tuentibus:* Ficta est hæc *sententia*, non ab Eusebio conscripta; cujus in textu græco ἀρχαιότης *antiquitas*, non γνώμη sententia, reperitur. Tum ἀρχαιότης nullo pacto *sententiam*, sed *vetustatem* ex Græcis significat: tum etiam πρόβλημα, cujus litteræ in προβεβλημένοις includuntur, ex Luciano *prætentum*, exque Sophocle *problema*, vel *quæstionem*, non sententiam, denuntiat. Etquamvis βάλλω, ac προβάλλω, e quibus illæ posteriores voces ducuntur, adsignificet, vel emittere, vel quærere, vel prætendere, ac prætexere, vel improprie propugnare: nunquam tamen denotat, aut emittere, aut interrogare, aut prætexere, aut tueri sententiam. Quum igitur vox προβεβλημένοις sententiam defendere haud præsignificet; atque accusativum casum τὴν ἀρχαιότητα habeat: certe *vetustatem prætendere* tantummodo denotat. Itaque adversarius ut effingat, apud antiquissimos Christianos non defuisse homines & parum veri amantes, qui falsam Papiæ sententiam tanquam suam defenderent, & parum cautos, qui sibi facile imponi paterentur: ideo di-

(a) Plura aliter latine reddidi, quam Valesius vertit: qui primum omittit ὡς, *quasi:* deinde παρατίθενται haud recte transtulit, *testatur*, quia verbum illud fit a παρατίθημι, quod est *appono*, *repono*, non *Testor*. Alia etiam, de quibus mox differam, Eusebii textui apposuit. Denique illud ἀναπέφηνε minus bene vertit, *extitit:* quia illud ipsum verbum ab φαίνω *appareo*, *videor*, ducitur, atque ita reddi debet, *visus est*.

dignum illud Eusebii caput, quod integrum attente legatur, propinat, ac *sententiæ* aut vocem, aut significationem Eusebio falsè supponit. Hic vero antiquus Historicus firmiter, ac certo non dixit, quod *Irenæus*, *& si quis alius* illius opinationis, quam Papias invexerat, *fautor* extiterit; quoniam ille id sibi *videri*, ac non adeo constare, diserte pronuntiavit, ea ratione, quod utique nosceret, contrarium ejus, quod ipse Papias commentus fuerat, ab Irenæo primitus *traditum* esse: qui postea non *tuitus* est, sed multis *prætendit* illius *dictum*: cui tamen objecit *libertatem gloriæ*, cælestis profecto & æternæ, quam Paulus Apostolus prædicavit. Non igitur parum cautus, neque parum veri amans fuit Irenæus: quippe quia adversus terrenum, ac finitum mille annorum spatio regnum prædocuerat *Gloriam sempiternam* ex *Apostolorum*, aliorumque Apostolicorum *Discipulorum*, ac *totius Ecclesiæ traditione*.

Quocirca in probandis dogmatibus *Fidei*, quam Irenæus commendavit, solam Sacrarum Scripturarum, & doctrinæ Catholicæ, quam veteres exhibent, antiquitatem spectare debemus, veluti Christi commeatum; utpote qui ab *Apostolis*, *eorumque Discipulis*, ac successoribus traditus sit: quo conspecto prisci omnes Scriptores Orthodoxi, ut Testes fide digni sunt admittendi: quos non admittens adversarius, maxime errat; quum Apostolicæ doctrinæ, & Catholicæ, quam ex *vi Traditionis* iidem Patres edocent, adversetur.

Hinc Censor contra suum errorem statim adfirmat, „ multos de„ inde Græcos eruditos, & adcura„ tos veritatis inquisitores, „ atque adeo Testes fide dignos, in Ecclesiam Christianam ingressos esse: in qua etiamsi eodem tempore aliqui rudiores exstiterint: nihilominus quum magistrorum dictata adversus Ethnicos, atque Hæreticos tuerentur, adversario fatente: ea ipsa, quæ a magistris acceperant, simpliciter narrare contenti fuere, hoc est, neutiquam adulterarunt; tametsi illa interpretabantur, & quodammodo ornabant: secus eadem haud propugnassent; cujus tamen oppositum Censor affirmat.

Prætereo & Clementem Alexandrinum, non rudem quidem, sed doctum Scriptorem, & alios auctores primævos; qui neque Theologiam Christianam vitiarunt, neque ad errores fenestram patefecerunt; sed Philosophos Ethnicos, atque Hæreticos apte confutarunt, quamvis levibus nævis adfecti; quemadmodum Caveus, etiamsi Heterodoxus, significat, nosque alibi ostendemus.

Ac si veri adversarium non pudet; fateatur oportet, *omnem veritatem*, in quam Apostoli ducti fuerunt, a multis Apostolicis viris Cœlestium donorum participibus, ab aliique Scriptoribus Catholicis declaratam fuisse; atque Apostolicæ simplicitati simplicem probandorum dogmatum artem, non declamandi facultatem, uti probavimus, successisse; ac Theologiam Christianam satis commodo vincendi, & respondendi ordine, quem Censor haud servat, ab iisdem plene, ac perspicue tractatam: quorum in scriptis notiones obscuræ passim non apparent, sed quædam subobscuræ alicubi inveniuntur.

Deinde aliqui secundi, vel tertii sæcu-

sæculi Scriptores, ut S. Justinus Martyr, ut Origenes, linguam Hebraicam, quemadmodum postea vincemus, calluere: alii, ut S. Irenæus, ut Tertullianus, Sacræ Criticæ periti fuerunt; quorum prior *Apocryphorum*, *& adulterinarum Scripturarum*, (a) *quas* Marcosii Valentini Hæresiarchæ sectatores *finxerunt*, *multitudinem* reprobavit: alter quædam scripta S. Paulo Apostolo subdita, de quibus deinceps dicemus, abjecit. Earum igitur artium exercitatione, & doctrina Catholica accedente, veteres non dubia Sacra Monumenta docuerunt, atque enodationibus non torserunt, sed bene interpretati sunt: quod ex adversario probatur; qui *non negat*, Patres *plerosque in summis capitibus recte sensisse*: ergo isti Divinas litteras de summis capitibus Fidei, ac reliquis, quæ cum iis maxime connectuntur, & gravius, ac subtilius exquiruntur, probe explicarunt, utpote de illis *recte sentientes*.

Sequens sæculum quartum, ex quo Imperatores Christiani facti sunt, & Concilia generalia ab opponente adducta, ejusdemque temporis Patres, præcipue S. Athanasius, S. Basilius Magnus, & S. Hieronymus, supra laudati, commonstrant, facultatem declamandi more Ethnicorum non multo magis, quam artem & ratiocinandi ex Sacrarum Scripturarum, ac veterum Canone, & interpretandi Divinas litteras ex Criticis Grammaticæ Hebrææ, & Græcæ litteris, in Ecclesia viguisse; in qua posterior potius, quam prior, adhibita est, uti ejusdem ævi monumenta loquuntur.

Sequentia plura sæcula ob S. Augustinum, S. Cyrillum Alexandrinum, Concilium Ephesinum Æcumenicum, S. Leonem Magnum, Synodum Chalcedonensem, S. Fulgentium, S. Gregorium Magnum, S. Isidorum Hispalensem, S. Joannem Damascenum, S. Agathonem Pontificem summum, aliosque Catholicos doctos & latinos & Græcos, celebriora fuere: ut qui in meram barbariem non delapsi, infames Hæreticorum diffidentium, non vera dicentium, errores Sacrarum Scripturarum, & Patrum Canone eliminarint. Quem sæculi XVI. & XVII. Theologi Orthodoxi sequentes; eique Aristotelis Logicam quacumque alia aptiorem admoventes; & antiquissimæ Christianæ religionis dogmata a veteribus tradita jure admirantes: eundem Canonem non ad majorem perfectionem adduxere; sed multis capitibus, Critice, & antiquarum linguarum intelligentia amplificarunt. Illum ergo Canonem Censor veritatis inimicus errore, ac præcipiti examine haud sequitur, veræ Christianæ religionis lumina fugit, ac de suis Talentis, quæ illi divinitus ortæ, & ubique sparsæ opponuntur, immerenter gloriatur, erroneæque recordatur rationis, qua non physicen, cujus principia recentioribus philosophis adhuc dubia sunt, nec Pueros, sed adultos Patres ab antiquis Æcumenicis Conciliis celebratos & certæ doctrinæ Apostolicæ, & Catholicæ, quam illi exhibent, antiquitatem, frustra propellit.

Mitto demum, quod Censor haud attente Patrum libros, & recentium ortho-

(a) *S. Irenæus lib. 1. advers. hæres. cap. 20. pag. 91.*

orthodoxorum criticorum opera legerit. Hi namque posteriores Theologi antiquiora Apostolica, ac subsequentia tempora ut propiora Christo Deo, & Homini, ac Religionis Christianæ origini, cui Patrum vetustas nihil detraxit, intuiti: priscorumque Patrum scripta attento animo, & recta Crisi, in qua certe non peccatur, contemplati; deprehenderunt, atque monstrarunt, illa volumina non modo rei ipsi, hoc est, Catholicæ Religioni, non esse contraria; verum etiam illis hanc, hujusque vetustiora & tempora & dogmata desensitari; ob idque talia veterum opera, qualia sunt, multum valere, eisque effici haud posse meliora: qualia oportuisse esse, adversarius ex Censoribus fictis obtrudit.

Venio ad Antiquitatem: de qua censor, res plures miscendo, hæc profert: primum, quod *antiquitas sola*, *&* *consensus plurimorum*, qui Traditiones apostolicas docuerunt, *minime sint indicia veri:* „ deinde, „ quod eorumdem Patrum consensus, multitudo, & antiquitas nullum pondus habeat, nisi quatenus consentiunt cum summo illo, & unico Doctore *Christo*, Fidelibusque ejus Discipulis, quorum doctrinam miraculis comprobavit. His (*addit*) non quia sunt antiqui, sed propter doctrinæ præstantiam, eamque cœlestibus testimoniis, hoc est, miraculis confirmatam credimus. „

Sed, quod facere nunc ingredimur, ut contra istum prætextum disseramus: id apostolorum, qui ab eo memorantur, ætas demonstrat. Quo enim tempore Ecclesiam Catholicam, eximiam doctrinam, & cœlestia miracula iidem Christi Discipuli, ab eo adjuti, procrearunt? Dicat Adversarius: qui nihil aliud reponere potest; nisi quod sæculo primo Christiano illa isti produxerint. Atqui sæculum primum Christianum est antiquissimum, quemadmodum cunctis patescit. Ergo Apostolis, quia antiquissimi Ecclesiæ Doctores fuerunt, credendum est, eorumque Ecclesiam fundantium, atque docentium antiquitas est indicium catholicæ veritatis; quippe quam vetustissimo tempore, quod inficiabitur nemo, fundarint. Porro autem plerique Fideles Apostolorum Discipuli, quos jam celebravimus, Doctrinam ab *Apostolis* perceptam, hisque adeo, & Christo consentientem, secundo sæculo Christiano vel antiquissimo, sicuti S. Hegesippus, S. Irenæus, atque Eusebius supra adducti testantur, protulerunt in medium; quam ejusdem ætatis, & sequentium sæculorum Patres secuti dictarunt, miraculis quoque Ecclesiæ Catholicæ haud deficientibus; quæ *per aliquot Sæcula* perdurasse, Hugo Grotius ex probatissimis Christianorum libris demonstrat. Illa igitur parilitate liquido apparet, quod plurimorum Patrum Catholicam doctrinam, quæ post Apostolos quoque Divinis miraculis comprobata est, promentium antiquitas, atque consensus indicia sint veri: eo etiam magis, quo ipsa vetustas non, ut ab opponente accipitur, est sola, nec præcise sumpta; sed ab Apostolis vetustissimis ducta: utpote a quibus laudati plerique Fideles eorum Discipuli, quorum communia dogmata subsequentium sæculorum Ecclesia, Patresque asseruere, instructi fuerint.

Quapropter cætera, quæ quidem hujusce loci non sunt, sed tamen expli-

explicatæ Antiquitati ab Adversario immiscentur, oppugnemus.

Ac primum ipse errore asseverat, traditiones Apostolicas, quas videlicet Apostoli ore dumtaxat præceperunt, quasque plerique Veteres scriptis suis celebrarunt, incertas esse: quod S. Paulo Apostolo repugnat; qui in capite II. Epistolæ II. ad Thessalonicenses de secundo Christi adventu, quem nonnulli brevi futurum falso prædicabant, locutus: statim veras *traditiones* sive *per sermonem* ejus, *sive per Epistolam* importatas memoravit, simulque petiit, ut *Christus* illos Fideles in *omni opere*, & *sermone bono* confirmaret. Quemadmodum igitur Paulus *opus* a *sermone*, ita *sermonem* ab *Epistola*, atque adeo *traditiones sermone* solo exhibitas ab iis, quas in *Epistola* scripserat, expresse distinxit; easque *tenendas*, atque ita certas esse edixit: certum enim *Traditionis* depositum *tenendum* est. *Itaque* Apostolus ait, (a) *Fratres state*, & *tenete Traditiones*, *quas didicistis*, *sive per sermonem*, *sive per Epistolam nostram*. *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus*, & *Deus*, & *Pater noster*, *qui dilexit nos*, & *dedit consolationem æternam*, & *spem bonam*, *exhortetur corda vestra*, & *confirmet in omni opere*, & *sermone bono*.

Hinc, inquit (b) S. Joannes Chrysostomus eum locum exponens, *perspicuum est*, *quod non omnia tradiderunt per Epistolam*, *sed multa etiam sine scriptis*, & *ea quoque sunt Fide digna*. *Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse Fide digna*. *Est Traditio*: *nihil quæras amplius*.

Nihil amplius quæro: quandoquidem S. Joannes Chrysostomus luculentissimus Testis est Græcæ linguæ, qua Paulus Apostolus ad scribendas suas Epistolas usus fuit; cujusque puritas Chrysostomi ætate vigebat; qui quidem rectius intellexit, *multa etiam sine scriptis* ab eodem Paulo, atque a cæteris Apostolis *tradita*, eaque, & *Ecclesiæ traditionem*, *Fide esse digna*, ac proinde certissima. Quæ tamen incerta esse, ipsisque fucum fieri, quum censor effutiat, oppido deerrat ab Apostolo Paulo, atque a Patribus; qui ex ipso Apostolo, exque *Ecclesiæ Traditione multas* Traditiones promulgarunt, istasque ut a Sacris Scripturis, & ab *Ecclesia* commendatas in vera *Fide* Apostolica, quæ fucis omnibus obvia est, posuerunt.

Deinde ut reliqua Disputatoris errata confutentur: itidem probare necessum est, a Christo, ejusque Doctrina, quæ ad Fidei, & morum dogmata pertinet, plerosque Sanctos Ecclesiæ Patres aberrare nequivisse; ideoque illam ex horum scriptis illustrandam esse.

Hæc quidem Divino statuto, quod censor injuria negat, nituntur; cujus statuti positionem e duobus S. Pauli Apostoli locis, quorum unus jam allatus inculcandus est, alter ei affinis noscitur, sumimus.

Idem igitur Apostolus primæ ad Corinthios Epistolæ capite XII. Spiritus Sancti dona, eaque gratis data, & Ecclesiæ unum corpus, ac propriam cujusque membri functionem

(a) 2. *Ad Thess.* 2. v. 15. & *seq.*
(b) *S. Jo. Chrys. hom.* IV. *in cap.* 2. *Epist.* 2. *ad Thessal. pag.* 532. *tom.* XI. *nov. Ven. edit.*

nem pertractat, dicitque: (*a*) *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes Interpretantur? æmulamini autem Charismata meliora.*

Atque etiam ipse Paulus capite IV. Epistolæ ad Ephesios cum morum præcepta, tum *ædificationem Corporis Christi*, sive Ecclesiæ, describit his verbis; (*b*) *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus Parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

S. Irenæus natione Græcus, eidem Apostolo suppar, capite XVI. libri IV. contra hæreses de Scripturarum Divinarum *expositione* egit, ut Valentinianos Hæreticos, qui *alienas doctrinas* sequebantur, ac plures Deos hæresi asserebant, revinceret. Quo laudatas S. Clementis I. Romani Pontificis, & S. Polycarpi Epistolas, quæ *unum Deum* significant, innuit: ac priorem ipsius Pauli locum edisseruit hoc modo: (*c*) *Hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, a cælesti igne comburentur ... ab omnibus igitur Talibus absistere oportet: adhærere vero his, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, Doctrinam custodiunt, & cum Presbyterii ordine sermonem sanum, & conversationem sine offensa præstant ad confirmationem, & correptionem reliquorum ... ubi igitur tales inveniat aliquis, Paulus docens, ait:* Posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores. *Ubi igitur Charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem; apud quos est ea, quæ est ab Apostolis, Ecclesiæ successio, & id, quod est sanum, & irreprobabile conversationis, & inadulteratum, & incorruptibile sermonis constat. Hi enim & eam, quæ est in unum Deum, qui omnia fecit, Fidem nostram custodiunt ... & Scripturas nobis sine periculo exponunt.*

S. Hieronymus Hebraicæ, & Græcæ linguæ sciens, utrumque Apostoli locum e Græco in latinum ita vertit, (*d*) atque declarat: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos: quosdam autem Prophetas; alios vero Evangelistas; alios autem Pastores, & Magistros ad instructionem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. *Et ex hoc loco manifestissime comprobatur Patris, & Filii una Divinitas. Siquidem hoc, quod nunc Christus tribuis-*

(a) 1. *Ad Cor.* XII. *v.* 28. *& seq.*
(b) *Ad Eph.* IV. *v.* 11. *& seq.*
(c) *S. Irenæus lib.* IV. *contr. hæres. cap.* XVI. *pag.* 262. *& seq. tom.* 1. *nov. Ven. Edit.*
(d) *S. Hieron. Commentar. in Epist. ad Ephes. lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 614. *& seq. tom.* VII.

buisse describitur, *in prima Epistola ad Corinthios* Deus *Pater dedisse narratur:* Alios enim, *ait*, posuit Deus in Ecclesia; primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores: deinde virtutes, & dona sanitatum: Opitulationes, gubernationes, genera linguarum. *Quod Sabellius non intelligens, Patrem confundit, & Filium, dum eandem operationem esse non putat diversorum. Et simul notandum, quod hic Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & Magistros dedisse Christus; ibi vero eosdem Pater posuisse memoretur. Posuit itaque, sive dedit Pater & Filius, primo Apostolos, secundo Prophetas: non illos, qui futura vaticinentur; quales in veteri legimus Testamento: sed qui infideles, & imperitos arguant, atque dijudicent: Tales quippe Prophetas* (a) *novi Testamenti in alia Epistola esse definit. Tertio Evangelistas, quorum speciosi pedes sunt ad annuntiandam pacem. Nec vero putandum, quod sicut in superioribus tribus, alios dixit esse Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas; ita & in Pastoribus & Magistris officia diversa posuerit. Non enim ait: alios autem Pastores, & alios Magistros: sed* alios Pastores, & Magistros: *ut qui Pastor est, esse debeat & Magister: nec in Ecclesiis quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit. Vel certe aliter, ut unus, atque idem Præses Ecclesiæ, sit Pastor, & Doctor ... arbitror, hodie quoque in Ecclesiis, quemadmodum Propheta & Evangelista; ita Pastor quoque invenitur & Doctor: ita posse & Apostolum reperiri; in quo Apostolatus signa, & indicia compleantur ... Nec vero absque ordine in hæc putemus Apostolum subito prorupisse; verum quia præmiserat esse Deum super omnia, & per omnia in omnibus, & unicuique Sanctorum datam gratiam secundum mensuram donationis Christi: nunc addit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Magistros esse in Ecclesia distributos, qui necessarii sint ad perfectionem, instructionemque sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi: quia quum Corpus Domini Ecclesia sit, & Ecclesia de vivis lapidibus construatur: hi, quos supra memoravimus in Ecclesia constitutos, id habent operis, ut secundum dispensationem, & officia sibi credita, Ecclesiam Christi, id est, corpus ejus ædificent. Si quis igitur non ædificat Ecclesiam Christi, nec plebem sibi subjectam instruit (ut de subjecto populo Christi Ecclesia construatur) iste nec Apostolus, nec Propheta, nec Evangelista, nec Pastor, nec Magister est appellandus.* Donec occurramus omnes in unitate Fidei, & agnitione Filii Dei, cæt. *Quærendum, quos omnes dixerit occurrere in unitate Fidei. Utrumnam omnes homines, an omnes Sanctos, an certe omnes, qui rationis capaces sunt. Videtur autem mihi de omnibus hominibus dicere; quia multi venti doctrinarum sunt: & flatu eorum fluctibus concitatos, huc atque illuc homines incerto cursu, & vario feruntur errore. Unde omni studio laborandum, primum in Fidei occurrere unitate: deinde in eadem unitate habere agnitionem Filii Dei. Quorum quum fuerit secutura possessio, parvu-*

 li

(a) Rom. 10.

li esse cessantes, & mensuram interioris hominis recipientes (quæ mensura plenitudinis mensura Christi est) perfecti Viri vocabulum sortiemur: ita tamen ut ad consummatam ætatem plenitudinis Christi, omnis credentium turba perveniat, & nequaquam in Dogmatibus fluctuans, ad instar Parvulorum gurgite infidelitatis ferantur incerto, dum venti hinc inde perflantes, Hæreticorum videlicet, sive sapientium hujus sæculi, diversæ, compugnantesque rationes naufragium audientibus aut inferunt, aut minantur: dum alii absque voluntate fallaciæ, ea tamen, quæ falsa sunt, prædicant: alii vero omni calliditate erroris laqueos componentes, nos decipere & vincere festinant. Quum autem occurrerint, atque pervenerint Sancti in mensuram supradicti viri, tunc intelligentes charitatem Christi, augebunt in eo omnia, quæ acceperant, semina veritatis.

Vincentius Lirinensis prope medium sæculum quintum mortalitate exutus: in Commonitorii capite XI. concordem Patrum sententiam, qua hi Sacras Scripturas interpretantur, & in *sensu Catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentiunt*, haud despiciendam esse, ex priori Pauli Apostoli loco, cæterisque ejusdem documentis sic ostendit: *Beatorum Patrum Sanctum, (a) Catholicumque consensum ne quis sibi temere contemnendum forte arbitretur, ait Apostolus:* & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos (*b*) (*quorum ipse unus erat*) secundo Prophetas (*qualem in Actibus Apostolorum legimus Agabum*) tertio Doctores: *qui Tractatores nunc appellantur; quos hic idem Apostolus etiam interdum nuncupat; eo quod per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur. Hos ergo in Ecclesia Dei Divinitus per tempora, & loca dispensatos quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum: a quorum veridica unitate ne quis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus dicens;* (*c*) obsecro autem vos Fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, in eadem sententia. *Quod si* quis ab eorum sententiæ *communione desciverit, audiet illud ejusdem Apostoli;* non est Deus dissensionis, sed pacis: (*d*) *id est, non ejus, qui a consentiendi unitate defecerit; sed eorum, qui in consentiendi pace permanserint:* sicut in omnibus, (*e*) *inquit*, Ecclesiis Sanctorum doceo, *id est Catholicorum: quæ ideo sanctæ sunt, quia in Fidei communione persistunt. Et ne quis forsitan, prætermissis cæteris, se solum audiri, sibi soli credi, arrogaret; paulo post ait:* (*f*) an a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos devenit? *Et ne hoc quasi perfunctorie acciperetur, adjecit:* si quis, *inquit*, videtur Propheta esse, (*g*) aut spiritalis cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. *Quæ utique mandata, nisi ut si quis est Propheta, aut spiritalis, id est, spi-*

(a) *Vinc. Lir. in Commen. cap.* XL. *pag.* 459. *Ven. edit. an.* 1696.
(b) 1. *Cor.* 12. *cit.*
(c) 1. *Cor.* 1. *v.* 10. & 1. *Cor.* 12. *v.* 25. *habetur*, ut non sit schisma.
(d) 1. *Cor.* 13. *v.* 33.
(e) *Ibid.*
(f) *Ibid. v.* 36.
(g) *Vers.* 37.

spiritalium rerum Magister ; summo studio æqualitatis, & unitatis cultor exsistat : ut scilicet neque opiniones suas cæteris præferat, & ab universorum sensibus non recedat. Cujus rei mandata qui ignorat, (*a*) *inquit*, ignorabitur : *id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit*, ignorabitur, *hoc est indignus habebitur, qui inter unitos Fide, & exequatos humilitate Divinitus respiciatur. Quomodo nescio, an quidquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta Apostolicam comminationem Pelagiano illi provenisse cernimus Juliano, qui se collegarum sensui aut incorporare neglexit, aut excorporare præsumpsit.*

Apostolus itaque Divino oraculo testificatur, quod in *Ecclesia Deus posuit Doctores* ab *Apostolis*, & *Evangelistis* distinctos. Illi autem *Magistri* non solum pro Pauli ætate, verum etiam pro sequentibus, ac subsequentibus sæculis a *Deo positi* sunt : quippe qui ab eodem Apostolo *Pastores* exinde appellentur : quorum plerosque sanctitate & doctrina illustres usque ab Apostolorum ævo ad reliqua sæcula, uti Sacra, & Ecclesiastica Historia ab adversario admissa refert, *Deus dedit, ut in unitate* Fidei *non simus parvuli fluctuantes*, ut *non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, & astutia ad circumventionem erroris*. Non ergo fieri potuit, ut iidem plerique Sancti Doctores a Christo, ejusque dogmatibus aberrarent : sola namque indeficienti doctrina *error* perimitur, & *unitas Fidei* servatur. Ex illa igitur Cœlesti positione certum est, eos Patres a Christi Doctrina dissentire nequivisse ; ideoque hanc ex scriptis illorum, ut qui Divinos *Sermones interpretentur*, illustrari debere, ne quis ea in doctrina *fluctuet*, neve in *errorem* labatur. Quæ duo quia Divino illo promisso nituntur, ac *Fidei unitatem* custodiendam præscribant : idcirco Hæretici, qui a Romanæ Ecclesiæ & Catholicæ communione recesserunt, errore & illa duo rejiciunt, & a *Fidei unitate* dissentiunt. Quocirca Disputator falso effutit a Dallæo posterius dictatum, quod Sacras Litteras in sensum Catholici dogmatis ex Patribus declarandas certo proponit, funditus eversum fuisse. Apostolus enim *interpretationes Sermonum ;* quæ *Doctoribus* ab eo præmissis attribuendæ sunt, Divinitus positas monstrat : Divina autem positio a Nemine everti potest : Dallæus ergo *omni Doctrinæ*, & futilium rationum, quas opportuniori loco eliminabimus, *vento circumlatus*, ac *Fidei unitati* temere infensus, nullo modo eas *Doctorum interpretationes*, sed seipsum misere exturbavit.

Atque etiam Divinis illis Pauli litteris expositiones adductorum Interpretum consonant ; dum ii scribunt, quod & *Hæretici alienas* a Fide *Doctrinas* afferant, & propterea ab *omnibus talibus absistendum sit ; adhærendum vero Ecclesiæ Doctoribus :* qui *Apostolorum Doctrinam custodiunt ;* ac *Sermonem sanum*, & *incorruptibilem*, atque adeo erroris corruptelæ haud obnoxium *præstant ;* ac *sine periculo Sacras Scripturas exponunt :* qui *a Deo in Ecclesia distributi* sunt tanquam ad *Sanctorum*, sive

(*a*) *Ibid. v.* 38.

five Fidelium *inftructionem neceffarii;* ut, quoniam *Hæretici vario errore*, & *compugnantibus rationibus naufragium audienti vel inferunt*, vel *minantur*, *omnis credentium turba nequaquam in Dogmatibus fluctuet*, neque *gurgite infidelitatis feratur incerto*; fed *veritatis femine* a *Sanctis* Doctoribus *aucto*, in *Fidei unitatem occurrat*. Iidemque *Tractatores Divinitus per tempora*, & *loca Difpenfati*, atque *uniti Fide*, quum *Prophetarum*, & Apoftolorum *myfteria aperiunt*; atque in *fenfu Catholici dogmatis unum aliquid fentiunt*; jam *contemnendi non funt*; neque ab *univerforum fenfibus recedendum eft*; ne *Deus* ipfe, a quo *pofiti* fuere, *contemnatur*; neu quis a *confentiendi unitate deficiat*. Quæ omnia Apoftoli Doctrinæ, & Scopo, quem attulimus, omnino refpondent. Plerique igitur *Sancti Doctores* Sacram Scripturam de Catholicis dogmatibus communiter explicantes, falli haud potuere: quandoquidem Divinas illius veritates *veridica Fidei unitate*, & ita fallendi nefcia, manifeftarunt: quorum fenfibus fi aliorum *Tractatorum*, qui primum *Catholici* extiterunt, interpretationes acceffferint: tum Theologicum argumentum firmabunt; quia nondum, cum Orthodoxi effent, a *confentiendi unitate defecerant*.

Eftne hic dogmatum Hiftoria diftinguenda a veritate ipfa Dogmatum, & regula morum? minime gentium. Nam Criticus cenfor illam ab ifta falfo fecernit: quia ficuti Hiftoria rerum geftarum, quibufcum revera connexa eft, a veritate geftorum haud fecernitur: ita Hiftoria dogmatum, quibus certo, & intime conglutinata eft, a veritate ipfa dogmatum, quorum aliqua regulam morum exhibent, nequaquam diftinguitur: atqui, ut recto ufui fint veterum fcripta, a plerifque folis Patribus, uti cenfor concedit, hiftoriam dogmatum, quæ utique Chriftus, Apoftoli, & Ecclefiæ Catholicæ protulerunt, petere poffumus: ergo ab iifdem veteribus ipforum dogmatum veritatem accipiamus oportet: in qua nos fallere nequeunt; quoniam eorumdem dogmatum, quæ ut talia veriffima funt, quæque ab indeficienti Ecclefia Orthodoxa docebantur, memoriam publicam inviolate fervant, ac referunt.

Quapropter novi Teftamenti norma prout ab illis compluribus veteribus explicata, quacum quidquid confentit, rectum, & a qua quidquid diffentit, obliquum eft, accipi debet: quippe & Scripturas Sacras, & laudatas *Traditiones*, & *Doctores* atque interpretes *a Deo ad fidei Unitatem* fervandam *datos* ipfum Novum *edocet* Teftamentum; cujus proinde norma ut *Traditionibus*, quas multi *Ecclefiæ Doctores* fcriptis fuis commendant, quibufque idem Teftamentum enucleant, oftenfa habet vim omnem. A Chrifto igitur, prout ejus doctrina complurium Patrum interpretatione explicatur, diffentire non licet. Et quod ifti communius aut fecerunt, aut dixerunt, aut fignificarunt ad Fidei, morumque dogmata pertinere; id cum Chrifto, fidelibufque ipfius Difcipulis *Traditiones* docentibus mire confentit; ac propterea illud, quod a multis veteribus fcribitur, non modo exigendum, five referendum eft ad fcripti Novi Teftamenti normam; verum etiam ad *Traditionis* non fcriptæ, quam eadem Sacra

Scri-

Scriptura prædicat, leges; quæ multorum Patrum tradentium, præsertim qui quatuor prioribus fæculis eminuere, consensum, & Sacrarum litterarum declarationem ab ipsis sanctitatem proponunt: idque ex eo præcipue ostenditur, quod genuinæ Veteris, ac Novi Testamenti Scripturæ ut a suppositítiis distinctæ plerorumque veterum testimonio comprobentur. Patrum itaque consensus, multitudo, & antiquitas apud Christianos omnes pondus maximum habere debet: tum quia cum summo Doctore Christo Jesu, sanctisque Apostolis consentiunt: tum quia legitima, & Divina horum monumenta non aliter, quam plerorumque vetustorum Patrum documentis probari queunt, & a fictis secerni.

Miracula quoque ab iisdem Apostolis edita ad istum locum pressius accedunt: quippe quibus hi priores Ecclesiæ Doctores & Scripturas suas, & *Traditiones Sermone*, non *Epistola* a semet nuntiatas firmarint. Apostolis ergo fidem adjungimus propter præstantiam tum antiquissimi sæculi Apostolici, cum doctrinæ sive scriptæ, sive non scriptæ, quam cœlestibus testimoniis, hoc est, prodigiis corroborarunt. Ergo etiam credere debemus, ac credimus plerisque sequentibus ac subsequentibus Patribus & ob vetustatem Apostolicæ antiquitatis succedaneam, & ob doctrinam Apostolicam aut scriptam, aut solummodo traditam, quam iidem veteres exhibent. Quapropter Deus in Ecclesia sua Catholica vel per homines Fide & Sanctitate fulgentes, vel per Sanctos Martyres, vel etiam per aliquot Sanctos Patres, atque Scriptores, sicuti istorum monumenta loquuntur, miracula operatus est, ac sic Ecclesiæ fidem a Patribus ipsis expositam, quam hæc ab Apostolis acceperat, cælestibus illis testificationibus communivit. Quod si quidam Patres, & Ecclesiastici interpretes miraculorum dono ditati non fuerint: non iccirco istorum documenta, quæ cum aliorum Doctorum dogmatibus consentiunt, recipienda non sunt: siquidem Paulus ait: *numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?* qua ratione Paulus non in *omnibus Doctoribus*, & *Interpretibus*, quorum quidem aliqui prodigia fecerunt, patrandorum miraculorum *virtutes*, *curationum gratiam*, ac *linguarum* donum requisivit: & tamen eos commendavit. Illorum ergo *Magistrorum*, & Catholicorum *interpretum*, qui prodigiorum charismate locupletati non fuerunt, documenta, aliorum Doctorum Doctrinæ Catholicæ respondentia, suscipienda sunt, ipsique *Magistri*, Patresve, ut initio exposuimus, appellandi.

Verum adversarius omnia miscendo, illis omnibus *Magistrorum*, Patrumve nomen eripere nequicquam vult; dum objicit Matthæi caput XXIII.; quod sane ipsi nihil suffragatur. Nam in eo Dominus de Scribis, & Pharisæis hæc dixit: (*a*) *super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi...* (*b*) *omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab* Ho-

(a) *Matth.* XXIII. v. 2.

(b) v. 5.

Hominibus ... (*a*) *amant autem primos recubitus in Cœnis*, *& primas Cathedras in Synagogis*, *& salutationes in Foro*, *& vocari ab Hominibus Rabbi*. *Vos autem nolite vocari Rabbi*. *Unus est enim Magister vester*: *omnes autem vos Fratres estis*. *Et Patrem nolite vocari vobis super Terram*: *unus est enim Pater vester*, *qui in Cœlis est*; *nec vocemini Magistri*, *quia Magister vester unus est*. Hocce igitur in capite unicum Domini propositum fuit, Discipulos suos, qui ei ut Doctori supremo subditi *Fratres* erant, communire adversus Pharisæorum arrogantiam, qua isti *primus Cathedras*, ac Doctoris, Patrisve nomen elate ambientes, abominabantur subjici Christo omnium scientissimo: qui proinde titulum illum Pharisæis, qui eum ambitiose usurpabant, non aliis, qui eodem recte usi essent, tribui vetuit; ob idque seipsum *unum Magistrum*, & quidem summum, non, uti adversarius comminiscitur, *unicum*, nuncupavit. Qui Deus & Homo quum *Deum natura Patrem* ut *nostræ vitæ auctorem*; aliquot vero homines participatione, aut *indulgentia* Patres, quemadmodum (*b*) S. Hieronymus interpretatur, in veteri, ac Novo Testamento appellatos voluerit: idcirco non superbis Pharisæis, sed aliis Filios Christo ipsi gignentibus, Patris, Magistrique nomen indulsit: quo Paulus Apostolus & semetipsum, & alios *Magistros* ab Apostolis distinctos, ut vidimus, appellavit: ob idque novit, titulum illum sibi, Apostolis, ac Doctoribus aut sua ætate, aut post Apostolos natis a Domino haudquaquam interdictum fuisse.

Quare si Censor Divina Pauli Apostoli documenta audiat: tum Apostolos primarios Ecclesiæ Magistros Christo subjectos; tum demum alios ejusdem Ecclesiæ *Doctores*, Patresve, & Interpretes ab ipso Domino *positos*, atque pendentes appellet, ac revereatur. His tamen posterioribus nullam adhibet reverentiam, sed obloquitur; & clamat, aliquos recentiores, e. c. Grotium & Hammondum, Grammaticæ, & Criticæ præsidiis cinctos posse melius intelligere, & illustrare, quid Scriptores Sacri senserint; quam Græcos, aut Latinos Patres secundo sæculo florentes, Apostolisque propiores, præcipue Justinum, & Irenæum, ac, si ii cum illis conferantur, eosdem *antiquiores ipsi adversario* Pueros videri. Miserebit Te istius obloquutoris; quem Grotius (*c*) ipse quamvis Heterodoxus (alium Hæreticum mitto) refellit: qui, ut ea S. Joannis (*d*) Apostoli verba, *in principio erat Verbum* .., *& Deus erat Verbum*, ac quasdem similes veteris Testamenti locutiones enucleet: utitur quidem Hebraicis, & Græcis Sacrarum Scripturarum vocibus; sed tamen ad meliorem, & absolutam illius Divini Testimonii, alteriusque consimilis interpretationem advocat Patres Græcos, & Latinos secundo sæculo claros, nimirum *S. Ignatium*, *S. Justinum*, *S. Irenæum*, *Tertullianum*, ac *S. Augustinum* quarto, & quinto sæculo celebrem: horumque consonis auctoritatibus firmiter probat æternitatem

(a) *Vers. 6. & seq.*
(b) *S. Hier. in Mat. lib. xv. cap. 23. v. 8. & 9. Tom. vii. novis. Ver. edit.*

(c) *Grot. in Sac. Script. Tom. iii. edit. Basil. an. 1732. pag. 474. & seq.*
(d) *Jo. 1. v. 1.*

tem Verbi & Divinitatem: quibus testimoniis ea, quæ Joannes Clericus Socinianorum Fautor in Historia duorum primorum Ecclesiæ sæculorum adversus Filii Dei Divinitatem inconsulto affert, funditus dituuntur. Grotius ergo eos Patres, præsertim Justinum, & Irenæum, non ut pueros, sed ut Catholicæ doctrinæ antiquiores Magistros, sibi, Hammondo, & cuilibet recentiori Hæretico præferendos agnovit: utpote a quibus veteribus illam consentientem Evangelici dogmatis traditionem certissimam acceperit, eaque S. Joannis Apostoli oraculum recte explicarit. Quo nuperi aliqui quantumvis licet Criticæ, & Grammaticæ studeant, certe sine conspirante vetustiorum Patrum doctrina obscuros litterales Divinæ Scripturæ sensus de quopiam Catholico dogmate illustrare non possunt: iidemque sensus secundum consentientem plurium veterum explicationem, atque sententiam accipi debent.

Sed enim Adversarius dixit, quod *Priorum Te miserebit*, *dum* intelliges de Martyris, & Episcopi *Irenæi scriptis* illa posse dici, quæ Photius Codice cxx. animadvertit.

Miserebit Te potius Censoris recentis, qui non antecedentia Photii, sed ultima verba producis. Exhibeamus igitur totum contextum illius antiqui Critici: qui eo in Codice de legitimis S. Irenæi operibus, ac de quibusdam aliis, quæ ejusdem nomine circumferebantur, agit, ac dicit: Ανεγνώσθη Βιβλίον Εἰρηναίου ἐπισκόπου Λουγδούνων (Ἐν Κελτοῖς δὲ τὰ Λούγδουνα) λόγοι πέντε, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ, ἐλέγχου, καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, τοῦτο δὲ ἐστι κατὰ αἱρέσεων, ὧν ὁ πρῶτος διαλαμβάνων, περὶ Οὐαλεντίνου, καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν ἀπὸ τῆς πλάνης ἀπάρχεται, ὥσπερ ἀναποδίτων, καὶ ἄνωθεν διεξιὼν ἀπὸ Σίμωνος τοῦ μάγου, ἄχρι Τατιανοῦ: ὃς τὰ πρῶτα μαθητὴς Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος χρηματίσας, ὕστερον εἰς πλάνην μετηυλίσθη αἱρέσεως. ἔτι δὲ διαλαμβάνει περὶ τῶν ἰδίως Γνωστικῶν λεγομένων καὶ τῶν Καϊνῶν, τὰ βδελυρὰ αὐτῶν ἐκτιθεὶς δόγματα. ἐν οἷς καὶ πρῶτος λόγος. ὁ δὲ δεύτερος ἀνατροπὴν περιέχει τοῖς αἱρεσιώταις ἀσεβῶς δογματιζομένοις. ὁ δὲ τρίτος καὶ γραφικὰς κατ᾽ αὐτῶν προκομίζει παντοδαπὰς μαρτυρίας. ὁ δὲ τέταρτος τὰς παρὰ τῶν αἱρετικῶν προτεινομένας ἀπορίας διαλύει. καὶ ὁ πέμπτος δὲ ὅσα διὰ παραβολῶν ἐλέχθη τε καὶ ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ κυρίου ἐκ τῶν λοιπῶν τῆς σωτηριώδους αὐτοῦ διδασκαλίας, καὶ ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν ἐπιστολῶν ταῖς αἱρετικαῖς προθέσεσιν εἰς ἔλεγχον ἁρμόζειν παρίστησι. πολλὰ δὲ τοῦ θεσπεσίου Εἰρηναίου, καὶ παντοδαπὰ, καὶ ἕτερα συγγράμματα, καὶ ἐπιστολαὶ φέρονται. εἰ καὶ ἔν τισιν αὐτῶν ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται, ὃ χρὴ παρασημαίνεσθαι. *Lectum fuit volumen* Irenæi Episcopi *Lugdunensis* (*est autem in Celtis Lugdunum*) *sic inscriptum:* libri quinque Elenchi, atque confutationis falso dictæ cognitionis, hoc est, contra Hæreses: *quorum primus de Valentino agens, tum ab impio ipsius errore ducit initium; rursum quasi relato pede, altiusque origine repetita a Simone Mago usque ad Tatianum: qui Justini Martyris primum Discipulus edoctus fuit; postea in errorem Hæresis præceps ruit. Differit præterea de iis, qui proprie Gnostici appellantur, atque de Cainis, exsecranda eorumdem dogmata exponens: in hisque liber primus. Ast secundo ea refellit, quæ ab Hæreticis impie asseruntur. Ac Tertius multiplicia adversus ipsos profert S. Scripturæ testimonia. Quartus autem ab Hæreticis prætensas*

Quæstiones dissolvit . Et vero quintus quæcumque a Domino per parabolas dictaque , factave fuerunt , ex reliqua ejusdem salutifera doctrina , & ex Apostolicis Epistolis , Hæreticorum imposturis refellendis apta esse demonstrat . Plura vero Divini Irenæi , & varia , & Alia conscripta , & Epistolæ feruntur: etsi in aliquibus Ipsorum secundum Ecclesiastica dogmata veritas exquisita adulterinis ratiocinationibus fucari videtur ; quod oportet significasse .

Sed & Adversarium observare oportet , quod ex Photio Divinus Irenæus suo *volumine contra Hæreses* scripto non modo ea , quæ a Valentinianis *Hæreticis impie afferuntur* , *refellit* , ab iisque *prætensas* , sive *objectas quæstiones dissolvit* ; verum etiam *Domini* , & *Apostolorum doctrinam* ad illos *Hæreticos refellendos aptam* esse demonstrat . Ergo Irenæus eodem in *volumine* demonstrationes aptas, non spurias, adhibet. Qui enim ea in re adulterinis rationibus utitur , neque eum *aptum demonstrandi* modum declarat ; neque *Hæreticorum objecta dissolvit* : quarum rationum notharum contrarias *demonstrationes* cum Photius Irenæo disertim assignet, plane sequitur , hunc *ratiocinationibus* legitimis, non *spuriis*, eo in opere usum esse: cui proinde genuino Irenæi *voluminì* idem antiquus Criticus *spurias rationes* , & a Catholicis *dogmatibus* , atque a legitimis Sacræ Scripturæ expositionibus alienas minime tribuit. At quum illud opus, & *conscripta varia*, atque *alia* Photius aperte distinguat: profecto non eidem priori *volumini* , non *variis* Irenæi *conscriptis*, & *Epistolis*, quas vel Eusebius , vel S. Hieronymus laudant; sed *quibusdam aliis* Operibus , quæ a veris S. Irenæi *conscriptis* utique *alia* erant , *adulterinas ratiocinationes* adnectit , & imputat . Quæ Photii antecedentia, & consequentia a nupero censore animadversa, non dicteria usurpata, oportebant .

Hinc jam liquet , ut usui legitimo sint Patrum volumina , perspiciendas esse & admittendas rectas eorumdem ratiocinationes , quas aut de Scriptura Divina , aut de Traditione non scripta ad orthodoxa dogmata evincenda communius adhibuerunt . In aliis vero, quæ ad Fidei, morumque dogmata haud pertinent, sequi debemus vel id, quod simpliciter denarrant, atque testantur; vel illud, quod ab uno, & altero melius dicitur, aut certe verius monstratur : ad quas positiones recta ratio, artesque ab ea prognatæ, ac minime fallaces exigendæ sunt , non illis præferendæ : quandoquidem ex Patrum antiquitate & doctrina , jam demonstratis, ac non adeo ex solis rationis , & humanarum artium suffragiis , res explicemus , metiamur , haud improbemus , oportet : ita tamen, ut aures ad rectam Rationem a logica , aliisve humanis scientiis doctam aures non occludantur , cum a Theologia afferuntur , cui humanæ omnes scientiæ , tanquam ancillæ , subserviunt .

Verum enimvero Sacra Veteris , & Novi Testamenti Scriptura , ac non scripta Traditio , ex Paulo Apostolo certe probata, sunt duæ Fidei Catholicæ , præceptorum , morumque normæ a Deo ad homines demissæ; secundum quas plura dogmata definiit Ecclesia . Illas igitur regulas credamus, ad easque in hac mortali vita expendamus omnia dicta ,

cta ,

cta, & facta; easdemque recta ratione sequamur: utpote quæ non sit Fidei regula, sed quædam veluti fax a Deo nobis indita, qua incensi & Dei ipsius extantiam, & sacras ejus litteras, & Divinas, Apostolicasque Traditiones a plerisque omnibus veteribus descriptas illustremus, ac tueamur: quibus Patribus proinde non major, aut minor, sed cuncta reverentia, præsertim in Religionis negotio, debetur: præcipue quod Traditio illa ab hisce exhibita non solum cum explorata Christi, & Apostolorum doctrina consentiat; sed quoque ab hacce, uti visum est, proculdubio ponatur; ac sic litteris Sacris non anteferatur quidem, verum ut non a puro homine, sed a Christo Deo, & homine, atque ab Apostolis lata, Divinæ eidem Scripturæ jure ac merito æquiparetur.


Habes plerorumque omnium veterum, qui quatuor prioribus, & sequentibus Ecclesiæ sæculis enituerunt, præstantiam, eruditionem, atque authoritatem; quæ ad Catholica dogmata ostendenda, & firmanda afferri queunt, ac debent. Nihil dico amplius; latiores disceptationes, uberioraque argumenta, quam hic exponuntur, prope ingressurus.



DISSERTATIO II.

DE LEGITIMIS

VETUSTORUM PATRUM OPERIBUS.



DISSERTATIO II.

DE LEGITIMIS

VETUSTORUM PATRUM OPERIBUS

CUM NOTHORUM MULTITUDINE HAUD CONFUSIS.



Uod erat suscepti muneris pro Patrum authoritate; id rudibus quidem verbis, sed veritate ipsa suffragante complevimus; cujus asseverandæ causam mihi ipsorum antiquitas, eruditio, ac Fides juste dederunt. Venio nunc ad illud, quod est hujusce operis summum; ut exagitem ea, quæ de genuinis, certisque Veterum scriptis, quorum rationem antea reddidimus, deque subdititiis libris, qui eorumdem fætus non sunt, Dallæus dictitavit, (*a*) *longe maxime momenti rationes* causatus; quas nullas esse, longiori oratione, fusioribus responsis, uberrimisque antiquorum Ecclesiasticorum testimoniis, quæ ipse leviter tangit, monstremus oportet.

§. I.

Dallæi opinatio exhibetur, & Critico argumento refellitur.

DAllæus quo documenta in germanis Veterum libris extantia, quibus ejus hæreses convelluntur, effugeret; idcirco adfirmavit, eos legitimos libros cum suppositiis adeo confusos esse, ut difficillimum sit, vel eorum authores, vel sensum certo cognoscere: cujus falsi dicti hanc irritam iniit rationem, „ quod (*b*) Patrum vere, certoque non

(a) *Dal. de Usu Patr. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 11.

(b) *Dal. in titulo cap.* 3. *lib.* 1. *pag.* 11.

„ non sint Quæcumque nunc eorum „ nomine circumferuntur, sed pleraque iis supposita: „ quo indefinito enuntiato Quæcumque etiam legitima Patrum scripta complexus, errore voluit, *multa* genuina Veterum Doctorum opera non modo (*a*) cum fictitiis confusa, & incerta, verum etiam ab Hæreticis, aliisque *conficta* fuisse: quod erratum ex eo, quod prisci Heterodoxi, aliique plura Patribus adfinxerint, probare frustra pertentat.

Cum autem plura certa Patrum opera ostendere, & adversus illam falsam opinionem, atque errorem mihi propositum sit ratiocinari: pergo jam, atque assero, pleraque omnia germana volumina, quæ antiquorum Patrum nominibus, & characteribus insigniuntur, quibuscumque nothis conscriptis, quæ prisci Hæretici, aliique Veteribus supposuerunt, inconfusa esse & indubia, non ab Hæreticis, aliisve conficta: illaque ab istis facile discerni; eorumque genuinorum operum authores, ac sensa, præcipue ad Catholicam doctrinam pertinentia, procliviter nosci.

Unde enim Dallæus adgnovit, ab antiquis Heterodoxis, aliisve plura scripta sub Patrum nomine falso venditata? nihil aliud referre potest, nisi quod ea perceperit ex vetustis Ecclesiasticis Scriptoribus; e quibus ipse illa commentitia opera, quemadmodum postea videbimus, protulit. Atqui iidem Scriptores fere omnia legitima Patrum monumenta ut cum suppositis haud confusa, utque indubitata horum opera non modo retulerunt, sed quoque aliqua crisi libros, quos Hæretici illis, aliive confinxerant, a genuinis veterum operibus secreverunt, istorumque authores, & interdum prædicta sensa adnotarunt. Ergo ex eorum suppositorum Librorum colluvie Dallæus ea, quæ descripsimus, falso colligit, errore ducitur, hocque critico principio exagitatur.

Eusebius namque tertio, & quarto sæculo clarus, & ita priorum Patrum ætati proximus, in suæ Historiæ Ecclesiasticæ libris genuinas S. Ignatii Antiocheni Episcopi, & Martyris, ac S. Polycarpi Antistis Smyrnensis Epistolas, etiam a S. Irenæo Lugdunensi Episcopo significatas, & germana S. Justini Martyris, ejusdem Irenæi, Clementis Alexandrini, S. Dionysii Alexandrini Antistis, aliorumque volumina ut fictitiis non confusa, utque certa ipsorum opera, & aliqua eorum documenta de Fidei rebus, percensuit. Hinc prima, & vera S. Clementis I. Romani Pontificis Epistola, quam is ad Corinthios de abscindendis eorum dissensionibus scripserat, commendata; & altera Epistola, quæ hujusce nomen, non characterem, præferebat, minime admissa: statim alia opera a Clemente ipso non edita, sed sub ejus nomine falso prolata, ac Petri, Appionisque disputationes continentia, sincerisque rectæ Fidei ab Apostolis, & a Clemente traditæ notis carentia, ac sic ab Hæreticis subdita repulit: & priorem illam certam Epistolam ab his commentitiis scriptis secrevit, & hocce modo prius tractavit: *Clementis (b) extat Epistola ab omnibus uno consensu recepta, eximia prorsus, at-*

(a) *Dal. inibi in corpore cap.* III. *pag.* II.

(b) *Euseb. lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* 16. *pag.* 95.

atque mirabilis; quam nomine Ecclesia Romanæ ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit, quum apud eos gravis esset exorta dissensio. Hanc in plerisque Ecclesiis palam recitari consuevisse comperimus. Subinde ait, quod superest (*a*) *Clementis illa ab omnibus recepta ... Sciendum tamen est, alteram quoque Clementis Epistolam circumferri: Verum hanc non perinde receptam, atque adprobatam fuisse pro certo habemus. Quidam porro alia opera prolixa sub ejus nomine heri, & nudius tertius in lucem protulerunt, puta, Petri, & Appionis disputationes; quarum apud antiquos nulla omnino extat mentio: neque enim sincera rectæ Fidei ab Apostolis traditæ nota in illis expressa reperitur*.

S. Hieronymus quarto sæculo, quod priorum Patrum tempora proxime sequebatur, & quinto etiam percelebris; in Catalogo virorum illustrium complura indubia, nothisque scriptis haud confusa Patrum primis quatuor sæculis illustrium volumina, ex quorum aliquibus nonnulla testimonia alibi contra Heterodoxos attulerat, denotavit: ac celebratam (*b*) Clementis I. Epistolam a suppostitiis illis operibus, de quibus modo locuti sumus, distinxit. Atque etiam certa Theophili, qui anno fere 170. Antiochiæ Episcopus ordinatus fuerat, opera ab adulterinis ita secrevit (*c*) *Theophilus sextus Antiochensis Ecclesiæ Episcopus, sub Imperatore M. Antonino Vero librum contra Marcionem composuit, qui usque hodie extat. Feruntur ejus & ad Autholicum tria volumina, & contra Hæresim Hermogenis liber unus: & alii breves, elegantesque tractatus ad ædificationem Ecclesiæ pertinentes. Legi sub nomine ejus in Evangelium, & in Proverbia Salomonis Commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia, & phrasi non videntur congruere*.

Idem S. Doctor quum inibi genuina, & nota Tertulliani, & S. Cypriani volumina significasset; ac Novatiani Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, qui Pontificatum contra S. Cornelium legitimum Pontificem Maximum invadere conatus, Novatianorum, sive Catharorum hæreticorum sectam conflaverat, scripta recensuisset: actutum eidem Novatiano librum de Trinitate, quem is antequam sectam illam cogeret, texuerat, liquido adscripsit, eosque, qui librum illum S. Cypriano falso tribuebant, eliminavit: quod ipsum, uti fusius postea dicemus, effecit in Apologia sua adversus Ruffinum; qui contendebat, eundem librum de Trinitate Tertulliani opus esse, & tamen sub S. Cypriani nomine ab Hæreticis Macedonianis Constantinopoli lectitari; quam auctorum confusionem Hieronymus repulit, monstrans ex illius libri *Titulo*, & *styli proprietate*, quæ in eo elucebat, Novatianum ipsius Authorem cognosci, istoque charactere a Tertulliano, atque a S. Cypriano, quibus idem opus supponebatur, clare distingui. Itaque S. Doctor in Catalogo scripsit: (*d*) *Novatianus Romanæ Urbis Præsbyter, adversus Cornelium Cathedram Sacerdotalem* conatus invadere, *Novatianorum, quod Græce*

(*a*) *Ib. Cap. 38. pag. 116. & seq.*
(*b*) *S. Hieronymus in Catal. cap. 15. pag. 839. Tom. 11.*
(*c*) *S. Hier. in Catal. cap. xxv. pag. 853.*
(*d*) *S. Hieron. in Catal. cap. LXX. pag. 897. tom. 11.*

Græce dicitur Καθαρὸς *dogma constituit, nolens apostatas suscipere pœnitentes... scripsit autem de Pascha, de Sabbato, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de cibis Judaicis, de Instantia, de Attalo, multaque alia, & de Trinitate grande volumen quasi* ἐπιτομὴν *Operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes, Cypriani existimant*. Itidem in illa Apologia Hieronymus ait de Ruffino: *transit ad* (a) *inclytum martyrem Cyprianum, & dicit, Tertulliani librum, cui titulus est*, de Trinitate, *sub nomine ejus Constantinopoli a Macedonianæ partis Hæretici lectitari; in quo crimine mentitur duo: nam nec Tertulliani liber est, nec Cypriani dicitur, sed Novatiani, cujus inscribitur titulo, & Authoris eloquium styli proprietas demonstrat*.

Rursum Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem reprobat Sexti Philosophi Pythagorici, atque Ethnici librum sub nomine S. Sixti Martyris, qui anno 257. Romanam Sedem occuparat, ab eodem Ruffino, qui ex illo opere plures errores hauserat, Pelagiumque docuerat, evulgatum; cujus libri authorem Ethnicum ab eo Martyre Hieronymus ita distinguit: *librum Sixti Pythagorici, hominis* (b) *absque Christo, atque Ethnici, immutato nomine Sixti Martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit: in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur, ut, qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo Calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio. Unde & vos plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia*.

Præterea idem Sanctus in illa Apologia narrat, sub ipsius nomine a quodam deceptore Epistolam fuisse confictam, in qua ipse S. Doctor pœnitentiam ageret, quod in adolescentia ab Hebræis inductus Hebraica Scripturæ Sanctæ volumina in latinum vertisset; quodque in septuaginta Interpretum condemnationem Sacras litteras interpretatus esset: contra quæ Hieronymus primum ostendit Epistolam illam *non esse* suam, præsertim quum ejus *stylum*, & *eloquii formam* Epistolæ Fictor nequaquam expresserit. Deinceps adstituit, ab se quidpiam adversus septuaginta Interpretes non prolatum, immo *universos tractatus suos* istorum *testimoniis* contextos, postremo *omnia*, quæ *scripsit*, suamque S. Scripturæ Hebraicæ translationem tuetur: ideoque ab ea Epistola fictitia, ac *non* sua *universos tractatus suos*, & scripta sua uti legitima sic discernit: *Scribit Frater Eusebius*, (c) *se apud Afros Episcopos, qui propter Ecclesiasticas causas ad comitatum venerant, Epistolam quasi meo scriptam nomine reperisse; in qua agerem pœnitentiam, & me ab Hebræis in adolescentia inductum esse testarer, ut Hebræa volumina in latinum verterem, in quibus nulla sit veritas: quod audiens obstupui*. (d) *Et quia in ore duorum, vel trium stat omne Verbum, unique Testi nec Catoni creditum est, idipsum multorum me* ex

(a) S. *Hier. lib.* 2. *ap. cont. Ruffin. num.* 24. *pag.* 313. *Tom.* 11.

(b) S. *Hieron. Epist.* 133. *pag.* 1024. *Tom.* 1.

(c) S. *Hier. lib.* 2. *Apol. cont. Ruff. num.* 24. *pag.* 517. & *seq. Tom.* 2.

(d) *Matth.* 18. 16.

ex urbe Fratrum scripta docuerunt, sciscitantium, an ita se haberet, & a quo ipsa Epistola disseminata esset in vulgus lachrymabiliter indicantium. Qui hoc ausus est facere, quid aliud non audeat? Bene, quod malitia non habeat tantas vires, quantos conatus. Perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia, & totum quidquid cupit calumnia, prævaleret. Stylum meum, qualiscumque est, & formam eloquii vir disertissimus exprimere non potuit: sed inter ipsas præstigias, & alterius personam, qua se fraudulenter induerat, quis esset, ostendit. Ergo ille, qui Epistolam sub nomine meo pœnitentiæ finxerat, quod male Hebræa volumina transtulissem, objicere dicitur, me in Septuaginta condemnationem scripturas Sanctas interpretatum, ut sive falsa sunt, sive vera, quæ transtuli, in crimine maneam, dum aut in novo opere fateor me errasse, aut recens editio veteris condemnatio sit ... Ego ne contra Septuaginta Interpretes aliquid sum loquutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in Conventu Fratrum edissero, quorum psalmos jugi meditatione decanto? Tam stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem? Universi Tractatus mei horum testimoniis texti sunt. Commentarii in duodecim Prophetas & meam & Septuaginta editionem edisserunt ... ego taceo, & litteræ non meæ loquuntur contra me. Ignoro crimen, & *crimen in toto orbe confiteor ... omnes Præfatiunculæ veteris instrumenti, quarum ex parte exempla subjeci, huic rei testes sunt. Et superfluum est, quod in illis dictum est, aliter quam ibi dictum est, scribere ....* (a) *Quæso Te, amice dulcissime, qui tam curiosus es, ut etiam somnia mea noveris, omniaque, quæ per tot annos absque metu futuræ scripsi calumniæ, in accusationem vocas, ut respondeas, quomodo eorum Præfationes librorum nescias, quos accusas ..? Quid nocet Ecclesiis nostra Translatio? magnis, ut scio, sumtibus redemisti Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis, quintæque & sextæ editionis Judaicos Translatores. Origenes tuus .. in omnibus libris suis post septuaginta Interpretes, Judæorum translationes explanat, & edisserit. Eusebius quoque, & Didymus idem faciunt ... Apostolici viri scripturis utuntur Hebraicis. Ipsos Apostolos & Evangelistas hoc fecisse perspicuum est. Dominus, atque Salvator ubicumque veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla ... nec hoc dicimus, quod septuaginta Interpretes sugillemus, sed quod Apostolorum, & Christi major sit authoritas ... Ex quibus omnibus adprobatur, & septuaginta Interpretum editionem, quæ legentium vetustate firmata est, utilem esse Ecclesiis .., & cæteros Interpretes non reprobandos; quia non sua, sed Divina volumina transtulerunt.*

Concilium quintum universale fere medio sexto sæculo celebratum, de quo antea mentionem fecimus, sequutum est *omnia* a SS. *Athanasio, Hilario, Basilio, Gregorio Theologo, Gregorio Nisseno, Ambrosio, Joanne* Chrysostomo, *Augustino, Cyrillo Alexandrino, Leone* Magno,

(a) *Ibid. pag.* 528.

ab aliisque *conscripta de recta Fide*, *& in damnationem Hæreticorum*: quæ proinde multa opera ab *Hæreticis* non fuere confićta, neque cum aliquibus horum libris confusa; nam ipsorum *damnationem* continebant. Et quoniam Nestoriani pro Theodoro Mopsuesteno eorum hæresis fatore quandam Epistolam a S. Cyrillo Alexandrino scriptam finxere; idcirco ejusdem Synodi Patres declararunt, eam Epistolam in germanis S. Cyrilli *Codicibus* non repertam, & ita istis inconfusam; & ab ipsius Cyrilli *litterarum*, ac *Scriptorum compositione*, sensuque *alienam*, atque adeo ab ipsis Nestorianis *confictam* fuisse. En Concilii quinti criticen: *quoniam quidem diligentes Nestorii perfidiam, idem vero est dicere Theodori insaniam, non recusant confingere quædam, & utuntur verbis tanquam in Epistola positis scripta a S. Cyrillo ad Joannem Antiochiæ Episcopum pro hoc, quod non oporteat Theodoro insultare ..., necessarium putavimus ista referre. Nunquam vero talis Epistola scripta est a S. Cyrillo, nec in ejus fertur Codicibus. Quis autem inspiciens eam, non statim inveniet, alienam esse compositionem intellectuum, & Verborum, conferens ea cum aliis scriptis S. Cyrilli? Verumtamen aperte inde Falsitas ostenditur, Joannes enim Antiochiæ Episcopus scripsit ad S. Cyrillum dicens ...*, quod non oportet anathematizare neque Theodorum, neque conscripta ejus tanquam convenientia dictis a Sanctis Patribus. *Et ad ea rescripsit S. Cyrillus plane rejiciens Theodori conscripta, & increpans dicentes, ista consonare illis, quæ Sancti Patres exposuerunt, addens litteris etiam hoc, quod non oportet Theodori scripta defendere tanquam consonantia in omnibus Nestorii vaniloquiis, & merito ejecta cum illis, utpote anathemate, quod adversus Nestorium factum est, procedente etiam adversus eos, qui ante illum similia ei sapuerunt. Quod autem nihil eorum, quæ in conficta Epistola continentur, scriptum est ab ipso, ostenditur etiam ex iis, quæ scripsit ad Acacium Melitenæ Episcopum; in quibus aperte narrat, quæ ad Joannem rescripsit. Sed etiam ad Theodosium .. Imperatorem consonantia antelatis scribens, dicit:* Theodorus quidam fuit, & ante eum Diodorus: hic quidem Tharsi Civitatis; ille vero Mopsuestiæ: isti Nestorii impietatis Patres fuerunt. In suis enim libris, immaniter blasphemaverunt contra Christum omnium nostrum Salvatorem .... voluit igitur impius Nestorius, quæ sunt illorum, in medium proferre; & expulsus est a Deo de Sacra aula. Quum vero anathemati subjecissent dicta Nestorii: aliqui Orientis Episcopi alio modo ea introducunt, dicentes, recta sapuisse & consona sanctis Patribus nostris, Athanasio, & Gregorio, & Basilio. Mentiuntur vero contra Sanctos Viros: scripserunt enim, quæ Theodori, & Nestorii blasphemias impugnant. *Et ista quidem ad convictionem Epistolæ, quæ a Defensoribus Theodori falso composita est.*

Photius noni sæculi scriptor Criticus, (*a*) sua in Bibliotheca legitimos plerorumque Patrum Codices nothis inconfusos, eorumque scopos exhi-

(a) *Photius Cod.* 113.

exhibuit. Quare a priori *magnifacienda* commemorati Clementis I. Epistola relatum *Disputationis*, aut *Recognitionum opus*, quod *absurdis nugis*, & *plurimis ex Arii opinione in Filium Dei blasphemiis refertum* erat, segregavit. Et præterea a veris *Orationibus* S. Joannis Chrysostomi *Orationem in decollatione S. Joannis Baptistæ* distinxit, ac dixit: (*a*) *Hæc Oratio S. Joannis Chrysostomi nomine inscribitur; non tamen mihi ejus videtur: argumentis enim, modoque scribendi multum a reliquis Orationibus distinguitur.*

Denique Remigius Lugdunensis Antistes, eodem IX. sæculo clarus, librum ὑπομνηστικὸν, sive *memoratorium*, quem sub S. Augustini Ipponensis Episcopi nomine Hincmarus Rhemensis Præsul citarat, a germanis ejusdem Sancti scriptis discrevit, ipsique *Augustino* suppositum vicit hoc modo: (*b*) *nos enim manifeste novimus, quia quando libros Retractationum jam senex, & morti vicinus scripsit, in quibus omnes præcedentes libros suos diligenter, & fideliter retractavit, nequaquam adhuc istum libellum scripserat, quia si scripsisset, utique inter alios etiam ejus mentionem fecisset. Manifestum etiam videtur, quia post ejus obitum, quando vitam ipsius, & Catalogum non solum librorum ejus, sed etiam Tractatuum ad populum, & Epistolarum ad Diversos quidam Sanctus Episcopus, & alumnus ejus diligentissime recensuit, & descripsit; necdum istum libellum scripserat B. Augustinus: si enim scripsisset, utique tanquam præcipuum inter alios adnumerari, & memoriæ commendari potuisset. Quod si aliquis ex Ecclesiæ Rectoribus, qui post ejus obitum extiterunt, simpliciter eum ex Titulo, qui S. Augustini nomine inscriptus est, non considerata diligentius ratione, nec aliqua necessitate, ut id faceret, compellente, ipsius esse credidit, cujus in fronte nomen invenit, quid hoc præjudicat veritati, quæ diligentius quæsita, & inventa nullum super hac re errare permittit ...? nam & ipse supramemoratus libellus manifestissimis indiciis non se S. Augustini esse aperte ostendit, quia nec præfationem aliquam in initio sui gerit, ubi se ab aliquibus rogatum, vel sibi necessario visum, ut . . novum opus scriberet, significasse inveniatur. Sed & ipse sermo ab eloquio S. Augustini multum discrepat, & sensus illius sensu non parum inferior habetur, & . . testimoniis ex hebraica translatione, quam B. Hieronymus edidit, præter ejus consuetudinem utitur, quod ille ex antiqua potius editione facere consuevit .... Unde magis credibile est, quod non parvo spatio post ejus obitum a quodam alio scriptus sit, & magna ex parte juxta modum, & formam sensuum ejus contra Pelagianos, & Cælestianos Hæreticos . . breviter collectus, atque digestus. Et quia Author ejus B. Augustini sensus brevi isto opusculo in unum collegisse, & explicuisse videtur; ideo ipsi opusculo nomen S. Augustini in Titulo proferre voluerit: non quod vere ab illo sit editus; sed . . juxta formam Disputationum ejus digestus, atque compositus.* (*c*) *At manifestissime prædicti Doctoris sensi-*

(a) Cod.
(b) Remig. Lugd. in libro de tribus Epistolis cap. 35.

(c) Idem Remig. in libro de tenenda Scriptura veritate.

sensibus, immo Catholicæ sinceritati probatur adversus.

§. II.

Ex superioribus rationes Criticæ colliguntur.

PORRO iis authoritatibus liquet, scripta, quæ vetustorum Patrum sunt fœtus, quæve impræsentiarum ipsorum nominibus, & characteribus exornantur, sane cum subdititiis libris, quos Patres non procrearunt, sed Heterodoxi, aliique finxere, confusa non esse. Nam illa ut talia, & priscos, ac distinctos eorumdem auctores Eusebius, S. Hieronymus, Concilii quinti Œcumenici Præsules, Photius, Remigius, ac cæteri Scriptores Patribus ipsis vel coævi, vel suppares, vel eos subsequuti, sinceris illorum Antiquorum codicibus, stylo, ac doctrinis consentientibus, laudant: & quidem pleraque Patrum volumina legitima tantum, quæ modo germana ex eorum testimoniis habentur, liquido exhibent; sicque illa inconfusa quibuscumque supposititiis conscriptis, hoc est, sine istis, electe percensent: atque aliqua ipsorum genuina monumenta, quæ etiamnum sub vero eorum Titulo lectitantur, a fictis, ac proprios quorumdam operum aliis falso attributorum Authores a nothis, plane fecernunt, Hæreticorum, aliorumque fraude nudata, atque rejecta. Ergo ea pleraque omnia Patrum scripta vere, certoque ipsorum sunt opera ab adulterinis sejuncta; propterea quod illa & legitima, & fictitiis haud confusa exhibet constans veterum testificatio: qui tametsi a spuriis voluminibus aliquot germana Patrum conscripta, non pleraque, expresse segregant; hæc tamen permulta commentitiis nequaquam confundunt; quoniam, uti fert vis argumenti proxime adlati, plerosque ipsorum libros ut genuinos solum, & ita a falsis seclusos, illi veteres profecto commendant. Quo consequens est, eos omnes legitimos libros, quia a fictis distinguuntur, veros esse Patrum partus, non fictos: hinc ex eo, quod Heterodoxi, aliique plura volumina Ecclesiasticis tractatoribus adfinxerint, effici nequit, itidem illorum dolo, plerosque istorum libros, qui nunc sub veris ipsorum nominibus circumferuntur, confictos fuisse, ideoque vere, certoque eorumdem proles haud esse: id, inquam, illa ex fraude colligi nequit: quandoquidem hic veterum judicio standum, quippe qui, ut dixi, priscis Patribus aut coætanei, vel horum temporibus propinqui, vel deinceps clari extiterint: veteres autem plura illorum Nebulonum figmenta a certis Patrum scriptis secernendo, eum dolum rejiciunt; ac plerosque libros, qui modo genuini noscuntur, ut veros, ac certos Patrum fœtus proferunt: ii igitur libri non ficti, at veri, indubiique eorum Scriptorum sunt partus; & impostores illi opera alia ab hisce, non hos libros utique effinxerunt: cujus rei proinde oppositum Dallæus falso, ac temere asserit, præsertim quum hoc adversus eos vetustos Testes, quorum firma contestatio in ejusmodi rebus longe validissimum argumentum est, ponat, atque asseveret. Tum verum veterum authorum universale silentium, ac suppositorum voluminum stylus a Patrum stylo maximopere diversus, & Personarum, Dictorum, ac temporum

rum circumſtantiæ, quæ in adulterinis voluminibus cernuntur, vetuſtis Eccleſiæ Doctoribus haud congruentes, dilucide monſtrant, his quidem multa ſcripta ſubdita eſſe, ſed ſecreta a pleriſque omnibus horum operibus, quæ ut certa, ac falſis inconfuſa veteres tradunt: & ita illa ab iſtis, adhibita hac criſi, non perdifficiliter, uti Dallæus vult, at expedite diſcerni utique poſſunt; quippe quia generatim facile per ſeſe eſt diſcernere inconfuſa, atque disjuncta. Quamobrem nuperi critici priſcis innixi pleroſque omnes germanos Patrum libros a fictitiis nullo negotio diſtinxere. Nulla igitur eſt inter utroſque libros confuſio ex veterum ac recentiorum Criticorum judicio: nulla plerorumque certorum operum, quæ Patres edidere, confictio: nulla in dignoſcendo utrorumque delectu, quem expoſuimus, atque oſtendimus, difficultas.

Quum itaque cuncta genuina vetuſtorum Eccleſiaſticorum Scriptorum volumina & indubia ſint, & a nothis ſejuncta; atque in genere difficile haud ſit, & illa ab iſtis, & illorum compoſitores ſpeciatim ſecernere, quod eorumdem authores a priſcis Teſtibus diſtincte referantur: tum in genere nullius negotii eſt, proprias ſingulorum antiquorum Patrum ſententias de Catholicis dogmatibus in quoque germano eorum conſcripto perveſtigare, ac ſtatuere; quoniam nulla eſt ipſorum genuinorum, nothorumque operum confuſio, quæ obſtet, quominus illæ priſcorum Patrum eſſe ſententiæ in legitimis iſtorum ſcriptis contentæ agnoſcantur. Quocirca & vetuſti Critici aliqua Patrum ſenſa Eccleſiæ doctrinam ſpectantia, quæ etiam nunc in veris ipſorum monumentis inveniuntur, quemadmodum indigitavimus, celebrant: & recentiores Theologi orthodoxi quamplurima Veterum Eccleſiæ Doctorum ſingillatim nuncupatorum documenta ad oſtendendos, & propugnandos Catholicæ fidei articulos, ſicuti in præclaris ipſorum conſcriptis perſpicimus, afferunt; utique præſignificantes, cunctorum voluminum, quæ in præſentia Patrum proles indubitate cenſentur, & ab adulterinis ſecernuntur, authores, ac ſenſus, potiſſimum de Fidei rebus, ab ſemet inveſtigatos fuiſſe, & memoratos; ac propterea eoſdem procliviter exquiri poſſe, atque referri.

Hiſce Probationibus, quas fuſiori ratiocinatione adverſus plures falſas, errantesque Dallæi excogitationes neceſſario ediſſerui, & inculcavi, ipſius objecta plane convellam; quæ quoniam nimia ſunt & multiplicia; profecto ad uberiorem, expeditioremque eorum expugnationem, quæ ſententiam hactenus defenſam magis, magiſque illuſtrabit, & communiet, longius progrediar.

§. III.

Dallæi oppoſitiones ex pluribus libris nothis, ac præſertim ex illis, quos priſci Heterodoxi Apoſtolis, & Patribus ſuppoſuerunt, petitæ eliduntur.

PRimitus pro iſta cauſa graviſſima, quæ non modo ſuſtinenda, verum etiam copioſe, partiteque agenda eſt, aggredimur confutare Dallæi argumenta, qui librorum, quos diſtinximus, confuſionem, aliaque commenta ex multis ſubdititiis conſcriptis, ac præcipue ex

ex iis, quæ antiqui Hæretici sub Apostolorum, & Patrum antiquorum nominibus falso venditarunt, extundere incassum adnititur.

Jam ipse hoc modo proloquitur. „ (*a*) Plerorumque istorum, de quibus agimus, librorum, confusio „ tanta est, ut immane quantum „ difficile sit vel eorum authores, „ vel sensus certo cognoscere: hoc „ primum ex eo nascitur, quod veteribus falso adscripti, & suppo„ sititii nullo numero inveniantur „ libri. Simile quid in omni cum „ Litterarum, tum disciplinarum „ genere accidit: nec in ulla alia „ re vel in Philosophicis, vel in „ Litteris humanioribus magis de„ sudant critici, quam dum dele„ ctum inter hujusmodi fætus no„ thos, vel adulterinos, & ge„ nuinos, legitimosque adhibent. „ Sed nullibi impudentius, quam „ adversus Scriptores Ecclesiasti„ cos fraus grassata est. Omnes „ tam harum, quam illarum par„ tium de eo queruntur, & ad „ fastidium usque in lectoribus ex „ intricatissimis impostorum isto„ rum commentis educendis la„ borant; etsi plerumque parum „ proficiant propter vehementiora „ partium studia, dum libri non „ tam ex suo merito, quam ex le„ gentium usu, ac commodo æsti„ mantur. Qui adversatur, explo„ ditur, qui favet, laudatur. Ita„ que ut, quod res est, dicam: „ plerique non de suis opinionibus „ ex libris Patrum, sed de Patrum „ libris ex suis opinionibus judicium „ ferunt. Qui nobiscum sentit, & „ loquitur, is Cyprianus est, & „ Chrysostomus; si secus scriptor „ est recenset imperitus: veterator „ est, qui lacinias suas præstantis„ simorum virorum purpura studuit „ contegere. Quod si non alios, „ quam qui studiis ducuntur, hæc „ caligo involveret; spes esset, se„ positis studiis, tenebras discuti, „ & lucem affulgere posse; habitu„ raque in quo quiescerent sedata „ saltem, moderataque ingenia. „ Verum nondum incommodorum „ finis. Superest & aliud, idque im„ peditissimum ..., caligo ista sci„ licet res ipsas obsidet. Unde fit, „ ut vel propter erroris antiquita„ tem, vel ob veri, & falsi simili„ tudinem nonnisi magno cum la„ bore, ac molimine ex ea liceat „ emergere; interdum vero nec om„ nino quidem liceat; non enim „ comminiscendi, fingendique artes „ novæ sunt: harum fraudum arti„ fices (*b*) ante quatuordecim sæ„ cula extitere. Passim occurrunt „ Patrum voces de Hæreticis con„ querentium, quod ii, ut somniis „ suis authoritatem conciliarent, „ libros, quibus ea in vulgus pro„ seminabant, celeberrimi cujusque „ Ecclesiæ Doctoris, immo & Apo„ stolorum ipsorum nominibus in„ scribere ausi essent. Hac ipsa de „ re magno Basilio Cæsareæ Archie„ piscopo tanto in pretio habitus „ Iconii Episcopus Amphilochius „ commentarium scripserat, ex quo „ septimæ Synodi Patres (*c*) locum „ confutarunt ab Iconoclastis ex ine„ pto quodam opere laudatum, „ quod *Itinerarium Apostolorum* diceba-

(a) *Dal. de usu Patrum lib. 1. cap. 3.*

(b) „ *Hegesip. apud Euseb. lib. IV. Hist. Eccles. cap. XXII.*

(c) „ *Concil. VII. Act. V.*

„ cebatur: atque utinam eruditi iſtius
„ Antiſtitis extaret elucubratio! fa-
„ cile forſan ex ea foret multorum
„ ridiculorum ſcriptorum, quæ ce-
„ leberrimorum, & vetuſtiſſimorum
„ inter Chriſtianos virorum nomen
„ falſo ementiuntur, revincere vani-
„ tatem. Hieronymus varia ſcripta
„ apocrypha (a) Apoſtolorum, & eo-
„ rum, qui proxime iis ſucceſſere,
„ velut Petri, Clementis, Barnabæ,
„ & aliorum nomina præferentia pro-
„ ſcribit. Eodem loco (b) habentur a
„ ſeptima Synodo Evangelium ſecun-
„ dum Thomam, & Epiſtola ad Lao-
„ dicenſes. Si Nebulones iſti de no-
„ minibus Apoſtolorum luſerunt:
„ qua licentia non proruperunt in
„ Patres? enimvero fraus iſthæc iis
„ ſemper ſolemnis fuit. Sic legimus,
„ Neſtorianos epiſtolam, qua hære-
„ ſis eorum primus author, & patro-
„ nus Theodorus Mopſueſtenus pur-
„ gabatur (c), ſub S. Cyrilli Alexan-
„ drini nomine promulgaſſe: ſic al-
„ tera ex parte Eutychianos, ut im-
„ peritæ plebi fucum facerent, quoſ-
„ dam Apollinaris libros Doctoribus
„ Orthodoxis falſo adſcriptos in vul-
„ gus ſparſiſſe. De hoc argumento
„ Leontius librum ſcripſit, quo de-
„ monſtrat, homines iſtos Gregorii
„ Neocæſarienſis, Julii Epiſcopi Ro-
„ mani, & Athanaſii nominibus im-
„ primis abuſos fuiſſe, immo li-
„ brum, cui titulus eſt, ἡ κατὰ μέρος
„ πίστις, id eſt, *Fides ſingillatim ex-*
„ *poſita*, quem Turrianus..., quem
„ Gerardus Voſſius, quem Gregorii
„ Neocæſarienſis poſtrema editio pro
„ genuino, & legitimo ejus fœtu ob-
„ trudunt, ipſius non eſſe revera,

„ ſed Hæretici Apollinaris, docet:
„ & qui Bibliothecam Patrum edi-
„ derunt, judicium ferunt de duo-
„ decim anathematibus, quæ vulgo
„ eidem Gregorio tribuuntur. His
„ veſtigiis inſiſtentes monothelitæ ho-
„ miliam a Menna Patriarcha Con-
„ ſtantinopolitano ad Vigilium E-
„ piſcopum Romanum miſſam con-
„ finxerunt: item ejuſdem Vigilii li-
„ bros duos ad Juſtinianum, & Theo-
„ doram, in quibus diſerte doceba-
„ tur eorum hæreſis: eaque tria ſcri-
„ pta per fraudem quintæ Synodi
„ Codici in Bibliotheca Patriarcha-
„ tus Conſtantinopolitani (d) aſſer-
„ vato inſeruerunt: in ſexta ſynodo
„ fraus in lucem protracta, & con-
„ victa eſt: alias quis iſta in tam
„ authentico exemplari legens in
„ errorem adductus non fuiſſet? pau-
„ ca ejus rei exempla tantum refe-
„ ro ad ſpecimen Hæreticorum au-
„ daciæ in iis, quæ in hoc genere
„ tentarunt, immo & reipſa effecta
„ dederunt. Hæc autem omnia ſub
„ finem ſæculi ſeptimi acciderunt:
„ poſtea in diſputationibus de ima-
„ ginibus, & in controverſiis (e)
„ Græcorum cum Latinis, & in ple-
„ riſque contentionibus Eccleſiaſticis
„ nihil frequentius hinc inde objici
„ videas, quam falſa, & ſuppoſiti-
„ tia eſſe, quæ alii adverſum alios
„ in cauſæ ſuæ defenſionem afferunt,
„ ut inde proclive ſit colligere, quid
„ Hæretici hujuſmodi artibus pro-
„ moverint; quas, etſi in aliis ar-
„ gumentis, frequentes adhibuerunt.
„ Itaque veriſimillimum videtur,
„ multa nunc ſub veterum Docto-
„ rum nomine legi ab ipſorum ad-

(a) *Hier. lib. de Script. Eccl.*
(b) *Conc. VII. act. VI.*
(c) *Conc. V. act. V.*

(d) *Concil. VI. act. III. & XIV.*
(e) *Concil. VII. act. VI. Concil. Florent. ſeſſ. XX. paſſim.*

„ versariis conficta, ipsisque suppo-
„ sita, ita ut non raro cum Hære-
„ tico nobis res sit, dum auctorem
„ orthodoxum legere nos putamus;
„ & hostis sub amici persona late-
„ at: quo fit, ut metuendum sit,
„ ne interdum & nobis, & a nobis
„ tanquam veteris Ecclesiæ placita,
„ & pronuntiata, ea objiciantur,
„ quæ reipsa sunt Hæreticorum so-
„ mnia. Nec enim existimandi sunt
„ adeo hebetes fuisse Hæretici, ut
„ statim aperirent venenum, quo
„ ejusmodi pestifera scripta inficie-
„ bant; immo illud arte, & laten-
„ ter huc illuc affudisse, & veluti
„ a longinquo hæreseon suarum fun-
„ damenta substruxisse censendi sunt,
„ ut fraus sicut tectior, & minus ob-
„ via, sic & perniciosior foret. „

At quam infirmæ, atque absonæ sunt ejusmodi loquutiones! Nam Adversarius (ut clarior earum summa fiat) *plerorumque* legitimorum operum a vetustis Patribus editorum, & nothorum ab iis minime productorum confusionem in suppositorum multitudine inaniter fundatam; ac difficultates & pernoscendi illa, & recte secernendi eadem ab istis; istorumque implicationem; & maximam voluminum ab antiquis Heterodoxis pluribus crebro fictorum obscuritatem, incassum obtrudit propter eos frequentiores Hæreticorum dolos: unde multa *veterum* opera, in quibus nunc hi orthodoxi auctores leguntur, quæque utique genuina putantur, ab illis sycophantis *verisimiliter* conficta fuisse, & clam errore oppleta, falso, & absurde deducit. Quas argutationes imprimis eadem Apocryphorum scriptorum, quæ prisci Heterodoxi Apostolis nequiter subdiderunt, parilitate, quam Dallæus usurpat, quæ postea evertetur, revincimus, ac propulsamus. Quamquam enim illi Hæretici crebras fraudes commoliti, Apostolis plurima volumina, quæ veteres adducendi referunt, falso adscripsere; tamen patet, ab ipsa Apocryphorum multitudine nullam confusionem in sacras Apostolorum Scripturas, quas Apocryphis inconfusas Patres exhibent, induci; earum auctores Apostolos credi; ipsarum sensus, quos Patres enucleant, dignosci; eademque apocrypha, etiamsi antiquissima, nullis caliginibus intricatissimis involvi, sed erroribus manifestis scatere, & ita evidenter noxia esse, atque ab Apostolicis monumentis nullo negotio distingui. Tum etiam ob eas frequentes Hæreticorum artes non verisimillimum, sed falsissimum, & contra fidem Catholicam est, ab illis Nebulonibus plures Apostolorum Scripturas, quæ sub vero horum nomine impræsentiarum leguntur, subditas esse; ac nobis, dum in ipsis sacris Scripturis Apostolos earum auctores legere credimus, cum aliquo eorum Apocryphorum effectore sæpius negotium esse; in hisque Apostolicis voluminibus illos orthodoxæ Fidei hostes personatos latere: quæ absona sunt; quum eos crebros Hæreticorum dolos Patres resciderint; hasque Divinas litteras esse veras, & indubias Apostolorum proles, atque adeo a prædictis Nebulonibus nequaquam effectas, nuntiarint: ex quo certe sequitur, ut metuendum non sit, ne ex iisdem illorum Nebulonum commenta tanquam ab Apostolis pronuntiata aliquando educantur: etenim illi Heterodoxi, & si vaferrimi, huc illuc ipsis Apostolorum operibus sua inania hæresum fundamenta, atque errores veluti e longinquo, sive occultiori arte, ac minus obvia, & ita

per-

perniciosiori affudisse existimandi minime sunt; quod & certissimum est, & a Patribus, quorum aliqua testimonia postea afferemus, planius significatur. Simili igitur ratione immanis operum Patribus suppositorum multitudo in pleraque legitima ipsorum conscripta, quæ commentitiis illis haudquaquam confusa, quemadmodum evicimus, veteres memorant, nullam confusionem, nullamque difficultatem & cognoscendi istorum auctores, ac sensus, & illa ab istis secludendi, utique invehit: nec libri iis vetustis Doctoribus subditi sunt intricatissimi: neque complura volumina sub eorum nomine ab antiquis Heterodoxis improbe vendita ta obscurissimis erroribus implicantur; sed ex obvio ipsorum fictorum operum sensu errante ut supposititia, utque manifesto pestilentia agnoscuntur, atque a genuinis Patrum Scripturis procliviter discernuntur. Neque vero propter eas frequentes Hæreticorum technas verisimillimum videtur, sed falsissimum, & absurdum est, multa priscorum Doctorum opera, quæ modo sub vero horum nomine lectitantur, & legitima sane habentur, ab illis Heterodoxis conficta fuisse; nobisque, dum in veris Patrum voluminibus hos orthodoxos scriptores legere arbitramur, cum illorum Hæreticorum quopiam crebro rem esse; in istisque certis veterum scriptis illos Fidei hostes sub amici persona occuli: quandoquidem vetusti Critici illorum dolos ejiciendo, hæc esse germana Patrum opera, sicque ab Heterodoxis nequaquam supposita, demonstrarunt: ex quo sane concluditur, timendum haud esse, ne ex iisdem genuinis monumentis eorum Nebulonum somnia uti veteris Ecclesiæ placita, & pronuntiata a nobis extrahantur, & Dallæo objiciantur. Nec enim ipsis legitimis Patrum conscriptis Heterodoxi, etiamsi callidi, futilia suorum errorum initia, suasque hæreses, latentiori arte, & ita exitiosiori, passim aspersisse censendi sunt; quæ res eadem parilitate nunc constat, & deinceps veterum auctoritatibus, atque exemplis adversus complura illa sophismata necessario iterandis, singillatim probabitur. En eadem Apostolicarum litterarum similitudine, qua adversarius abutitur, brevi explosas ipsius argumentationes.

Quocirca, iis strictim disjectis, ad singula ejus objecta fuse exagitanda festinat oratio: qua pellimus confusionem ab eo primum oppositam: quippe quod *supposititios libros*, quorum ex multitudine illam enasci Dallæus obtendit, (a) *nullo numero* finem negante inveniri, falsum sit; nam ii libri, quemadmodum ex Criticis ipsos dinumerantibus liquet, non reapse quidem infiniti; sed multi sunt, ac numerabiles: propter quod iidem percenseri, & a plerisque genuinis Patrum Scripturis distingui, atque ita istarum auctores, & sen-

T 2

(a) Adverte, quod Latini antiquiores *innumerabilis* voce usi fuerunt, non quo numerum, reapse infinitum absolute significarent, sed ut eum magnum, non parvum, sæpius exprimerent: sic Cicero Lib. V. in Verrem num. 40. dixit, *cognoscite nunc innumerabilem pecuniam frumentario nomine ereptam;* quæ quum erepta fuerit: magna quidem fuit, at ob finitam exeptionem infinita non fuit. Dallæus autem non illo vocabulo, sed isto, *nullo numero*, abutitur; quo quia absolute negat, finem utique inficiatur, ac suppositorum operum infinitionem hic expugnatam, quæ modo creatis rebus non datur, effingit.

sensa procul dubio cognosci, facillime queunt.

At si illa adulterina volumina forent infinita, quod equidem nusquam concesserim: profecto confusionem, ac difficultatem, quæ ab opponente prætexuntur, nequaquam progignerent: cujus rei firmam rationem, qua objectatio iterum exscindatur, ex quadam adiatæ probationis parte ita desumimus: certe pleraque germana scripta veterum Patrum, & illorum, in quibus hi suas sententias exararunt, auctores ex priscis scriptoribus Ecclesiasticis, ut qui iisdem veteribus proximi fuerint, agnoscuntur: atqui antiqui Scriptores relati pleraque germana, & determinata Doctorum Ecclesiæ volumina sine quorumcumque vel infinitorum suppositorum librorum acervo, & sic absque utrorumque confusione; atque illorum verorum operum compositores, & aliqua horum sensa, quæ impræsentiarum in ipsis cernuntur commendant: ergo ea nothorum voluminum multitudo confusionem, quæ ex antiquis inter utraque haud reperitur, non parit: nec adeo valde arduum, sed proclive est, certo iisdem ex testibus noscere, & Patres esse plerorumque genuinorum conscriptorum auctores; &, quæ in iis existant, ipsorum esse pronuntiata.

Ac si mihi nunc esset de omni exoticarum disciplinarum ab antiquis, prophanisque scriptoribus editarum genere; de humanioribus litteris, deque Philosophia dicendum: possem & pleraque legitima eorum scripta cum notis haud confusa, quæ eruditi ab istis, etsi permultis, facile secluserunt, & illorum genuinorum operum, earumque artium authores, & quosdam horum sensus, in medium proferre; eademque parilitate oppositionem iterum elevare: verum id, quod a nostra causa alienum est, quodque aliunde constat, non agimus.

Agimus modo de veris ecclesiasticorum auctorum conscriptis: quorum pleraque omnia quum inconfusa falsis, atque adeo ab iis distincta ante ostenderimus: idcirco inter hujusmodi fœtus genuinos, & fictitios sine confusione, & ita sine impedimento, ac sine permagno sudore, delectus, sive discrimen adhiberi potest.

Neque vero volumina Impostorum fraudibus ficta, Patribusque supposita sunt intricatissima; nec antiqui, & nuperi Critici, a quibus ea expuncta perspicimus, de ipsorum maxima implicatione usquam questi sunt; nec in illis legendis, educendis, ac separandis a veris Patrum libris ad fastidium usque laborarunt: quippe qui eadem ex obvio illorum sensu, exque aliis qualitatibus, manifesta esse commenta, sicque nullo pacto impedita, & intricata, neque ad dividiam, sed ad ejectionem movere, adsignificarint: quas patentes fictiones in multis adulterinis operibus, quæ argutator immerito opponit, inesse, ordinatim paulo post commonstrabimus.

Jam vero plerique doctiores Theologi, solo veritatis studio ducti, in utrisque voluminibus distinguendis, atque in legitimis antiquorum Ecclesiæ Doctorum libris ad Catholicorum dogmatum probationem adsciscendis prius laborant; ac deinceps per ordinem id, quod adversariorum aliquis ex quopiam genuino Patrum opere haud recte objicit, enucleant, ac diluunt: qua adnotatione Dallæi dicta probationem illam, & hunc respondendi modum

dum

dum injuste taxantia retundimus.

Quum enim Critici illi orthodoxi plura scripta stylo Patrum, doctrinis, ac proprietatibus, quas ii suis in operibus exhibuerunt, evidenter repugnantia, ideoque aperte commentitia, ac non plurimum implexa, neque ad molestiam impellentia, sine conquestione perlegant, atque a legitimis Patrum scriptis secernant: ob idque in utrorumque voluminum delectu valde proficiant: simulque eadem germana opera & ex eorum merito, quia scilicet a priscis tractatoribus Ecclesiasticis indigitantur, ac Patrum characteribus potiuntur, & ex commodo, sive utilitate, quam propter Patrum documenta in ipsis contenta afferunt, electe adprobent: profecto ista conscripta legitima pro legentium usu ita proponunt; ut, quoniam idem usus in veris Patrum libris fundatur, ex his illum, non aliter, atque adversarius ostentat, existiment. Hinc suis Theologicis demonstrationibus Patrum auctoritates collaudant; quod eæ non in suppositis, sed in germanis ipsorum voluminibus exstent; & quod eorumdem communiter fidem docentium, eique faventium sententiæ elucescant: quibus ipsi Theologi exagitant Hæreticorum errores, & Catholica dogmata vincunt, celebrant, profitentur; ac proinde, ut quod verum est, fateamur, iidem eruditi non *ex suis opinionibus de Patrum libris*, sed ex Patrum libris, qui secundum Veteres illorum proprietatibus decorantur, cumque nothis haud confunduntur, de certissimis Fidei decretis judicium theologicum ista adstruens ferunt; de errantibus Hæreticorum opinationibus judicant; easque refellunt, atque exsecrantur.

Quare laudati Critici non illo pacto, quod opponens effingit; sed isto effantur: qui vetus Scriptor Ecclesiasticus, non præcise, uti a Dallæo accipitur, sed in germano suo opere de quodam dogmate cum cæteris Patribus, & nobiscum sentit, ac loquitur; is Cyprianus est, & Chrysostomus, aliusque Pater: Patres quippe suis in monumentis sua dicta expresserunt & sensa; ac si quis liber Patribus adfictus ab aliquo adversario adducatur, ejus auctor laciniosus, callidus, & imperitus a viris doctis habetur.

Falsa autem censor sumit, dicendo, *qui adversatur, exploditur:* neque enim Critici illi, uti ex eorum libris apparet, genuinum aliquod ullius Patris volumen ab adversariis inconsulto oppositum, tanquam veteratoris, recentisque scriptoris laciniam explodunt; verum amplexantur, & simul ipsius operis verba cum Patris instituto, & antecedentibus, & consequentibus, & illis quoque, quæ alibi scribit, comparando, & objectionem infirmando, reponunt, vel eum Patrem catholico dogmati a cæteris Patribus tradito non adversari; vel haud secus, quam alii docent, sentire. Solo igitur veritatis studio Theologi ducuntur, nec ullius præjudicii involvuntur caligine: utpote qui & illud scriptum isto explicationis modo, & cætera omnia Patrum volumina, in quibus moderatum, pacatumque illorum ingenium conquiescit, quibusque hæreses elidunt, accipiant, & a falsis distinguant: quæ distinctio si peracta non foret, certo spes esset, tenebras discuti, & lucem affulgere posse, sive germana Patrum scripta a suppositis secreta conspicere. Id namque ex veterum testimoniis, exque notis Criticæ regulis, quæ præjudicio-

ciorum omnium studia ablegant, nullo negotio efficitur.

Huic tamen delectui aut agnoscendo, aut faciendo & erroris antiquitatem, & veri, ac falsi similitudinem multum obsistere Dallæus haud recte pertendens; ex hac posteriore exinde ad priorem, sicut adspicis, redit, quo complura opera ab Heterodoxis efficta contrudat: quæ objectiones ut absque iis confusionibus, quas adversarius congerit, dissolvantur, atque eleventur; prius de posteriore similitudine, & posterius de priore illa antiquitate, ad quam argutator postea diffuse revertitur, disceptandum existimo.

Ut igitur veros, certosque Patrum libros a falsis, nothisve facile discerni non posse objiciat: veri, & falsi similitudinem, quæ magnam obscuritatem istis rebus afferat, arripit; quæ tamen similitudo falsa est. Quamvis enim detur verisimile, quod non est absolute verum, sed graves ob rationes veritati accedere videtur: nihilosecius falsum ut falsum non similitudinem veram, at falsam aperte habet cum vero, istique reapse dissimile est, atque a verisimilitudine longe distat; quum illud rei objecto, quod fert, minime congruat, uti veris ex rebus, quibus falsitas repugnat, lucide agnoscitur; quæ res veræ ex adverso in propria rei convenientia, qua a falsis distinguuntur, dubio procul consistunt. His ergo differentiis perspicue dissimilibus cernitur, falsum a vero evidenter differre; huic revera, etiamsi ab aliquo contegatur, absimile esse; cum hocce similitudinem falsam, quippe quæ rei objecto consentanea non sit, liquido habere, & ita carere obscuritatis obstaculo, nulloque impeditissimo incommodo afficere, ac sine magnis nisibus a Vero discerni. Jam vero falsa volumina sub Patrum nomine ab impostoribus jactitata aut stylo a veris Patrum monumentis plurimum sic differunt, ut isthæc permagna styli dissimilitudo omnibus utraque scripta diversa legentibus pateat: aut personarum, ac temporum circumstantiæ, quæ in illis falsis voluminibus perspiciuntur, Patribus nequaquam conveniunt: aut manifestis figmentis, & claris erratis doctrinæ Patrum haud congruentibus referciuntur; aut a veteribus minime significantur; qui aliunde veros Patrum Libros recensent, & innuunt; easque differentias, uti partim vidimus, partim cernemus, indigitant. Illa igitur falsa conscripta veris Patrum libris false similia, & ad Patres minime pertinentia, dilucide evincuntur; ac proinde ea caligine, quam censor obtrudit, minime obsidentur; ob idque sine ullo impedimento, sine magno molimine, ac sine impeditissima incommoditate a veris Patrum scriptis distingui, & Patribus non competere, dignoscuntur: ad quod comprehendendum labor insumi debet: qui etiamsi aliquando propter falsorum voluminum acervum magnus sit oportet, certe facilis est, seu expeditus, ac sine maximo conatu impenditur; siquidem in istis illa obscuritas, quæ ab opponente ostentatur, minime apparet.

Age, quoniam id ostensum est, expugnemus erroris antiquitatem a Dallæo multum jactatam, ab eoque quæramus; quænam sint illæ *res ipsæ*, illæque „ fraudes non novæ, qua„ rum artifices ante quatuordecim „ sæcula „ exstitere? Ipse illico ponit, quosdam esse *libros*, & quidem *erroris* plenos, quos *Apostolorum*, pri-

priſcorumque *Patrum* nominibus inſcribere Heterodoxi olim auſi fuere. Illi ne libri tali caligine obſidentur, ut *impeditiſſimum omnium incommodum* afferant, ut ex eorum obſcuritate nonniſi magno cum molimento liceat emergere, interdum vero nec omnino quidem liceat; ut ne ſcilicet ipſi libri ob illam erroris antiquitatem quandoque intelligantur, & a certis Apoſtolorum, Patrumque operibus ſecernantur? itane vero? & quis veterum documentis inſtructus, minime adſpicit, eas falſas Dallæi commentationes primitus iiſdem ſcriptis, quæ antiqui Hæretici Apoſtolis improbe appinxerunt, quæque iſte obtendit, ac deinde illis libris, quos iidem Nebulones Patribus ſuppoſuerunt, quoſque poſtea ordinatim exhibebimus, aperte refelli? Ex quo enim antiquo ſcriptore adfert priora conſcripta eam erroris antiquitatem complectentia? ex Euſebio quædam S. Hegeſippi, qui ſecundi ſæculi initiis floruerat, dicta referente. Atqui prætereo, quod Euſebius libro IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXII. non, ut Adverſarius citat, narrarit „ Hegeſippum, & Patres que-„ ſtos *fuiſſe*, quod Hæretici, ut ſo-„ mnis ſuis authoritatem Conciliar-„ rent, libros, quibus ea in vulgus „ proſeminabant, celeberrimi cujuſ-„ que Eccleſiæ Doctoris nomine in-„ ſcribere auſi eſſent: „ quæ verba neque in adducto Euſebii loco, neque in ullo alio libro, & capite ejus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ reperiuntur; ob quam rem ipſa uti a Dallæo ficta dimitto. Verum Euſebius de S. Hegeſippo inibi dixit, quod is *agens de libris*, (*a*) *qui Apocryphi dicuntur*, *quoſdam eorum ſua ætate ab Hæreticis compoſitos eſſe ſcribit:* Ecce Hegeſippi narrationem omnia illa verba, quæ Argutator effinxit, minime continentem: Ecce *libros* ab Heterodoxis ante quatuordecim ſæcula effictos, & ab adverſario objectos: ſub quo autem nomine iſtos confinxerint, non ibi ex Hegeſippo Euſebius expoſuit; at prius libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXV. eos ſignificavit, dum loquutus fuit de ſcriptis, quæ *Hæretici ſub Apoſtolorum* nomine venditarant; quæ Dallæus ad exaggerandam illam antiqui erroris caliginem nominatim adducit; quæ tamen ipſius excogitationem convellunt, nam Euſebius, & ipſe ferme ante ea ſæcula, tametſi poſt Hegeſippum, natus, primum eodem in Capite XXV. illius libri III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quatuor Sancta Evangelia, Apoſtolorum actus, Pauli Epiſtolas, priorem Joannis, ac priorem Petri epiſtolam, communi Eccleſiæ traditione aſſertas recenſuit: inde Epiſtolam *Jacobi*, Epiſtolam *Judæ*, ſecundam *Petri*, *Joannis* alteram, & tertiam, ejuſque *Apocalypſim* percurrit; quas Scripturas deinceps numeratas etſi, inter nonnullos *ἀντιλεγομένας controverſas* idem ſcriptor, quum nondum ipſius ætate ſacrarum Scripturarum canon, quem poſtea aſſeremus, editus eſſet, protulit: attamen faſſus eſt, eas litteras (*b*) *παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν γιγνωσκομένας* a *pleriſque Eccleſiaſticis*, & quidem Scriptoribus, de quibus ibi ſer-

(*a*) *Euſ. lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 22. pag. 157.*

(*b*) Hic vox *πλεῖστοι* Significat *pleroſque*, ſive majorem veterum partem, quum a *πολὺς*, *multus*, & comparativo *πλείων*, *major*, *amplior*, oriatur. Hinc poſtrema Editio Auguſtæ Taurin: lib. III. Hiſt. Eccl. Euſ. cap. 75. pag. 105. accuratius illud Græcum nomen reddit, *pleriſque*.

ſermonem habet, *agnitas*, ac proinde ut legitimas Apoſtolorum recenſitorum proles adprobatas fuiſſe: quod, quum majorem eorum *Eccleſiaſticorum* partem, in qua ſacrorum dogmatum Probatio ſæpe fundatur, importet: cert: ad ipſarum Divinarum litterarum veritatem vincendam maxime valet. Poſtremo Euſebius ibidem diſtincte pertractavit de *ſcriptis*, quæ *Hæretici ſub Apoſtolorum nomine* fallaciter *evulgarant*, quæ *Petri*, *Thomæ*, *Matthiæ*, (a) *ac quorundam aliorum Evangelia*, & *Andreæ*, *Joannis*, *aliorumque Apoſtolorum actus* continebant: de quibus Apocryphis ille iſta perſcripſit: πορρὼ δὲ πυ καὶ ὁ τ̃ φράσεως παρὰ τὸ ἦθος τὸ Ἀποςολικὸν ἐναλλάττει χαρακτὴρ· ἥτε γνώμη καὶ ἡ τ̃ ἐν αὐτοῖς φερομένων (b) προαίρεσις πλεῖστον ὅσον τ̃ ἀληθῦς ὀρθοδοξίας απάδυσα ὅτι δὴ αἱρετικῶν Ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει σαφῶς παρίστησιν. ὅθεν αὐτα.. ὡ ἄτοπα πάντη κ̀ δυσσεβῆ παραίτητον: *Et ſane in iis character phraſeos longe ab Apoſtolica ſimplicitate diſcrepat: ſenſus quoque*, & *traditum in ipſis propoſitum quum a Fide orthodoxa plurimum aberret*, *hæc Hæreticorum hominum figmenta eſſe haud obſcure oſtendunt*. *Quocirca* . . . *hæc ſcripta tanquam abſurda*, & *impia prorſus repudianda ſunt*. En ab Euſebio profligatam Dallæi opinationem. Eadem enim antiquiſſima Apocrypha, quæ Heterodoxi ante quatuordecim ſæcula confinxerunt, in *phraſeos charactere*, hoc eſt, in dicendi genere, *ab Apoſtolica ſimplicitate*, quæ utique in Apoſtolicis ſcripturis omnibus, quas idem Hiſtoricus præmiſit, ac numeravit, elucent *longe diſcrepantia*, eique adeo maxime diſſimilia, atque ab Apoſtolorum monumentis valde diverſa; & profecto ob illius pernicioſi erroris vetuſtatem nulla obſcuritate involvuntur; quoniam ipſorum obvius *ſenſus*, quem ſcilicet verba in illis contenta præſeferunt, *a Fide orthodoxa plurimum aberrans*, ea eſſe *Hæreticorum figmenta*, *haud obſcure*, nimirum ſine caligine, *oſtendit* ſecundum adverbii σαφῶς ſignificationem; quod quidem oritur a themate σαφὴς, id quod eſt σάον φάει, ſive ita ſanum luce, ut neque caligine obtenebretur, quemadmodum græci tractatores enucleant, & docent. Ille ergo obvius *ſenſus errans*, aut error commentitiis in voluminibus, quæ Heterodoxi ante relatum tempus ſub *Apoſtolorum nomine* falſe *evulgarant*, contentus, per ſe caret caligine, neutiquam latet, manifeſtus eſt: *nam ſi obſcurus ita foret*, *ut nec interdum* percipi poſſet; certo & ſine obſcuritate haudquaquam *oſtenderet*, ipſa Apocrypha *Hæreticorum eſſe figmenta*; & Euſebius ea ut talia neutiquam agnoviſſet: cui voci illud ejus teſtimonium, illud verbum, ac præcipue illa ratio, quibus ipſe eadem *figmenta* ut manifeſto *abſurda*, & *impia* novit, ac *repudiavit*, palam reclamitant. Illa igitur commentitia ſcripta veterrima, & antiquorum Hæreticorum errores in iis contenti, caligine, quam argutator oggerit, minime obſidentur; ſicque nul-

(a) *Euſ. lib.* 3. *Hiſt. Eccl. cap.* 25. *pag.* 205.

(b) Nomen προαίρεσις non, ut in Valeſii traductione legitur, *fidem*, ſed *propoſitum* ex Ariſtotele eth. 6. cap. 2. denotat, utpote derivatum a προαιρῦμαι, *præopto*.

nullum *impeditissimum omnium incommodum* afferunt, ac sine magno molimine quandoque, & perpetuo intelliguntur, atque uti aperte absona, atque pestifera a cunctis Divinis Apostolorum litteris secundum Eusebium ita distinguuntur, ut ex iis Apocryphis interdum, & semper emergere liceat: tum vero ex ea dolosa, & non rara Apocryphorum confictione falso, atque impie inferretur, verisimillimum esse, multas Divinas Apostolorum Scripturas, quas impræsentiarum Catholica Ecclesia amplectitur, perlegit, veneratur, a priscis Heterodoxis fuisse suppositas, & nos cum istorum impostorum aliquo, dum in ipsis sacris operibus Apostolos legere credimus, identidem agere; eundemque orthodoxæ fidei hostem sub amici persona latere. Siquidem ea multiplex, atque errans consecutio ex Eusebio refellitur; qui illas hæreticorum artes patefaciendo, ac repudiando significavit, Divinas omnes novi Testamenti litteras aut communi Ecclesiæ traditione, aut *plerorumque Ecclesiasticorum* tractatorum doctrina, non ut eorum impostorum, sed ut Apostolorum proles *agnitas* esse. Unde metuendum non est, ne prædictorum Nebulonum commenta tanquam ab Apostolis pronuntiata ex iisdem veris Scripturis quandoque extrahantur: ipsi namque Heterodoxi quamvis vaferrimi in iisdem sacris monumentis suorum errorum initia, suaque errata e longinquo, sive occultius, callidius, & perniciosius huc illuc affudisse existimandi certe non sunt: etenim ii impostores sua *proposita* aperte errantia, & venenata sensa in illis apocryphis libris palam absonis, ac pestilentibus, & ita non in ipsis Divinis scripturis, utpote quæ *apostolica simplicitate*, ac fide ab illis longe *discrepent*, posuerunt.

Veniamus ad S. Amphilochium; qui genere Cappadox circa Christianæ æræ annum 370. Iconii Licaoniæ metropolis constitutus Episcopus, atque a SS. Basilio magno, & Gregorio Nanzianzeno, qui eodem tempore florescebant, concelebratus; librum de *Falsis Hæreticorum inscriptionibus*, prout in ipsius titulo legitur, elucubravit: cujus quidem libri jacturam fecimus; at ejus fragmenta in septimi Concilii Æcumenici, quod adversus Iconomachos anno 787. Nicææ congregatum est, actione quinta supersunt: ex quibus, exque ea Synodo, quæ ipsum Amphilochii opus integrum vidit, illaque fragmenta retulit, cognoscendum est, ac declarandum, cujus speciei fuerint illæ *Hæreticorum inscriptiones*, quas Amphilochius arguit falsitatis. Enim vero eo in libro idem Sanctus, quemadmodum in græco illius scripti contextu, quem laudatum Concilium profert, quemque commodius infra exhibebimus, cernitur, demonstravit, eos *quosdam libros*, quibus Heterodoxi *falsas inscriptiones* præfixerant, *non Apostolorum acta esse*, sed Hæreticorum a *Dæmonibus* agitatorum *scripta*; ac sic ipsos fuisse commentitia Apostolorum acta a *Manichæis*, sicut adlata synodus adnotat, subdita, atque vocata, *Itinera Apostolorum*: ex quibus operibus nothis quum Iconomachi, qui sacrarum imaginum cultum, usumque errando abnegabant, adducerent, & objectarent, S. Joannem Apostolum cuidam Lycomedi, qui ejus imaginem pinxerat, dixisse, *similis mihi est imago; male autem hoc egisti*: hanc narrationem, hæcque verba, &

 ita

ita acta a Manichæis ficta esse ejusdem concilii Præsules eo viderunt, quia Amphilochius in commendata sua elucubratione falsis illis actis *erroris*, & *mendacii* notas, quarum specimen mox dabimus, sic inussit, ut eas *publicarit*. Falsitates ergo, & errores iisdem *libris*, quos Manichæi tertio, aut quarto sæculo, & ita fere ante quatuordecim sæcula a Dallæo minus bene inculcata finxerunt, aspersi, patebant; ac non erant adeo obscuri, ut aliquando nequirent intelligi; nisi enim Amphilochius quarto sæculo ea errata novisset, ipsa nusquam publicasset. Quare quum in ipsis actis fictitiis manichæi posuissent, eundem Joannem Apostolum Christi Passioni non adfuisse, id Amphilochius manifestæ falsitatis convicit ipsius Joannis Evangelio: ubi Apostolus iste testatur, se cruci, quum Dominus gloriæ pateretur, exstitisse præsentem: quo argumento Amphilochius denotavit, patentem illam falsitatem eidem Evangelio oppositam esse; istudque esse verum certumque memorati Apostoli fœtum, & a spuriis illis conscriptis distinctum. Cui demonstrationi celebrati Concilii Patres addidere, quod Manichæi Docetarum deliria sectantes, &, præter alia, Christum non in vera humana carne, verum in simulata ejus specie fuisse, errore asserentes, in nothis illis libris falso scripserint, Christum *neque manducasse*, *neque bibisse*, *neque pedibus terram calcasse*. Ecquæ in hisce figmentis adversus sacra Evangelia, aliasque Novi Testamenti Scripturas errantibus caligo exstat? nulla profecto: cuique enim illa patescunt: & tamen eadem in ipsis commentitiis actis tertio, aut quarto sæculo, uti ajebam, effictis septima Synodus sub octavi sæculi exitu agnovit, ac proculcavit, optime dicens; quod ea falsa *tota conscriptio contraria est Evangelio*: (a) in quo *scriptum est de Christo*, *quia & manducavit*, & *bibit*... &, *si*, *ut fabulose mentiuntur*, *terram non calcabat*, *quomodo scriptum est in Evangelio*, (b) *quod Jesus fatigatus ex itinere*, *sedebat*... *supra fontem?* quæ etiam partim Canonicis Apostolorum actibus, quos S. Lucas Evangelista exaravit, partim aliis Apostolicis litteris confirmantur. Quamobrem, quoniam in illa adulterina, & *impia*, ut ejusdem Concilii Patres ajunt, *conscriptione* non antiqui erroris obscuritas, quam Dallæus prætexit, invenitur; eandem conscriptionem ob apertos errores manifeste noxiam nullo negotio distinguimus a Sacris Evangeliis, & Canonicis Apostolorum actibus, cæterisque Novi Testamenti Scripturis, quas ut Divinas, & fictis illis actis inconfusas Amphilochius, & septima Synodus celebrant: ob ipsa autem notha, & fraudulenta itinera haud verisimile, sed falsissimum est & absurdissimum, plura sacra monumenta, quæ collaudavimus, ab ipsis Heterodoxis subdita fuisse; nosque cum eorum Hæreticorum quopiam, dum in iisdem Divinis Scripturis sacros auctores legimus, habere negotium, illosque Fidei hostes personatos abscondi: quia eædem sacræ litteræ ab Amphilochio, & septimo Concilio ea Hæreticorum artificia pellentibus ut Sacrorum Auctorum, non ut illorum impostorum fœtus

(a) Matth. XI.

(b) Jo. IV.

fœtus laudantur; immo illi impiæ conscriptioni opponuntur: ac propterea nullo pacto timendum est, ne eorumdem impostorum fictiones tanquam a sacris auctoribus positæ interdum ex ipsis Divinis voluminibus educantur: quibus ipsi callidi Hæterodoxi sua errantia fundamenta, & errata veteratorio, latitanti, & nocuo artificio sparsim aspersisse putandi certo non sunt; quippe quia in ipsis sacris monumentis huc illuc documenta illorum Hæreticorum actis palam errantibus, ac perniciosis contraria reperiuntur. Et quoniam Labbæus græcum S. Amphilochii contextum in octavi voluminis Conciliorum corpore; latinam autem ejus versionem quadam ex parte in margine collocavit; idcirco debemus, primum græca Amphilochii verba, dein latine versa adferre ex ejusdem Concilii septimi (*a*) actis; in hisque contentum testimonium, quod ea dicta in Synodo (*b*) recitavit, latine tantummodo reddere, ut ab illo Amphilochii opere distinguatur: *Cujus*, inquit illa in Synodo Petrus lector, initium est; Δίκαιον δὲ ἡγησάμεθα, πᾶσαν αὐτῶν γυμνῶσαι τ᾽ ἀσέβειαν, καὶ δημοσιεῦσαι αὐτῶν τὴν πλάνην. Ἐπειδὴ καὶ Βιβλία τινὰ προβάλλονται ἐπιγραφὰς ἔχοντα τῶν Ἀποστόλων; δι᾽ ὧν ἀπλουστέρους ἐξαπατῶσι δείξομεν γὰρ τὰ Βιβλία ταῦτα ἃ προφέρουσιν ἡμῶν οἱ Ἀποστάται τῆς Ἐκκλησίας, οὐχὶ τῶν Ἀποστόλων πράξεις, ἀλλὰ Δαιμόνων συγγράμματα; & post alia: ταῦτα μὲν ὁ Ἀπόστολος Ἰωάννης οὐκ ἂν εἶπεν ὁ γράψας ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, ὅτι ὁ Κύριος ἀπὸ τοῦ σταυροῦ λέγει: Ἴδου ὁ υἱός σου: ὡς καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης λαβεῖν τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὴν Μαρίαν εἰς τὰ ἴδια πῶς ἐν ταῦθα λέγει μὴ παρεῖναι ἀλλ᾽ οὐδὲν ξένον. ὥσπερ γὰρ ὁ Κύριος ἀλήθεια ἐστιν; οὗτος ὁ Διάβολος ψεύστης τυγχάνει, ἐκεῖνος γὰρ ψεύστης ἐστι, καὶ πατὴρ αὐτοῦ. καὶ ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος ἐκ τῶν Ἰδίων λαλεῖ: *justum autem arbitrati sumus omnem eorum denudare impietatem, & publicare errorem: quoniam & libros quosdam proponunt habentes inscriptiones Apostolorum, per quos simpliciores quosdam decipiunt ..... ostendimus enim hos libros, quos nobis ii proponunt, qui ab Ecclesia desciverunt, non Apostolorum Acta esse, sed Dæmonum scripta*. Et post alia: *hæc quidem Joannes Apostolus nequaquam diceret, scribens in Evangelio, quia Dominus in Cruce dicit*, ecce Filius tuus: *itaut* a die illa susciperet Joannes Mariam in sua. *Sed nihil extraneum, sicut enim Dominus veritas est, ita & Diabolus mendax est; ille enim mendax est, & Pater ejus, & quum loquitur mendacium, ex suo loquitur*.

Hic Dallæus integrum illud S. Amphilochii opus, quod amisimus, cujusque principium, contextum, & fragmenta, quæ jam laudavimus, apud adductam Synodum extare scimus, valde desiderat; quo *facile præter illa itinera multos* alios libros fictitios, & deridendos, qui celeberrimorum, & vetustissimorum inter Christianos virorum nomen falso ementiuntur, depellere valeat: qua nimia cupiditate incensus, ea, quæ Amphilochius illo in libro nequaquam

(a) *Conc. 7. act. 8.*

(b) *Concil. Labb. Tom. VIII.*

quam tractavit, exoptat. Quamvis enim ille Sanctus in prolati scripti sui initiis enuntiarit, ab Heterodoxis *Libros quosdam*, qui falsas *Apostolorum inscriptiones* habebant, propositos esse; nihilominus actutum collaudato contextu subjunxit, se *ostensurum libros* illos, quorum inanitatem redarguebat, *non esse Apostolorum Acta:* de iis igitur subdititiis Actibus, aut *libris*, quibus *Manichæi*, uti septima in Synodo patefactum est, falsas Apostolorum inscriptiones indiderant; quosque horum *itinera* simulate nuncuparant; non de *multis* aliis nothis operibus, Amphilochius illo in volumine egit: ideoque eodem scripto non, ut Adversarius auguratur, isthæc multa alia scripta commentitia, de quibus idem Sanctus haudquaquam differuit, sed illa, quæ *Apostolorum acta non erant*, revinci facillime queunt; quemadmodum ea ex Amphilochio, atque ex memorato Concilio satis, superque retudimus.

Cæterum plura alia conscripta, quæ celeberrimorum Apostolorum, aliorumque iis coævorum nomen falso ementiuntur, quorumque vanitatem proclivius exagitandam Dallæus cupit, orthodoxi Critici facilius explodunt; dum ea vel ex Patribus aut Amphilochio antiquioribus, aut ipsi coætaneis, aut supparibus; vel ex apertis figmentis, quæ in illis insunt, vel ex obvio eorumdem sensu, qui a Fide, ut posui, iterumque dicam, evidenter aberrat, funditus eliminant, & a Novo Testamento distinguunt: (*a*) in quorum eruditorum libris ipsa scripta fictitia, quæ, ne longum sit, prætermitto, inspici possunt.

Nunc autem eorum adulterinorum voluminum aliquot pene junctim attingam; quo omnes Adversarii argutationes, quibus veros Patrum libros perperam impetit, multorum nothorum operum, quæ hic tangit, & Apostolicarum scripturarum ab illis secretarum similitudine plenius refutem.

Pergam igitur, & S. Hieronymum Amphilochii ætate percelebrem afferam; qui Dallæum, a quo deinceps profertur, evertit; quum Præfatione in commentaria S. Matthæi eliserit Apocrypha Evangelia *juxta Ægyptios*, *Thomam*, *Bartholomæum*, *duodecim Apostolos*, ac *Basilidem*, atque *Apellem*, aliaque adeo multa, ut eorum *authores enumerare*, sicuti S. Doctor ait, *longissimum* esset: quæ Apocrypha a *Diversis authoribus* Hæreticis *edita*, *diversarum Hæreseon principia* fuere: a quibus tamen permultis adulterinis voluminibus idem Sanctus quatuor Sacra Evangelia facili critice seclusit; hæc *tantum quatuor suscipienda*, & Apocrypha illa Hæreticis deserenda commonstrans. Eat nunc Dallæus, & clamitet, prædictorum librorum, de quibus agimus, confusionem, atque immanem difficultatem & noscendi genuinorum operum, quæ ante laudavimus, authores; & distinguendi hæc a fictitiis, ex magno suppositorum scriptorum numero nasci; ac libros ab Hæreticis confictos ob erroris antiquitatem obscurissimos esse, atque interdum discerni non posse: ex quorum acervo etiam absurdas consecutiones eliciat: sane Evangeliorum quatuor parilitate ab Hieronymo expugnabitur; qui quidem a magna il-
la

(*a*) Consule.

la Apocryphorum multitudine quatuor sancta Evangelia discreta, ac sic nullam inter utraque confusionem esse, monstravit; simulque sacrorum Evangeliorum auctores statim recensendos facile novit; illaque Apocrypha, quæ Heterodoxi ante quatuordecim sæcula misere produxerunt, nullis caliginibus propter hæresum vetustatem obsessa significavit; quia ea ut *diversarum Hæreseon principia* distincte, & clare notavit; unde ipsa ut palam vitiosa rejecit; & ab iisdem quatuor Divina Evangelia distinxit. Et est quisquam, qui quum id cognoverit, minime videat, reliquas Adversarii argumentationes a vero penitus abhorrere? Siquidem ob illas crebriores Hæreticorum artes, quibus permulta scripta Apostolis subdidere, non verisimillimum, sed impium, ac falsissimum est, quatuor Evangelia, quæ modo orthodoxa Ecclesia legit, & colit, a relatis impostoribus intrusa fuisse; nosque, dum in iisdem sanctis Scripturis authores Sacros legere credimus, cum impostoribus illis causam habere; in ipsisque Divinis operibus Heterodoxos sub amici larva crebro se tegere. Quoniam eas artes Hieronymus proculcando perdocuit, *quatuor* sacra *Evangelia* a SS. *Matthæo*, *Marco*, *Luca*, atque *Joanne Apostolo condita* esse, ac proinde vere, certoque horum esse opera, ab illisque Apocryphorum effectoribus nequaquam supposita. Ex quo conficitur, ut neque ex ipsis Evangeliis illorum figmenta velut ab hisce dicta interdum erui posse pavendum sit: nam Hæretici illi, etsi vaferrimi, iis Scripturis Sanctis sua hæretica *principia* occultius, ac perniciosius passim affudisse æstimandi profecto non sunt; quandoquidem eadem sacra percensitorum Apostolorum, & Evangelistarum conscripta omnino *gestorum fidem* continent; quam & in *Marci*, & in cæterorum nuncupatorum Evangeliis inesse Hieronymus docuit; dum isthæc *quatuor tantum*, sicut monuimus, *suscipi*, & relata Apocrypha ob *nænias*, sive ob *Hæresum principia*, de quibus ipse præloquutus fuerat, *Mortuis Hæreticis* relinqui debere, posuit. Ergo ea Apocrypha dimittenda sunt, quia manifestis hæresibus scatent; ac quatuor solummodo Evangelia suscipienda, quod eam *fidem* nuntiantia, ob idque ab illis apocryphis apertissime exitiosis diversa, errantibus eorumdem fictionibus certissime careant. Ecce plenum S. Doctoris, aliqua etiam ipsorum Evangelistarum sensa adducentis, testimonium: (a) *Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt, & Lucas Evangelista testatur ..., & perseverantia usque in præsens monumenta declarant, quæ a diversis auctoribus edita, diversarum Hæreseon fuere principia; ut est illud juxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæum, duodecim quoque Apostolorum, & Basilidis, atque Apellis, & reliquorum, quos enumerare longissimum est; quum hoc tantum in præsentiarum necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui sine spiritu, & gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quam Historiæ texere veritatem: quibus jure potest illud Propheticum coaptari*: qui prophetant de corde suo, qui ambulant post (b) spi-

(a) *S. Hier. præfat. in Comment. S. Mat. tom. VII. noviss. Ver. Edit.*

(b) *Ezech.* XIII. 13.

ſpiritum ſuum, qui dicunt, hæc dicit Dominus; & Dominus non miſit eos: *de quibus & Salvator in Evangelio Joannis* (a) *loquitur*; omnes, qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones: *Qui venerunt, non qui miſſi ſunt; ipſe enim ait*, veniebant, & non mittebam eos; *in venientibus præſumptio temeritatis; in miſſis obſequium ſervitutis eſt. Eccleſia autem, quæ ſupra Petram Domini voce fundata eſt...., quatuor flumina Paradiſi inſtar eructans; quatuor & augulos, & annulos habet, per quos quaſi arca Teſtamenti lignis immobilibus vehitur. Primus omnium Matthæus eſt Publicanus, cognomento Levi, qui Evangelium in Judæa hebræo ſermone edidit ob eorum vel maxime cauſam, qui in Jeſum crediderant ex Judæis, & nequaquam legis umbram, ſuccedente Evangelii veritate, ſervabant. Secundus Marcus interpres Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus, qui Dominum quidem Salvatorem ipſe non vidit, ſed ea, quæ Magiſtrum audierat prædicantem juxta Fidem ... Geſtorum narravit... Tertius Lucas Medicus, natione Syrus Antiochenſis, cujus laus in Evangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achajæ, Boœtiæque partibus volumen condidit, quædam altius repetens, &, ut ipſe in procemio confitetur, audita magis, quam viſa deſcribens. Ultimus Joannes Apoſtolus, & Evangeliſta, qui ſupra pectus Domini recumbens puriſſima doctrinarum fluenta potavit, & qui ſolus in Cruce meruit audire*, ecce mater tua: *is, quum eſſet in Aſia, & jam tunc Hæreticorum ſemina pullularent, Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe, quos & ipſe in Epiſtola ſua Antichriſtos vocat, & Apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactus eſt ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus de Divinitate Salvatoris altius ſcribere, & ad ipſum Dei Verbum.... prorumpepere. Et Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, quum a Fratribus cogeretur, ut ſcriberet, ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto jejunio in commune omnes Deum precarentur: quo expleto, & revelatione ſaturatus; in illud proæmium Cœlo veniens eructavit:* in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; hoc erat in principio apud Deum. *Hæc igitur quatuor Evangelia multo ante prædicta Ezechielis quoque volumen probat.... quibus cunctis perſpicue oſtenditur, quatuor tantum Evangelia dèbere ſuſcipi, & omnes Apocryphorum nænias mortuis magis Hæreticis, quam Eccleſiaſticis vivis canendas.*

Præterea Hieronymus in Catalogo virorum illuſtrium de veris *S. Petri Apoſtolorum Principis Epiſtolis*, ac de variis libris huic adſctis, qui a Dallæo immerito opponuntur, pertractans; illaſque ab iſtis ſejungens, iſtorum ſuppoſitionem facile redarguit; quum iſtos uti Apocryphos, ſive eidem Petro ſubditos, *repudiari* enuntiaverit; qui ſuppoſiti libri erant *Petri Actus*, *Evangelium*, *Prædicatio*, *Apocalypſis*, atque *judicium*; quod ultimum Ruffinus vult eſſe Paſtoris librum falſe Petri Apoſtoli nomine inſcriptum; de quo nunc extante poſtea diſſeremus; cæteri vero libri veteribus noti ſine Eccleſiaſticæ

(a) *Joan. X. 8.*

sticæ rei detrimento perierunt. Et quoniam hosce Hieronymus S. Petro abjudicavit; idcirco aut in ipsorum inscriptionibus falsitatem, aut in iis fictiones, aut errationes Fidei oppositas, propter quas iidem ut Petro Apostolo repugnantes expelli debuerant, perspicue intellexit: ac sic ipsi libri S. Petro antiquitus suppositi obscuritate maxima, ob quam aliquando percipi nequirent, minime obsidebantur. Hinc S. Serapion Antiochenus Episcopus supra memoratus significavit, se in prædicto pseudo-Evangelio, quod Petri nomen falso præferebat, εὑρεῖν *invenisse nonnulla discrepantia a rectæ Fidei ratione:* hæc igitur errata a relatis Docetis Heterodoxis ante quatuordecim sæculorum tempus illi notho operi aspersa, densissimis caliginibus, ob quas nec interdum quidem intelligi possent, neutiquam involvebantur; alioquin Serapion ipsa in eo haud comperisset; quod ejus testificationi contrarium est; quocirca Eusebius patentes errores, sicuti vicimus, notavit in eodem pseudo-Evangelio: a quo distinguendum est celebratum S. Marci Evangelium; quod & hujus opus esse, & ad S. Petrum quodammodo referri Hieronymus laudato in catalogo ideo docuit, quia Marcus hoc ex illis exaravit, quæ a S. Petro *magistro suo*, quemadmodum ex ipso Hieronymo retulimus, *audierat*; in eoque Sacro volumine *gestorum Fidem*, cujus vi errantia impostorum Hæreticorum commenta in eodem haudquaquam exstare vincitur, scripserat: quare Marci Evangelium enucleato auditionis modo ad S. Petrum, qui suprema auctoritate sua hoc ipsum quoque firmavit, refertur, & ab illo pseudo-Evangelio penitus discrepat: atque etiam cum adductis Apocryphis *duæ Petri* Apostoli *Epistolæ*, ab Hieronymo hic tractatæ, minime confunduntur, quod istæ ut *Catholicæ* laudentur, illa ejiciantur: ex quorum colluvie, ut brevi dicam, falso, & absone deduceretur, easdem *duas Epistolas* a quibuscumque Apocryphorum effectoribus verisimiliter subditas esse; ac nos, dum in hisce *Apostolorum Principem* agnoscimus, & legimus, quibusvis cum impostoribus non raro contendere; atque in iisdem eos personatos abscondi: propterea quod, Hieronymo teste, a quo illa Apocrypha convelluntur, ipse *Petrus*, atque adeo nullus impostor, has *duas scripsit Epistolas*. Ex quo consequitur, ut metuendum non sit, ne ex ipsis Litteris Sacris illorum impostorum commenta tanquam ab ipso Petro Apostolo enuntiata eliciantur: siquidem quicumque veteratores aut fictiones, aut errata in commendatis Epistolis huc illuc posuisse censendi non sunt; etenim, quoniam illa Nebulonum Apocrypha *repudiantur*, vel ob suppositionem, vel ob falsitatem, vel ob aberrationes in illis contentas; sane iis omnibus eædem Sacræ *duæ Epistolæ* vacant; quia *Catholicæ nominantur*, atque ita Catholicam Doctrinam undique continere, & ab Apocryphis illis palam noxiis distingui creduntur. Quapropter adlegato in Catalogo Hieronymus de S. Petro, ejusque Epistolis ista pertexuit: (a) *Simon Petrus*, *Filius Joannis*, *Provinciæ Galilææ*, *e vico Bethsaida*, *Frater Andreæ*

(a) S. Hieron. in Catal. Vir. ill. Tom. II.

dreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur.... sed & Evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus, & interpres fuit, hujus esse dicitur. Libri autem, e quibus unus Actorum ejus inscribitur, alius Evangelii, tertius Prædicationis, quartus Apocalypseos, quintus judicii, inter Apocryphas Scripturas repudiantur.

Ex hocce S. Hieronymi testimonio non obscure apparet, cum priorem S. Petri Epistolam, de qua nullus pervetustus Ecclesiæ scriptor dubitavit, ab eo scriptam fuisse; tum posteriorem communiori quidem veterum consensu, quem actutum ponemus, receptam, sed a nonnullis, antequam Innocentius I. Pontifex Maximus Divinarum Scripturarum Canonem deinceps proferendum sua auctoritate firmaret, in dubium injuria vocatam: tum illas ejusdem Apostolorum Principis fœtus esse, & inter sacras Novi fœderis litteras numerari. Sane posteriorem epistolam ipsi Petro Firmilianus Cæsaræ Episcopus, S. Athanasius, S. Hilarius, S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, ipse Hieronymus, duo Concilia Provincialia, Laodicenum, & Carthaginense tertium, Innocentius I. Pontifex Maximus, ac S. Augustinus, qui omnes majorem Veterum partem constituunt, diserte adscripserunt. Tum vero Hieronymus in illo Catalogo dicens, quod S. Petrus posteriorem Epistolam *scripsit*, id opponit iis, de quibus inibi ait, quod *secunda* Epistola *ejus esse negatur a plerisque*, sive a pluribus, πλείω; sicut priscus ejusdem Catalogi interpres græcus vertit, atque adeo *plures* suo in codice latino legit, & ita legendum prædocuit. Hinc S. Doctor innuit, inter utramque Epistolam intercedere modicam styli *dissonantiam*, quam ex eo, quia Petrus (*a*) *diversis interpretibus usus* fuerat, alibi profert. Parvum etiam styli discrimen in utraque Epistola Critici agnoscunt: quoniam reapse posterior priori in dicendi genere multum similis est: quapropter plures illi a Hieronymo notati ob eam modicam styli discrepantiam a *diversis interpretibus*, non a diverso authore, profectam inconsulto *negabant*, Petri Apostoli esse posteriorem Epistolam. Unde propter adlegatorum Patrum consensum, propter illa Concilia, ac propter Concilii Florentini, & Tridentini statuta, eandem Epistolam Sacram esse, hæresi negaretur. Ille igitur duæ Epistolæ Apostolorum Principis partus sunt, *Catholicæ nominantur*, & a supposititiis operibus secernuntur.

Rursus Hieronymus dum eodem in catalogo Divinas, certasque Novi Testamenti Scripturas recenset; dumque inter dubia *Apocrypha* Epistolam, quæ sub Barnabæ Apostoli nomine circumfertur, enumerat: profecto hanc cum illis haud confusam proponit: quam quidem a Barnaba *compositam* ait, sed id certum non dicit; ipsamque ad *Apocripha amandat*, & a certis Novi Testamenti scripturis distinguit. Cum autem in ea errores haud reperiantur, sane ipsa ab Hæreticis ficta non est; ejusque verba tanquam ab illo Apostolo pronuntiata certo accipi nequeunt, quod Hieronymus eandem a veris Apostolicis

(a) S. Hier. Epist. cxx. ad Hedib. quæst. xi.

licis scripturis segreget, ac sic dubiam faciat Barnabæ prolem.

Adtexam adlegatis Testimoniis celeberrimum Pontificem S. Innocentium I. anno 401. ad supremi Pontificatus dignitatem evectum; ac propterea commendato S. Amphilochio admodum supparem: a quo Romano Pontifice quum Exsuperius Episcopus Tolosanus inter alia quæsivisset, quinam libri in sacrarum Scripturarum Canone reciperentur: ipse Innocentius epistola ad eum missa respondit enumerando certos Veteris, Novique Testamenti libros: e quorum Canone & Apocrypha, quæ sub nominibus *Matthiæ*, *Jacobi minoris*, *Petri*, *Joannis*, ac *Thomæ* quidam *Leucius* Manichæus conscripserat, & ea, quæ sub nomine *Andreæ Nexocharides*, & *Leonida* philosophi invexerant, & *si qua forent alia*, utique ab aliis veteratoribus errantibus ficta, celebratus Pontifex Summus ita exclusit; ut isthæc *non solum repudianda*, verum etiam *damnanda* rescripserit. Istorum igitur nothorum voluminum figmenta, & antiqui errores Fidei oppositi, quos aliqui impostores aut propemodum ante quatuordecim sæcula, aut paulo secus effinxere, nulla obscuritate implicabantur; quippe nonnisi errata ex obvio sensu nota, & liquido pestifera repudiari poterant, atque damnari. Eademque spuria conscripta, & quæcumque *alia* ejusdemmodi furfuris, quorum inanitatem expeditius proculcandam Dallæus exoptat, ex Innocentii Canone ea exturbante facilius explodimus. Hinc proclive est colligere, sanctas veteris, Novique Testamenti Scripturas, quæ ut a Spiritu Sancto dictatæ nunc in Ecclesia orthodoxa leguntur, compluribus veteratorum dolis, quibus multa supposititia opera effinxerunt, nequaquam obstantibus, vere, certoque Canonicas esse, non verisimiliter subditas; nosque, dum in iis sacros auctores perlegere credimus, non cum impostoribus negotium sæpius habere; nec in ipsis Divinis litteris eos Apocryphorum effectores sub amici larvis delitescere; neque censendum esse, venenata, atque errantia ipsorum Impostorum neutiquam hebetum principia, & commenta passim latere; neque id, quod Dallæus argutatur, ac futiliter pavet, timendum: nam ea apocrypha ob apertos errores in ipsis exstantes manifesto exitiosa, atque ab omnibus Sacris Scripturis aliena, *damnantur*. Ii ergo errores nullo modo in Divinis litteris sunt; quia ex adverso istæ *in Canone recipiuntur*, sicuti Innocentius I. edocuit, memorato Episcopo responsum hoc reddens: (a) *Qui vero libri recipiantur in Canone, brevis annexus ostendit: hæc sunt, quæ desiderata moneri voce voluisti: Moysis libri quinque, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: necnon & Jesu Nave, Judicum unus, Regnorum libri quatuor, simul & Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum Job liber unus, Judith unus, Tobiæ liber unus, Hester unus, Judith unus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon libri duo. Item novi Testamenti: Evangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, Epistolæ Joannis tres, Epistolæ Petri duæ, Epistola Judæ*, Epi-

(a) *Innoc. I. ep. VI. ad Exsup. Tolos. tom. I. Epist. Rom. Pontif. novis. Paris. Edit.*

Epistola Jacobi, *Actus Apostolorum*, *Apocalypsis Joannis*. *Cætera autem*, *quæ vel sub nomine Matthiæ*, *sive Jacobi minoris*, *vel sub nomine Petri*, *& Joannis*, *quæ a quodam Leucio scripta sunt*, *vel sub nomine Andreæ*, *quæ a Nexocaride*, *& Leonida Philosophis*, *vel sub nomine Thomæ*, *& si qua sunt alia*, *non solum repudianda*, *verum etiam noveris esse damnanda*.

Denique percurramus Synodum Nicenam II. rursus a Dallæo haud recte objectam: quæ actione III. contra relatos Iconomachos, qui etiam Sacras imagines e Basilicis ablegandas esse, errando, effutierant, ostendit ex Exodi capite XXV. in quo Cherubim positi super *Arcam Testimonii* referuntur, exque sacræ S. Pauli Apostoli Epistolæ ad Hebræos capite IX. ubi ab eo *Cherubim* (*a*) illi celebrantur, easdem imagines in Templis probe, ac religiose collocari: quod ipsum actione IV. etiam probavit Patrum sententiis: quibus isti Divina SS. Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis Evangelia, & sanctas ejusdem Pauli Epistolas, aliasque Divinas Scripturas suppostitiis voluminibus inconfusas attingunt. Deinceps Actione VI. Epiphanius Diaconus Catanensis ut quædam conscripta, quæ sub nomine S. Epiphanii Salaminæ in Cypro Insula Episcopi illi Heterodoxi, quemadmodum postea fusius declarabimus, simulate invexerant, & ex quibus illum errorem suum adstruere inaniter conabantur, huic sancto appicta esse, & rejici debere edisfereret: adhibuit similitudinem pseudo-Evangelii secundum Thomam a Manichæis assuti, atque evidentibus erratis, sicut ante ex Eusebio dictum est, oppleti, & a sanctis quatuor Evangeliis abjuncti; quod *Catholica Ecclesia tanquam alienum avertit*, sicut idem Diaconus ait; qui etiam usus est parilitate fictæ Epistolæ Pauli (*b*) ad Laodicenses, quam ut ab ipso Paulo *alienam*, quemadmodum memoratus Diaconus, cujus contextum suo loco exhibebimus, adstituit, *Patres nostri reprobaverunt*: ob quod documentum asserendi sunt Patres, qui illam repudiarunt, ac secreverunt a genuina, & integra Pauli Apostoli, de cujus cæteris litteris postea dicam, Epistola ad Ephesios: ex qua Hæresiarcha Marcion aliqua sumens, ejus titulum suo in scripto mutavit: ipsam ad Laodicenos missam effinxit: pluribus recisionibus, ac subductionibus errantibus prave corrupit: & ita ficta inscriptione, ac depravatione eam adulterinam, & a priori germana, cujus sincera Archetypa Patribus non defuere, diversam effecit. Quod evincitur ex Tertulliani libro V. adversus eundem Marcionem: qui voluit, duos esse Deos, malum unum, hujus mundi aspectabilis conditorem, a lege Moysi data, & a Prophetis nuntiatum; alterum bonum, Patrem Christi; huncque ad destruendam legem, ac Prophetas missum fuisse; & ab hocce non veram carnem humanam, sed apparentem, assumptam: quas errationes medio secundo sæculo inscite, & impie affirmavit; ad hasque Hæreticas blasphemias invehendas inter alia fictam illam Epistolam attulit: contra quod commentum

(*a*) *V.* 5.

(*b*) De ficta Epistola ad Laodicenos differtur.

tum Tertullianus eodem ævo, ac tertii quoque sæculi initiis notus hæc scripsit; (a) *Ecclesiæ quidem veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestit, quasi & in isto diligentissimus explorator. Nihil autem de titulis interest, quum ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam: certe tamen Deum prædicans in Christo.... meminerat Apostolus ita prædicatum de nationum vocatione ex longinquo vocandarum*, qui longe erant a me, appropinquaverunt justitiæ meæ: *tam enim justitia, quam & pax Creatoris in Christo annuntiabatur, ut sæpe jam ostendimus. Itaque* ipse est, *inquit*, pax nostra, qui fecit duo unum, (b) *judaicum scilicet populum, & gentilem*; quod prope, & quod longe, soluto medio pariete inimicitiæ in carne sua: *Sed Marcion abstulit* sua; *ut inimicitiæ daret carnem, quasi carnali vitio, non Christo æmulæ. Sicubi alibi dixi, & hic... Pontifice, cujus supra sanguinem confessus es, hic negas Carnem*... in unum novum hominem faciens pacem. *Si vere novum, vere & hominem, non phantasma. Novum autem, & nove natum ex Virgine, Dei Spiritu, ut reconciliet ambos Deo, quem utrumque genus offenderat, & Judaicum & Gentile*. In uno corpore, *inquit*, cum interfecisset inimicitiam in eo per Crucem. (c) *Ita & hic Caro corpus in Christo, quod Crucem pati potuit*. Hoc itaque annuntiante pacem iis, qui prope, & iis, qui longe, *accessum consecuti sumus ad Patrem*; jam non sumus peregrini; nec advenæ, sed concives sanctorum, sed domestici Dei; *utique ejus, a quo supra ostendimus alienos fuisse nos, & longe constitutos*. Superædificati super fundamentum Apostolorum: *abstulit Hæreticus*, & Prophetarum, *oblitus, Dominum posuisse in Ecclesia sicut Apostolos, ita & Prophetas: timuit scilicet, ne & super veterum Prophetarum fundamenta ædificatio nostra constaret in Christo; quum ipse Apostolus ubique nos de Prophetis extruere non cesset... De manibus Hæretici præcidentis non miror, si syllabas subtrahit, quum paginas totas plerumque subducat*. (d) Datam, *inquit*, sibi *Apostolus* gratiam novissimo omnium illuminandi omnes: quæ sit Dispensatio Sacramenti occulti ab ævis in Deo, qui omnia condidit. *Rapuit Hæreticus* in *præpositionem, & ita legi fecit*, occulti ab ævis Deo, qui omnia condidit. *Sed emicat Falsum: infert enim Apostolus*, ut nota fiat Principatibus, & Potestatibus in Supercælestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei. *Cujus dicit Principatibus, & Potestatibus? Si Creatoris, quale est, ut Principatibus, & Potestatibus ejus ostendi voluerit Deus ille Sapientiam suam; ipsi autem non? quando nec Potestates sine suo Principe potuissent quid cognoscere; aut si ideo Deum non nominavit hic, quasi in illis & Princeps ipse reputetur; ergo & occultatum Sacramentum Principatibus, & Potestatibus ejus, qui omnia condidit, pronuntiasset: proinde in illis deputans ipsum. Quod si illis dicit occultatum, illi debebat dixisse manifestum. Ergo non Deo erat occultatum, sed in Deo omnium conditore: occultum autem Principatibus, & Potestatibus ejus*. Quis

X 2 enim

(a) *Tertull. lib. v. adv. Marc. cap* XVII.
(b) *ad Eph. c. 2. v. 14.*

(c) *Inibi v. 16. & seq.*
(d) *Ib. cap. III. v. 8. & seq.*

enim cognovit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus *fuit? Hic captus* Hæreticus fortaſſe mutavit, *ut dicat*, Deum ſuum ſuis Poteſtatibus, & Principatibus notam facere voluiſſe diſpenſationem ſui Sacramenti, *quam ignoraſſet Deus conditor omnium*, & *quo competebat prætendere ignorantiam Creatoris extranei...*, *quum Domeſtici quoque ſuperioris Dei neſciſſent? tamen & Creatori notum erat futurum. Annon utique notum, quod ſub Cœlo in terra ejus habebat revelari? Ergo ex hoc confirmatur, quod ſupra ſtruximus. Si enim Creator cogniturus erat quandoque occultum illud Dei ſuperioris Sacramentum*, & *ita ſcriptum habebat*, occulti Deo, qui omnia condidit; *ſic inferre debuerat*, ut nota fiat illis multifaria Sapientia Dei; tum & Poteſtatibus, & Principatibus cujuſcumque Dei; *cum quibus ſciturus erat Creator. Adeo ſubtractum conſtat, quod & ſic veritati ſuæ ſalvum eſt*. Ex iſto textu colligitur, legitimam, integram, & Sacram S. Pauli Apoſtoli Epiſtolam ad Epheſios hac Epigraphe, *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi*, & *fidelibus in Chriſto Jeſu*, primitus ſcriptam fuiſſe; quæ ab adulterina ad Laodicenos Epiſtola, cujus & titulum Marcion ſuppoſuit, & ſubſtantiam apertis hæreſibus corrupit, diſtinguitur: quod ut commonſtretur, priorem Epiſtolam Epheſiis inſcriptam eſſe probandum eſt. Certe ex Tertulliano liquet, *Eccleſiæ veritate iſtam ad Epheſios emiſſam*: Id ergo ut verum Eccleſia Tertulliani ætate, ac Tertullianus ipſe crediderunt; eundemque titulum, quem Romæ Apoſtolus græce exaraverat, ipſius Epiſtolæ. autographum prætulit, quum ille ſcriptor græcæ Linguæ haud ignarus, ſecundo ſæculo vivens, eidemque Apoſtolo, qui primo ſæculo florebat, ſuppar, illa docuerit. Abeant igitur quidam opinantes, a Paulo *Epheſi* nomen, quoniam ſecundum Tertullianum *de Titulis nihil intereſt*, prætermiſſum; ideoque eam Epiſtolam ſacram fuiſſe Encyclicam, hoc eſt, ad omnes orbis fideles, atque inde ad Laodicenos datam; ac Marcionem, quod ipſam ut ad Laodicenſes directam citaret, minime coarguendum. Abeant profecto, qui iſthæc objiciunt. Siquidem Tertullianus eo protulit, *nihil intereſſe de titulis*, quia Pauli Apoſtoli doctrina, quæ eadem in Epiſtola continetur, cujuſque doctrinæ pars ab illo Scriptore poſt ea verba ſtatim adtexitur, pertinuit ad univerſos Chriſtianos: quare implicite, nimirum ratione ejus doctrinæ Apoſtolicæ ad omnes Fideles ſcripta fuit a Paulo: verum expreſſe, & particulatim ad *quoſdam*, nempe ad *Epheſios* proxime a Tertulliano collaudatos, quorum Eccleſia Aſiæ minoris metropolis erat, ac non ita encyclicarum more litterarum ad cunctos Fideles, neque ad Laodicenſem Eccleſiam Phrygiæ Provinciæ metropolim, Apoſtolus habitis particularibus cauſis eam Epiſtolam miſit: quo pacto intereſt, ex Eccleſiæ veritate, quæ ipſam Epiſtolam illo modo inſcriptam ſemper legit, eum titulum ſcire: quam *veritatem* Tertullianus Marcioni neutiquam oppoſuiſſet, ſi Epheſi nomen inibi inſcribere Apoſtolus omiſiſſet. Quocirca idem ſcriptor Marcionem propter illam tituli interpolationem ab iſto effectam elevavit; qui Hæreſiarcha coarguendus erat, propterea quod Paulus eandem Epiſtolam non ad Laodicenos,

ſed

ſed ad Epheſios ſpeciatim conſcripſerat. Quare (*a*) S. Irenæus, & Origenes in Græcia nati, & Tertulliani temporibus viventes; ac SS. Athanaſius, Epiphanius, Gregorius Nyſſenus, atque Joannes Chryſoſtomus, pariter græci, quarto ſæculo illuſtres, eandem germanam Epiſtolam non ut encyclicam, ſed ut ad ipſos *Epheſios* miſſam diſerte laudarunt. At illi recentiores objiciunt, a S. Baſilio magno in libro 2. adverſus Eunomium Heterodoxum velut encyclicam celebratæ Epiſtolæ inſcriptionem ita proferri: *Sanctis qui ſunt, & Fidelibus in Chriſto Jeſu*. Id argumenti quo diſſolvatur, S. Baſilii dicta adducenda ſunt; qui ibidem contra eundem Eunomium, (*b*) a quo Dei Filius *non exiſtens* impie nominabatur, hæc habet: (*c*) *Apoſtolus, qui in Spiritu Dei loquebatur, non exſiſtentes appellat gentes, quod eſſent Dei cognitione privatæ, cum ait*, quæ non ſunt, elegit Deus. *Nam quoniam Deus eſt, qui eſt & veritas, & vita; quicumque Deo, qui* eſt, *conjuncti per fidem non ſunt, ſed per ſuum circa ſimulacra errorem addicti ſunt mendacio non exſiſtenti, jure, opinor, propter veritatis privationem, & a vita alienationem, non exſiſtentes appellati ſunt. Sed & Epheſiis quum ſcriberet, eos per excellentiam nominavit exſiſtentes, tanquam ei*, qui eſt, *vere eſſent per agnitionem conjuncti: quippe ait;* Sanctis, qui ſunt, & Fidelibus in Chriſto Jeſu: *Sic enim & qui ante nos fuere, tradiderunt, & nos ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων in antiquis exemplaribus invenimus. Hic autem ne ea quidem, cujus ſervi Chriſti participes ſunt, appellatione Deum noſtrum voluit cohoneſtare; ſed eum, qui ex nihilo ad eſſe Creaturas produxit, non exſiſtentem appellavit*. Ex quibus apparet, ea ſacræ Epiſtolæ ſcripta, quæ Baſilius adlegavit, non αὐτόγραφα, ſive originalia, ſed ἀντίγραφα, ſive *exemplaria* fuiſſe, & ipſa quidem ab antiquis, qui S. Irenæo, Tertulliano, & Origene poſteriores, Baſilio autem priores extiterunt, tradita haud caruiſſe defectu; quia commendati Antiquiores eam Epiſtolam non ut Encyclicam, ſed ut *ad Epheſios* ſcriptam lectitarunt; idque ex integro Epiſtolarum S. Pauli autographo docuiſſe cenſendi ſunt, utpote eidem Apoſtolo ſuppares. Ipſam etiam particularem inſcriptionem cum aliis quarti ſæculi Patribus Baſilius teſtatus, aliqua illa ſua exemplaria neutiquam abſoluta, quippe quæ particula Epheſi carerent, haud obſcure indigitavit: nam ut plures Creaturas exſtantiæ participes, & ſic exſtantes appellari declararet; utque ex hoc Dei Filium, qui Deus eſt & vita, *a ſe*, ut ajunt, exſiſtentem recte vocari contra Eunomium inferret; ideo generali voce, *qui ſunt*, quæ vox Creaturarum alibi ab Apoſtolo oſtenſarum, & a Deo dependentium exſtantiam monſtrabat, quæque illis in Antigraphis dumtaxat inveniebatur, prius eſt uſus: deinde illam cœpit non de univerſis Creaturis, ſed de Epheſiis tum, quum Apo-

(*a*) S. Iren. lib. v. adv. hær. cap. 19. tom. 1. nov. Ven. edit. Orig. de Orat. tom. 1. nov. Pariſ. edit. S. Athan. Orat. 2. cont. Ar. tom. 1. Pariſ. edit. S. Epiph. in Panar. adv. hær. hær. 42. tom. 1. Petav. edit. S. Greg. Nyſſ. in Cant. Cantic. homil. 8.

(*b*) S. Baſ. lib. 2. adv. Eun. num. 19 tom. 1. noviſſ. Pariſ. edit.

(*c*) 1. Cor. 1. 28.

Apostolus viveret, exstantibus, qui non, uti Dei Filius increatus *a se* exsistit, certe exsistebant, sed ab eo ipso Dei Verbo Creatore exstantiam acceperant, quam ille exposuit hoc modo, *Ephesis quum scriberet, eos nominavit exsistentes*. Quapropter S. Hieronymus commentatio in eandem Epistolam Pauli non modo eum singularem titulum sic legit, ac posuit, (*a*) *Paulus Apostolus Jesu Christi &c. Fidelibus omnibus, qui sunt Ephesi*: verum continuo quoque illam S. Basilii enodationem alteram, qua is generatim de Creaturis exsistentibus loquutus fuerat, tanquam curiosiorem, aut nimium diligentem notavit, & vocem, *qui sunt*, de Ephesiis ita intellexit: *quidam curiosius ... putant, ex eo, quod Moysi dictum est*, hæc dices Filiis Israel, qui est, misit me, *etiam eos, qui Ephesi sunt, Sancti, & Fideles, essentiæ vocabulo nuncupari, ut, quomodo a Sancto Sancti, a Justo Justi, a Sapiente sapientes, ita ab eo*, qui est, *hi*, qui sunt, *appellentur.... alii simpliciter non ad eos*, qui sunt, sed *ad eos*, qui Ephesi Sancti, & Fideles sint, *scriptum arbitrantur*. Ex iis vero adlati censores liquere pertendunt, a S. Hieronymo Ephesi vocabulum, quod in autographo minime reperiebatur, omissum fuisse; quum & ipsius Paulinæ Epistolæ Epigraphen sibi enucleandam proponeret, & quosdam, qui nullum Ecclesiæ particularis, urbisve nomen eidem inscriptioni adnexum ex aliquot exemplaribus proferebant, & vel alios, qui e contrario singularis loci titulum ipsi præfixum esse dictitabant, produceret. Cui difficultati iidem addunt, quod si in proponenda Epigraphe adjiciebatur *Ephesi*, nihil esset eas recitare sententias, ne verbo quidem expostulata ἀντιγράφων varietate, aut silentio; & tamen ambæ quum referuntur, suo quæque argumento indicat, vocem Ephesi in Archetypo desiderari. Quæ oppositiones illico ruunt; etenim si Ephesi vocabulum in vero Paulinæ Epistolæ Archetypo desideraretur: Cur Hieronymus in proponenda istius Epistolæ Epigraphe vocem illam exscripsit? certe si ea in Autographo ejusdem urbis nomen haudquaquam exstare S. Doctor vidisset; nusquam illud ipsum descripsisset: quum vero aperte eam vocem in medium attulerit, ac non, ut opponentes comminiscuntur, omiserit; ex hoc profecto conficitur, eum advertisse, quod ipsa in sincero Paulinæ Epistolæ Archetypo fuerit. Neque vero eo contextu Hieronymus, dum ipsum titulum edissereret, Ephesi nomen præteriit; immo ex opposito illud expressit; atque inculcavit; quandoquidem priorem eorum, a quibus quædam exemplaria idem nomen nequaquam habentia memorabantur, sententiam elevavit; dum eam vocem haud universim de iis, *qui sunt*, quod ea opinio prætendebat; sed speciatim de illis, qui *Ephesi sunt Sancti, & Fideles, essentiæ vocabulo vel ab eo, qui est, nuncupati*, disertis verbis explicuit: qua quidem declaratione innuit, se putasse, illa Antigrapha manca fuisse, nullumque esse prioris sententiæ argumentum; quoniam interpretationi ejus generalis vocis particulare nomen, quod illius Epigraphis enuntiatione præmiserat, nexuit.

(*a*) S. Hier. Comm. in Epist. ad Ephes. Tom. VII.

xuit. Quocirca ipse Sanctus posteriorem sententiam suæ positioni consonam, validam, certamque enucleando, implicite arguit eorumdem exemplarium & silentium, & ab Archetypo diversitatem; propterea quod subjunxit, *Ephesi* vocabulum ab ipso Apostoli *scripto* utique primario *simpliciter*, sive absolute, prænotatum; ac sic istud Autographum absolutum, perfectumve fuisse, & illa exemplaria ob ipsius vocis defectum imperfecta esse, & ab Autographo certe diversa. Quibus de causis ambas sententias apposite recitavit; quia priorem posteriore refellit. Itaque ex Tertulliano, aliisque ex Patribus liquet, germanam, sacramque Epistolam, qua de agimus, a Paulo Apostolo ad *Ephesios* expressim scriptam fuisse, ejusque *titulum* a Marcione per fraudem, & malitiam *interpolatum* esse, atque suppositum; quippe quia *Ephesi* vocabulum ab illa primaria inscriptione furtim abstulit, ipsique Laodiceæ nomen subdole appinxit. Quocirca idem Hæresiarcha ipsam Epistolam istius novi tituli ratione supponens, ejusque *paginas totas*, quemadmodum relatus Tertullianus adtestatur, *subducens*, atque ex ipsius contextu nonnulla *præcidens*, eidem hæreses suas, quibus germana Apostoli ad Ephesios Epistola adversatur, immiscuit; atque ita illam subdititio titulo, errantibusque depravationibus mixtam, ac variis ex partibus resectam, & ab integra Pauli Epistola aliam improbe effecit, ac disseminavit. Et quamquam idem scriptor jam ante textum adductum id pronuntiavit, *præter eo hic & de alia Epistola, quam nos ad Ephesios habemus præscriptam; Hæretici vero ad Laodicenos:* nihilosecius hoc nequaquam significat, utramque Epistolam unam, atque eandem esse: siquidem id intellexit & de illo exposito prioris Epistolæ *titulo*, quem Marcionitæ *hæretici* a Marcione istius corruptore decepti erasum, simulque altero supposito nomine fictum palam venditabant; & de ipsa Epistola, quæ ab ipso Hæresiarcha *plerumque* mutilata, & vitiata fuerat. Unde Tertullianus priorem inviolatam ab altera fallaciter subdita, ac depravata oppido differre monstravit; quod & una *ad Ephesios*, *non ad Laodicenos emissa* fuerit; & altera plures hiatus, plures mutationes, plures defectus, pluresque errores, quibus prior omnino vacabat, manifestius habuerit. Rursum etiamsi Tertullianus subjecerit, *hic captus Hæreticus fortasse mutavit:* attamen hæc ipsum de illa mutatione addubitasse neutiquam ferunt; etenim illud *fortasse* ex priscis latinis, ipsiusque Tertulliani consequentibus idem est ac temere, non dubitationis indicium; quoniam iste subnexuit, *subtractum* illud, quo Marcion Apostoli enuntiatum recidit, ac *mutavit constare:* qua voce adsignificatur, eam temerariam mutationem Tertulliano *constitisse*; & sic certam, non dubiam, fuisse. Hæc autem omnia commonstrant, aliquos minus bene asseverare nondum Marcionis (*a*) ætate Epistolam ad Laodicenses confictam fuisse, & divulgatam: quandoquidem Tertulliano teste Marcion ipse eam ad istos *Missam* confinxit, & subductionibus, errationibus, ac figmentis opplevit; & fraudulenter istorum asse-

(*a*) *Vide* Calm. Comment. in Epist. ad Colloss. tom.

assectarum, qui *Hæretici* ipsam ad eosdem scriptam palam, & false ostentabant, voce publica fecit. Sed ut in illud oratio hæc regrediatur, a quo ista omnis causa oritur: profecto errores eadem in commentitia Epistola positi Tertulliano, qui eos proculcavit, patuere; ac dubio procul omnes in ipsa eas hæreses cernunt, quibus nedum veram carnem Humanam a Deo Verbo assumptam non esse; verum etiam Incarnationis ejusdem Filii Dei *Sacramentum*, sive mysterium *occultum* Deo Creatori, ille Hæresiarcha nequiter adfirmavit; quo ipsi Creatori illius mysterii ignorantiam impie, atque inscite attribueret, Deumque Bonum incarnatum a Deo Creatore diversum hæresi maxima assereret. Errores igitur ab Hæreticis ante quatuordecim sæcula in quolibet scripto adulterino exarati, nulla obscuritate involvebantur. Illa etiam notha Epistola ad Laodicenos non solum cum germana Pauli Epistola ad Ephesios, sed quoque cum cæteris legitimis, Divinisque ejusdem Apostoli Litteris confusa non fuit: quorum enunciatorum prius jam probatum est enucleato discrimine: quo videlicet quum suppositum opus a legitimo, violatum ab integro, adulterinum a germano certissime discrepet: hinc Tertullianus illam subdititiam, & depravatam epistolam cum alia germana haudquaquam confudit: quippe qui illi & verum hujusce titulum, & quosdam integros contextus plane opposuerit. Et vero adulterinam illam Epistolam etsi aliqua hujus verba continentem, tamen errantibus additamentis liquido textam, atque ab hacce, & a reliquis Pauli Epistolis posterius laudatis distinctam S. Epiphanius quarto sæculo celebris denotavit: qui ubi in Panario adversus hæreses Marcionem ipsum plures Deos nefarie adstruentem oppugnavit (a); & objecta, quæ idem Hæresiarcha ex pluribus Pauli Epistolis desumpserat, pepulit; atque *integros*, & *Fide dignos* epistolarum ipsius Apostoli Codices adlegavit; hæcque dicta cum illis, quæ in Epistola ad Ephesios leguntur, consentientia, quæ Marcion ex epistola ad Laodicenos contra se utique adduxerat, retulit; *Unus Dominus*, *una Fides*, *unum baptisma*, *unus Deus*, *& Pater omnium*: extemplo ita loquutus est: συνᾳδὸν τῶς μεν τῇ πρὸς Ἐφεσίους, ὦ Μαρκίων, καὶ ταύτας τὰς μαρτυρίας ἀπὸ τῆς λεγομένης πρὸς λαοδικέας συνηγάγες κατὰ σοῦ μαρτυρίας... ἀλλὰ καὶ ἐπ' ἄλλης περισσῆς πρὸς ἐπὶ τούτοις ἐκ τοῦ τοῦ Ἐυαγγελίου, καὶ τοῦ Αποστόλου. οὐ γὰρ ἔδοξε τῷ ἐλεγνοτάτῳ Μαρκίωνι ἀπὸ τ πρὸς Ἐφεσίους ταύτην τ μαρτυρίαν λέγειν ἀλλὰ τ πρὸς λαοδικέας τῆς μὴ οὔσης ἐν τῷ Ἀποστόλῳ. οἷς μὴ ἐντυγχάνων ἠλίθιως ὁ κηνώδης, καὶ ἐν πολλοῖς πεσῶν.. οὐχ ὁρᾷ τ κατ' αὐτοῦ ἀνατροπὴν καθ' ἑκαστὴν ὁμολογουμένην: *consentiunt*, *o Marcion*, *cum iis*, *quæ in Epistola ad Ephesios leguntur*, *hæc*, *quæ ex epistola ad Laodicenos contra Te Testimonia protulisti .... Sed & aliud insuper additum est extra Evangelium*, *& Apostolum*; *neque enim infælici Marcioni visum est ex epistola ad Ephesios authoritatem afferre*, *sed ex ea ad Laodicenos apud Apostolum nequaquam exstante*: *quæ quum pecus illa vecors minime legerit*, *in multis lapsa non animadvertit*, *in ipsis singulis aperte everti*. Quæ quidem monstrant, epistolam ad Laodicenos, etiamsi

(a) S. Epiph. in Pan. adv. hæres. Hæresi.

etiamsi ea Apostoli verba, quæ in Epistola ad Ephesios existunt, habuerit, nihilominus violatæ inscriptionis causa, ob quam a Marcione uti ad Laodicenses scripta citabatur, suppositam esse. Huic autem *addita* errata *extra Evangelium*, *& Apostolum*, quamvis ante quatuordecim sæcula ab illo Nebulone invecta fuerint: certe erant *aperta*, ac postmodum ab Epiphanio noscebantur, & *evertebantur*, & adulterina ea epistola est; maxime quod in *integris*, & *veris* omnium epistolarum Pauli codicibus, quos antea Epiphanius commemoravit, quibusque germana Apostoli ad Ephesios Epistola ab eodem S. Doctore prius appellata continebatur, *nequaquam extaret*, ac sic ab ista, & a cæteris sinceris, sacrisque Pauli litteris apertissime secerneretur, nullaque esset confusio. Quapropter S. Philastrius Brixiensis Episcopus, Epiphanii tempore illustris, in opere de hæresibus ait, eandem epistolam ad *Laodicenses*, *cui addiderunt quædam non bene sentientes*, cujusque adeo errores intellecti fuere, utique velut notham, & a veris Pauli Epistolis, quæ ante ab ipso memoratæ sunt, diversam in *Ecclesia non legi*. Præterea laudatus Hieronymus posteaquam in catalogo virorum illustrium cunctas Divinas Pauli Epistolas, & præcipue eam, quam Apostolus *ad Ephesios* scripserat, recensuit; statim ab istis adulterinam ad Laodicenos epistolam seclusit: quia ipsam *ab omnibus explodi* utique ob manifesta figmenta denuntiavit his verbis: (*a*) *legunt quidam & ad Laodicenses*, *sed ab omnibus exploditur*.

Differt. II.

Denique Theodoretus quinto sæculo clarus in commentario omnium genuinarum S. Pauli epistolarum interpretatur inter alia hoc Apostoli Colossensibus dictum: (*b*) *quum lecta fuerit apud vos epistola hæc; facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur*, *& ea*, *quæ Laodicensium est*, *vos legatis:* quo ex loco quidam inferebant, ab Apostolo vere ad Laodicenses scriptam epistolam: contra quam oppositionem Theodoretus protulit; eam epistolam πεπλασμένην *fictam*, atque adeo patentibus fictionibus confutam esse; neque Paulum dixisse, illam, quæ est *ad Laodicenses*, *legendam*, sed eam, quæ extra odiceas nimirum *ex Laodicea*, sive, ut latinus interpres vertit, *Laodicensium est*. Qua ex significatione verisimile est, non Apostolum ad Laodicenses, sed hosce illi scripsisse, & id, quum Colossæ vicini essent, accusasse, quod ejus falsi Prædicatores rituum veteris legis observationem vel etiam ipsis Laodicensibus, sicut idem Apostolus innuit, persuadere inani conabantur errore. Hic vero unæ Laodicensium litteræ deperditæ sunt. Adhæc Theodoretus eandem suppositititiam epistolam a legitimis omnibus Pauli epistolis, quas uti tales exponebat, distinctam indigitavit; quandoquidem istas ut veras Apostoli proles, (*c*) illam ut fictam cognovit; aitque: *quidam existimant*, *ipsum etiam scripsisse ad Laodicenses: itaque fictam etiam Epistolam proferunt*. *Divinus autem Apostolus non dixit eam*, *quæ est ad Laodicenses*, sed eam, quæ est ex Laodicea; *illi enim de aliquibus rebus ad eum scripse-*

Y

(*a*) *S. Hier. in Catal. Vir. ill. cap. xv. tom. ıı.*
(*b*) *Ad Col. cap. ıv. v. ı5.*

(*c*) *Theod. Comment. in Epist. Pau.*

pferant: verisimile est autem eos vel ea accusasse, quæ Colossis facta fuerant, vel eodem cum his morbo laborasse, & ideo dixit, hanc quoque epistolam eis esse legendam. Ex his porro omnibus patescit, Synodum Nicœnam II. recte pronuntiasse, *epistolam ad Laodicenos a Patribus reprobatam* fuisse. Hic mitto aliam ad Laodicenses Epistolam recentibus temporibus pervulgatam: in qua neque illi errores a Tertulliano, S. Epiphanio, ac S. Philastrio relati, neque ulli alii conspiciuntur; neque epistolæ Pauli ad Ephesios locus, quem S. Epiphanius in commentitia ad Laodicenos epistola aspexit, legitur; neque adeo isthæc est eadem, atque illa, quæ a vetustis Scriptoribus exhibetur: præterea alterius epistolæ oratio sterilis, jejuna, atque turbata a sublimi S. Pauli Apostoli ingenio, ac stylo, quæ in legitimis istius litteris enitent, maxime abhorret; sicque ipsa ficta est, hisque inconfusa. Quare, iis rebus perspectis, atque obscuritate, & confusione, quas Dallæus ingerit, eliminatis; ad ejusdem, qui septimum generale Concilium repetit, argutationes paucis exagitandas revertar. Sane eadem septima Synodus propter utrumque fictitium, & adulterinum pseudo-Evangelii secundum Thomam, atque Epistolæ ad Laodicenos opus dignovit, sancta Evangelia, ac germanas Pauli Epistolas, quæ modo ut Divinæ Scripturæ orthodoxa in Ecclesia leguntur, haud verisimiliter nothas, sed veras, sincerasque Apostolorum esse proles, & credi; illaque commentitia volumina his Sacris Scripturis non mixta fuisse, at reprobata: itaut non ipsi Concilio, dum in hisce Apostolos earum authores perlegere credebat, cum Heterodoxis vaferrimis, fictoribusve crebro esset negotium; neque in iisdem Divinis monumentis ii Nebulones, eorumque errores, ac fictiones sparsim occultari putandæ essent; nec Sacræ ipsæ Scripturæ aliquando Dallæi timorem, quem abjecimus, facerent; quia commendata Synodus ex vetustis Ecclesiæ Doctoribus attulit has Scripturas ut Sacras, utque ab illis ob nothos errores palam nocuis Hæreticorum figmentis secretas; quæ proinde erroribus, qui in illis continebantur, erantque *extra Evangelium*, extraque integra, & vera Pauli Apostoli conscripta, omnino caruere.

En igitur tot, ac tanti vetusti Critici singulatim nuncupati Apostolicas plures Scripturas permultis apocryphis scriptis, quæ antiqui Hæretici, ut alios fictores dimittam, confinxerant, ac manifestis erroribus infarserant, haud confusas; earumque auctores Apostolos, & nonnulla horum placita, Apocryphorum multitudine neutiquam obsistente, distinctius enarrarunt; ac frequentes illorum impostorum technas facilius arcuere; monstrantes, confusionem, difficultatem, caliginem, verisimilitudinem, & timiditatem, quæ a Dallæo obtruduntur, quequæ elisæ jam sunt, de ipsis Divinis scripturis falsas, atque absonas esse: quæ argutationes similiter crebra eorumdem Nebulonum artificia invehentes non valent de multis legitimis Patrum libris, quorum ii compositores noscuntur, qui nunc sub vero ipsorum nomine lectitantur, quousque a fictitiis operibus, etsi compluribus, veteres distinxerunt.

Nec tamen illud Adversario concesserim, quod prisci Hæretici impudentiori licentia, qua libros fingebant, in Patres, quam in Apostolos, efferbuerint; quoniam propter am-

amplissimam ipsorum Apostolorum celebritatem immani audacia in hos magis, quam in Patres, erupisse videntur: unde laudatus Hieronymus, ut alios Antiquiores permulta hujusmodi volumina Apostolis adficta referentes prætercam, repudiavit complurium Apocryphorum, quæ *enumerare longissimum est*, struem Apostolis Hæreticorum arte suppositam. Sed quamquam Heterodoxi ea impudentia effrænatiori in Patres, quam in Apostolos, proruperint; nihilominus sicut illorum Hæreticorum dolum, quo ii Apostolis scripta subdebant, vetusti Tractatores Ecclesiastici intuiti, & aspernati, secluserunt veras Apostolorum Scripturas a Falsis: ita antiqui Critici libros, qui frequenti Hæreticorum fraude Patribus supponebantur, a veris horum operibus discrevere.

Et quoniam Dallæus, multis commentis prætextis, particulares quosdam libros Patribus subditos, quorum aliqui a genuinis istorum voluminibus secernendi sunt, alii excipiendi, adducit; quo eas falsas consecutiones, quas iterum expungemus, velut universim de multis veris eorum libris educat: ideo nos ex ipsis singulis nothis conscriptis ipsius excogitationes, & consequentias prius singillatim, dehinc fere universim refellamus, oportet.

Hæc igitur refutatio quo magis eluceat; venio ad Patres; in quibus principem locum obtinet S. Clemens I. Pontifex summus; de quo superius mentio facta est; cui Præsuli *Disputationes Petri, & Appionis* antiqui Hæretici supposuerunt: quas tamen & Eusebius, & Hieronymus, quem Dallæus frustra affert, & Photius, quos omnes ante retulimus, a priori germana ejusdem Pontificis epistola, quam is ad Corinthios perscripserat, distinxere; & sic confusionem, quam ille adversarius occentat, nullam exstare inter Disputationes illas, & istam epistolam commonstrarunt; eandemque procul dubio ipsius Clementis genuinum esse opus expedite agnoverunt. Atque etiam Eusebius ante quatuordecim sæcula, ut dixi, clarus, posteaquam in ipsa legitima epistola *Apostolicam doctrinam*, sicque rectos sensus, *contineri*, & ab *omnibus receptam* esse eandem Epistolam, deprehendit, atque nuntiavit: tum in prædictis spuriis Disputationibus, quæ ipsius ævo, atque adeo ante illa sæcula, in *lucem* prodierant, *sinceram rectæ Fidei ab Apostolis traditæ notam nequaquam reperiri* testatus, adsignificavit; errores, qui in iisdem falsis voluminibus exstabant, apertos fuisse, ac non ita intricatissimos, ut ex iis emergere, uti adversarius supponit, aliquando non liceat: etenim vetustus ille Historicus de illis Disputationibus ea, quæ nunc memoravimus, proferre non potuit, nisi vidisset eas ab *Apostolica Fide* liquido aberrare, & ita manifesto pestiferas esse, atque ab ipsa Clementis epistola rectam traditionem complectente multum discrepare. Quam ob causam Hieronymus ex Eusebio disputationes illas (*a*) coarguit; & e contrario istam Epistolam ut *valde utilem* celebravit: denique Photius (*b*) illud Disputationum *opus absurdis nugis*, *ac blasphemiis in Filium Dei refertum* narravit: quod distincte, atque ita

Y 2 per-

(a) *S. Hier. in cit. Catal. Vir. ill. cap. xv.*

(b) *Phot. in cit. Cod. 113. Bibl.*

perſpicue *abſurdas nugas*, atque *blaſphemias*, ac ſic obvium ſenſum errantem iiſdem in Diſputationibus vidit: verum aliter protulit, eam *Epiſtolam magnifaciendam*, & *a pleriſque tanto in pretio habitam*, *ut etiam publice legi ſoleret*. Unde claret, illas Diſputationes patentibus erratis onuſtas a laudata Clementis Epiſtola proclivius diſcerni. Hinc quamvis Heterodoxi illas eidem Pontifici fraudulentius ſubdiderint: ex hoc tamen fallaciter deducitur, veriſimile videri, hanc Epiſtolam, quæ modo ſub vero ejuſdem Præſulis nomine legitur, ab Hæreticis fuiſſe confictam; cumque Hæreticorum quopiam, dum celebrata in Epiſtola Clementem Catholicum legere certo putamus, frequenter nobis rem eſſe, atque inibi illos fidei hoſtes ſub amici perſona lateſcere: quippe quæ illatio falſitatis omnino convincitur; quandoquidem relati ſcriptores Hæreticorum fraudem referentes, ac peſſumdantes; tamen eandem Epiſtolam uti legitimam Clementis prolem ab *Omnibus receptam*, *lectamque* eſſe inculcarunt: proinde iſtam ab Heterodoxis ſuppoſitam fuiſſe, ob illum ipſorum dolum haudquaquam veriſimile, ſed penitus falſum eſt, utpote productis teſtimoniis contrarium. Ex quo infertur, pavendum non eſſe, ne interdum hacce ex Epiſtola illorum veteratorum fictiones ceu a Clemente pronuntiatæ extrahantur: non enim illi, quamvis verſuti, huc illuc eidem Epiſtolæ ſuorum errorum initia, & errores occultius, ac damnoſius aſperſiſſe putandi ſunt; quoniam eadem Epiſtola ab illis Diſputationibus propalam exitioſis alia, Euſebio teſte, *Doctrinam Apoſtolicam*, nullumque adeo illarum Diſceptationum erratum huic doctrinæ oppoſitum, *continet*.

Jam vero quod ad Epiſtolam S. Cyrillo Alexandrino Præſuli a Neſtorianis ſubditam attinet: ſupra ex generali quinto Concilio demonſtratum eſt, eam talem eſſe, ac genuinis S. Cyrilli ſcriptis, & litteris inconfuſam: quam tamen quaſi a Cyrillo editam (*a*) Facundus Hermianenſis Bizacenæ Provinciæ in Africa Epiſcopus fruſtra attulit ad defendenda Theodori Mopſueſteni conſcripta, quæ cum Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, & Theodoreti commentariis adverſus S. Cyrillum abſque Synodi Chalcedonenſis everſione damnari non poſſe falſo ſibi perſuaſerat; ſiquidem iis conſcriptionibus recta iſtius Concilii enuntiata minime congruebant. Quocirca ſicuti ejuſdem Cyrilli (*b*) *opus illud*, *in quo aliqua Diodori Tarſenſis*, *& Theodoreti* dicta culpantur, dubium eſſe ipſius Cyrilli fœtum, & *a quolibet elaboratum* Facundus inconſulto voluit, propterea quia illud eſſe ejuſdem (*c*) S. Doctoris opus ipſa Synodus quinta, Liberatus, ipſiuſque operis ſtylus germanis Cyrilli orationibus omnino ſimilis, probant: ita ille, prætermiſſa diligenti inquiſitione, illius nothæ Epiſtolæ dictis abuſus, eandem eſſe a Cyrillo productam falſo percenſuit, præſertim cum ſexto ſæculo, quo Facundus ſcribebat, memoratum Concilium eam ad examen revocarit, ipſaque ſedulo expenſa, pronuntiarit, illam a Ne-

(*a*) Fac. Herm. pro *trium Capitulorum defenſione lib.* 3. cap. 6. apud Sirm. tom. 2.

(*b*) Fac. ib. lib. 3. Cap. 2.

(*c*) Concil. v. Collat. v. Tom. vi. Concil. Lab. liber. in Breviar. cap. x.

a Nestorianis Theodori Mopsuesteni, qui eorum hæresim præmolitus fuerat, defensoribus *fictam*, & Cyrillo suppositam esse: cujus Epistolæ in locis improba ipsorum Hæreticorum sensa, quibus illius Theodori libros tuebantur, obvia sunt, ac minime tecta: etenim in illa apertis expressionibus eundem Theodorum celebrabant, simulque eos arguebant, & audiendos esse inficiabantur, qui *prava* quædam capitula ejus e libris collecta publice circumferebant, horumque damnationem obtinere studebant; quod eadem in Epistola, quam Synodus quinta exhibet, (*a*) cernitur; ac proinde errantia ejusdem Epistolæ, quam fictores illi vel labente sæculo quinto, vel sexti principiis excogitarant, pronuntiata obscurissima haud sunt, sed manifesta. Quapropter idem quintum Concilium, quemadmodum jam diximus, ostendit, illam subditītiam Epistolam in veris S. Cyrilli *Codicibus* neutiquam exstitisse, sicque ab istis fuisse sejunctam; ac nedum stylo, verum etiam sensu ab iisdem Codicibus, in quibus S. Doctor placita eidem contraria expresserat, oppido discrepasse. Homines igitur illius Theodori insaniam, ac Nestorii perfidiam diligentes, eorumque Hæreticorum artificia, ac *prava Capitula* dubio procul in eadem supposita Epistola, & aperte nefaria perspiciebantur, monstrante eodem Concilio, quod legitima S. Cyrilli scripta, & litteras ab adulterina illa Epistola secretas, rectaque S. Doctoris placita in ipsis expressa proclivius dignovit, eaque censura Nestorianos confudit. Porro autem ex fraudulenta illius Epistolæ confictione, temere colligitur, verisimile esse, complures S. Cyrilli Epistolas, atque scripturas, quæ nunc sub vero ipsius nomine perleguntur, a Nestorianis confictas fuisse, nobisque, dum in multis legitimis Cyrilli scriptis, & litteris ipsum orthodoxum Patrem legere profecto arbitramur, aliquo cum Nestoriano non raro esse negotium; eosque Fidei inimicos in iisdem veris operibus personatos abscondi: hoc namque consequens falsissimum esse, ex eadem quinta Synodo, quam Dallæus adducit, ostenditur. Nam ista sexto sæculo, uti inculcavimus, celebrata, ideoque S. Cyrillo, qui sæculo quinto floruerat, suppar, illam ob fictionem genuinos S. Doctoris *Codices*, qui ipsius libros, ac litteras comprehendebant, inspexit; illique fictitiæ Epistolæ in hisce codicibus neutiquam existenti, atque ab iisdem *verborum*, & *intellectuum compositione* penitus discrepanti plane opposuit; atque ita, Nestorianorum dolis expulsis, haud obscure significavit, ipsos S. Cyrilli codices non ab illis Heterodoxis, quibus passim adversantur, verisimiliter suppositos, sed veros, ac certos Cyrilli esse fœtus. Quare formidandum haud est, ne aliquando ex ipsis genuinis S. Doctoris Voluminibus Nestorianorum commenta velut Cyrilli pronuntiata educantur: siquidem Hæretici illi, etiamsi veteratorii, e longinquo sive latentiori arte, minus obvia, & perniciosiora, germanis Cyrilli Codicibus sua futilia fundamenta, atque hæretica venena sparsim affudisse existimandi non sunt; quoniam ea

(*a*) Ibid.

ea propria S. Doctoris scripta, & litteræ ab Epistola, quam Nestoriani confinxerant, ejusque capitulis aperte pravis secundum laudatum Concilium quintum *alienæ* sunt; pariterque cum legitimis aliorum Patrum & a Cyrillo, & ab hacce Synodo laudatorum conscriptis superius laudatis, & cuicumque suppositorum acervo inconfusis *rectam fidem* præseferunt, illorumque Hæreticorum *blasphemias* identidem *impugnant*.

Dehinc Marcianus Imperator post generalem synodum Chalcedonensem Christianæ æræ anno 451. collectam, cui ipse interfuerat, ad Monachos Alexandrinos litteras dedit, ut eorum aliquos, qui Heterodoxi Eutychetis hæresi adhærescebant, & definitionem ab illo Concilio adversus Nebulonem istum editam minime amplectebantur, ab errore retraheret: qua de causa ipsos eo revincere studuit, quia illa ipsa Synodus, præsertim S. *Athanasii*, *Theophili*, & S. *Cyrilli*, *Alexandrinorum Pontificum*, aliorumque *Patrum* deinceps a Marciano fere universim commemoratorum *doctrinas*, quæ *orthodoxam fidem* contra Eutychetis errorem plane declarabant, sequuta, damnavit ejusdem impostoris *blasphemias*: quem sectati quidam, aliquos Apollinaris Hæresiarchæ, a quo ipsius Eutychetis error præformatus fuerat, *libros*, quibus *vocabula sanctorum Patrum* præfixerant, *non dubitaverunt plebi dispergere, quatenus simplicium mentes sua Falsitate deciperent*: qua enarratione Imperator ille declaravit *Falsitatem* in *titulis*, qui *Apollinaris libris*, ac non adeo recensitorum, cæterorumque Patrum conscriptis, appositi erant, perspectam, & ita caliginibus haud involutam fuisse; ipsorumque Patrum *doctrinas* ex veris eorum operibus haustas: & ista cum Apollinaris libris Eutychianorum erratum redolentibus, sicque manifesto pestiferis, nequaquam confusa; eosque Patres esse voluminum Catholicas traditiones complectentium indubitatos auctores. Quandoquidem Marcianus eas *doctrinas* ut *Patrum* proles, atque adeo e genuinis horum monumentis elicitas protulit; & in Eutychianos, qui Apollinarii libris Sanctorum Veterum nomina appinxerant, & illis ad suam hæresim malitiosius venditandam abusi fuerant, palam addixit. Quocirca ob eas crebras illorum Hæreticorum technas non verisimillimum videtur, at falsissimum est, multa Patrum scripta, quæ impræsentiarum sub veris istorum nominibus perleguntur, ab illis veteratoribus subdita fuisse; nosque, dum in legitimis Patrum voluminibus hos orthodoxos scriptores legere existimamus, cum Apollinaristis, aut cum Eutychianis sæpius confligere, aut in iisdem operibus Heterodoxos illos sub amicorum personis, vel sub fictis inscriptionibus occuli: *falsitas* namque relatis in *titulis*, non in *Patrum* operibus exstans, a Marciano rejecta est: cujus ex crisi colligimus, Apollinaris libros falso Patribus attributos, in aliis legitimis ipsius Hæresiarchæ conscriptis sub ejusdem nomine esse lectitatos; ea autem Patrum monumenta, quæ vere hisce, non Apollinari, non aliis impostoribus, adscribuntur, sub vero Ecclesiasticorum Doctorum nomine lecta. Quo metuendum non est, ne ex veterum scriptis eorum Fictorum falsitates tanquam a Patribus dictæ interdum ducantur: ipsis quippe operibus prædicti Heterodoxi, quam-

quamvis astuti, sua falsa fundamenta, & impietatem latebrosius, atque exitiosius huc illuc aspersisse censendi non sunt; quia in hisce voluminibus, quæ ab Apollinaris libris liquido noxiis longe differunt, inveniuntur *Patrum doctrinæ orthodoxam fidem clare pronuntiantes*, illorumque impostorum errorem perimentes: quas Marcianus sic illa Epistola celebravit: (*a*) *permanere in peccatis, & in eis exerceri, & festinare malo malum accumulare, omnino malignum, & valde vesanum est: quod aliquos Alaxandriam, eique vicina loca habitantes... Monachos passos esse cognovimus. Et credentes non per simplicitatem morum hoc eos pertulisse, Divinis litteris usi sumus declarantibus orthodoxam nostram fidem; & quia Sancta, Catholicaque Synodus, quæ Chalcedone facta est, circa Apostolicam fidem nihil penitus innovavit, sed per omnia Athanasii, & Theophili, & Cyrilli... Alexandrinorum Pontificum sequuta doctrinam; damnavit quidem Eutychetis blasphemiam nihil aliud sapientem, quam Apollinaris impiam doctrinam: abscidit autem & impietatem Nestorii: & venerabile symbolum trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum, qui in Nicæa convenerunt, integrum per omnia custodivit... Credit autem nostra tranquillitas, litteras nostras, necnon & præcepta proposita dudum in Alexandrina magna Civitate sufficere ad persuasionem eorum, qui nescio quomodo adhuc dubitant; eo quod nihil innovatum est a Sancto Catholicoque Concilio, & quatenus nullus de cætero dubitaret; hujus rei gratia relinquatur. Neque enim quemlibet ita simpliciorem credimus, ut legentes tantas doctrinas sic clare pronuntiantes Fidem orthodoxam, hactenus in errore permaneat. Si vero fortasse sint aliqui, quod non credimus, insitam nobis Clementiam non sequentes: volumus iterum eis per has.... litteras nostras certissime satisfieri: quia sanctorum, & venerabilium Patrum Doctrinas sequens, sanctissima, Catholicaque Synodus cuncta disposuit, & Eutychetis quidem peremit impietatem; quem Dioscorus est sequutus, & alii quidam, qui libros Apollinaris non dubitaverunt Plebi dispergere, vocabula sanctorum Patrum eis attitulantes, quatenus ad plenum simplicium mentes sua Falsitate deciperent. Confirmavit autem trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum in Nicæa convenientium venerabile symbolum, nihil nec auferens, nec adjiciens.... hæc igitur & nunc agnoscentes, si qui forsitan estis adhuc Falsitate decepti, ad veritatem recurrere festinate, nefandis vosmetipsos, & Canonibus contrariis collectionibus abstinentes, ne super hoc, quod animas vestras perditis, etiam legali castigationi subdamini. Unite vero vos omnes Sanctissimæ Orthodoxorum Ecclesiæ, quæ una est, sicut & venerabiles definitiones Patrum nos docent.*

De hoc quoque argumento, quo Eutychianorum fictiones deteguntur, & legitima antiquorum Patrum opera nothis inconfusa adstruuntur Lontius Byzantinus, Lauræ S. Sabæ prope Hierosolymam monachus sermonem habuit in libro de sectis Hæreticorum; quem labente sæculo sexto adversus eosdem Eutychianos composuit. Qui Heterodoxi duas in Christo

(*a*) Marc. in Ep. ad Mon. Alex. tom. v. Conc. Lab.

sto naturas, Divinam videlicet & humanam post Incarnationem perverse negabant; namque dumtaxat in eo naturam ex Humanæ, Divinæque velut mixtione effectam per errorem a Chalcedonensi Synodo damnatum inscite asserebant, objiciendo verba quædam fictitia S. Gregorii Neocæsariensis Episcopi, qui tertio sæculo exsplenduit, & Thaumaturgus, sive prodigiorum effector, appellatus est. Ea autem de illo scripto sumebant, cui titulus est, ἡ κατὰ μέρος πίστις, seu *fides per partes exposita*; quam & longiorem Fidei expositionem, aut confessionem Critici vocant, & Thaumaturgo adfictam ajunt, & separant a brevissima Fidei formula, cujus textum idem Gregorius per supernam revelationem, quam e vestigio describemus, accepit, scriptisque mandavit. Enimvero idem Leontius Criticus memorati sui libri actione VIII. longiorem illam expositionem Thaumaturgo suppositam esse præsertim ideo persuadet, Quod S. Gregorius Nyssenus quarto sæculo natus, & Neocæsariensi suppar, in oratione de vita ejusdem B. Gregorii miraculorum opificis, sive in funebri ipsius oratione, haudquaquam ipsam longiorem *Confessionem*, sed *solam Fidem*, seu brevissimam Fidei formulam Neocæsariensis in *visione conspexerat*, memoravit. Siquidem retulit, tunc quum, (*a*) ille circa Christianæ æræ annum 240. Neocæsareæ Episcopus ordinatus esset, extitisse *nonnullos*, qui *piam*, & *sinceram religionis* Christianæ *doctrinam adulterabant*: hinc eum a Deo, ut sibi veritatem revelaret, petiisse: eique B. Virginem, & Joannem Apostolum apparuisse: atque illum *quum oculis ferre apparitionem non posset, eorum, qui sibi apparuerant, inter se se rationem ejus rei, de qua ambigebatur, exponentium sermocinationem audivisse: atque ita exposito sermone, qui & rei quæsitæ conveniret, & admodum bene definitus, & circumscriptus esset, rursus ex oculis discessisse: atque hunc extemplo Divinam institutionem, ac disciplinam litteris mandasse, & secundum illam postea in Ecclesia sermonem prædicasse, ac posteris tanquam patrimonium quoddam & legatum divinitus datam illam doctrinam reliquisse; per quam usque in præsentem diem instituitur illius Civitatis Plebs, quæ ab omni hæretica malitia intacta permansit*. Post quæ Nyssenus eam brevissimam institutionem, non aliam longiorem formulam, quam Eutychiani Leontio objiciebant, integre exscripsit: quo Nysseni silentio posteriorem confessionem Thaumaturgo subditam esse idem Leontius eo vincit; quia si aliam prolixiorem Fidei expositionem a Gregorio Neocæsariensi productam Nyssenus dignovisset; utique ipsam recensuisset; quandoquidem ille de *religionis* Christianæ *doctrina* Thaumaturgo *divinitus data*, & *bene definita*, *per* quam *ab omni Hæretica malitia intacti* illius Civitatis Fideles permanserunt, ratiocinatus est; atqui *solam* eam doctrinam, aut *fidem*, non aliam prolixiorem *confessionem* Nyssenus percensuit. Ergo alia a Thaumaturgo edita haud est. (*b*) Verum Casimirus Ovdinus Lutheranus in commentario de Scriptoribus Eccle-

(a) *S. Greg. Nyss. Orat. de vita B. Greg. mirac. Opis. tom. III. Paris. an. 1638.*

(b) *Casim. Oud. in Comment. de Script. Eccl. tom. I. ad annum 266.*

Ecclefiafticis Leontium falfitatis infimulat, quod is fecundum latinam illius libri græce ab eo exarati, quem ante commemoravimus, traductionem, quam Leunclavius adornavit, hæc inibi ferat, *Gregorius Nyffenus orationem de illo prodigiorum effectore funebrem fcribens*, „ nullum, *ait*, „ opus ipfius in manibus ferri, præter folam fidem, quam in vifione „ confpexerat: „ quæ verba in ea Nyffeni oratione neutiquam exftant; ob quam rem Ovdinus Leontium mentitum fuiffe contendit: qui tamen eo pacto græce, ut mox advertus illam verfionem videbimus, locutus non eft; fed ex Nyffeni narratione illud argumentum dumtaxat elicuit: nimirum non dixit, quod Nyffenus ea pronuntiarit; fed tantummodo protulit, quod *folam* contractam fidei formulam, quam Thaumaturgus in vifione confpexerat, non alteram longiorem, adduxerit: ecce græcum Leontii contextum: (*a*) Τρηγόριος ὁ Νυσσεὺς γράφων ἐπιτάφιον εἰς τὸν Θαυματούργον, λέγει μηδὲν σύγγραμμα φέρεσθε αὐτοῦ εἰ μὴ μόνην τὴν πίστιν, ἣν κατὰ ὀπτασίαν εἶδεν: quæ in latinum fic transferenda funt; *Gregorius Nyffenus de illo prodigiorum effectore orationem funebrem fcribens, nullum recenfet ejus confcriptum exhiberi, nifi folum Fidem, quam in vifione confpexerat:* ubi verbum λέγει *recenfere*, ficut transtuli, fonat fecundum propriam, & antiquiorem acceptionem; quam Homerus Græcorum fcriptorum vetuftiffimus docuit; qui verbum illud non folum pro (*b*) *colligere*, verum etiam pro *recenfere* defumpfit; apud quem nufquam in dicendi notione idem vocabulum invenitur, (*c*) quemadmodum græci grammatici veteres docuerunt. Quare fi apud alios fcriptores Homero pofteriores in Dicendi fignificatione vox eadem reperiatur, certe hic fenfus minus antiquus eft, & quodammodo improprius; quippe quo Homerus ufus non fuerit: unde etiamfi alii pofteriores quibufdam in circumftantiis adhibuerint hanc ultimam ejus verbi fignificationem; tamen pro colligendi, ac recenfendi notione illud crebro fumpferunt; id quod in (*d*) Ifocrate, & Herodiano perlegimus. Quum autem Leontius afferat, *folam Fidem*, feu brevem Fidei formulam, quam Gregorius Neocæfarienfis vere produxerat, a Nyffeno laudari; quod veritate nititur, in illaque hujufce oratione folummodo cernitur: cumque Nyffeni orationi Leontii argumentum apte refpondeat: illico fequitur, ab eo vocem illam non in dicendi, at in recenfendi fenfu, quem adducta ipfius verbi fignificatio repræfentat, plane accipi; atque ita verbum λέγει ab eodem adhibitum, *recenfet*, non *ait*, effe vertendum; & Leontium haud Nyffeni verba referre, ac non adeo mentiri; fed ex Nyffeni recenfione, qua is folam concifam Fidei formulam a Thaumaturgo editam refert, argumentari, alteram prolixiorem expofitionem ab hocce Sancto non fuiffe confcriptam; ideoque uti fubdititiam effe pellendam. Ac tametfi Leontius relatum vocabulum pro dicendi fenfu minus proprio quandoque fumat, verum ex

(a) *Leont. in libro de fect. Heret. act. 8. qui liber græce exaratus exftat in* legatione *Manuelis comneni Imper. ad Armenos edita Bafilex an.* 1578.

(b) *Hom. Il. x. & Odyf. d.*

(c) *Videfis Henr. Steph. thefaurum Ling. Græc. tom. II. verf.* 1179.

(d) *Ifocr. & Herod. apud Henr. Steph.* 16.

ex hoc inferri nequit, ipsum ea acceptione etiam uti in adferenda illa Nysseni narratione; siquidem pariter aliqui Græci Homero posteriores in eadem dicendi significatione idem verbum aliquando usurparunt; & tamen in recensendi notione illud sæpius adhibuerunt: quapropter ex circumstantiis dignoscendum, quam significationem vox illa præseferat: enarratæ autem circumstantiæ ferunt, Leontium contra Eutychianos arguere; ejusque argumentum Nysseni relationi penitus respondere: Leontius igitur in hac argumentatione illam vocem pro recensendi, non pro dicendi, accipit significatu, ut longiorem eam expositionem, sicuti vicimus, Thaumaturgo suppositam adprobet: quam & Ovdinus ipse ad hunc Sanctum *non pertinere* confirmat hacce alia ratione; quia illius auctor, sicut postea videbimus, extitit Apollinarius Nicæni primi Concilii Æcumenici quarto sæculo adversus Arium celebrati quidem propugnator, sed errorum percensendorum artifex, qui se ea Synodo haudquaquam priorem; uti S. Gregorius Neocæsariensis fuit; sed posteriorem ostendit hisce ejusdem longioris formulæ verbis: (a) *Confitemur, consubstantialem esse Patri Filium, & Spiritum Sanctum, & unam substantiam Trinitatis, id est, unam Divinitatem naturaliter, manente Patre Ingenito, Genito autem Filio ex Patre vera generatione, non Factione... & Spiritu Sancto ex substantia Patris per Filium æterne emissum.... Eos vero, qui communicant cum iis, qui rejiciunt* ὁμοούσιον *tanquam alienum a Scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, & ab una Divinitate separant, alienos existimamus, & cum nullo ex istis communionem habemus:* quam alienationem nullus Ecclesiasticus auctor priorum sæculorum Nicænum Concilium præcedentium pronuntiavit. Nam ante hoc quum S. Dionysius Alexandrinus Episcopus, qui tertio sæculo obiit, iis, quæ adversus heterodoxum Sabellium scripserat, commonstrasset, non Patrem Divinum factum esse carnem, sed Verbum; cumque in suspicionem venisset, ab ipso dictum esse Filium Dei creatum, ac non Patri consubstantialem: litteras, quas S. Athanasius Præsul Alexandrinus refert, dedit ad Romæ Episcopum, Dionysium (b) quoque appellatum, quibus se expians ait: *aliam Epistolam scripsi, ubi ostendi, falsam esse, qua illi in me utuntur, criminationem, quasi scilicet qui negassem Christum Deo consubstantialem.* Atque Eusebius in epistola ad suos Cæsarienses, quæ ab isto, postquam Nicænum Concilium absolutum fuisset, eis missa fuerat, de eodem consubstantialis vocabulo id scripsit: (c) *exploratum habemus, veteres quosdam eruditos, & illustres Episcopos, ac Scriptores, cum de Patre, & Filio dissererent, voce consubstantialis usos fuisse.* Qui quidem veteres, & ab Eusebio, & a S. Athanasio laudati eam *vocem* recte acceperunt; sed nullibi profecto eos, qui eandem dictionem tanquam a scripturis alienam improbe *rejicerent*, illud-

(a) *Extat hæc expositio in Tomo. III. BB. PP. & in tomo op. S. Greg. Neoc. edito. Paris. anno* 1622.

(b) *S. Dion. Alex. in Ep. ad Dion. Rom. Episc. cujus fragmentum extat in Epist. S. Ath. de syn. Nic. decr. num. 24. tom. 1. nov. Edit. Paris. PP. BB.*

(c) *Eus. apud. S. Ath. ib.*

illudque aliud erratum mox magis exponendum, & in ea longiori formula exhibitum, adjungerent, *alienos* ab Ecclesiâ protulerunt. Synodus vero Nicæna in Arianos, qui vocem illam ut in divinis litteris *non exstantem* male *reprehendebant*, ac Filium Dei *Creatum* impie affirmabant, primitus anathema dixit; ficuti (*a*) S. Athanasius in Epistola de Synodi Nicænæ decretis significavit: ubi causas, quas ea Synodus, ut præcipue Consubstantialis voce uteretur, habuerat, sic retulit; *cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum; nec solum similis ille sit substantiæ Patris, sed dividi ab ea non queat: quum item* unum ipse, & Pater sint, ut idem dixit.., *idcirco Synodus ea re perspecta, eum esse* (b) *Consubstantialem recte scripsit; ut & Hæreticorum perversitatem everteret, & Verbum aliud a factis rebus recte ostenderet. Hinc illa voce scripta statim Patres subjungunt:* his vero, qui dicunt Filium Dei ex nihilo, sive ex non extantibus esse, vel creatum, vel mutabilem, vel factum, vel ex alia substantia, anathema dicit Sancta & Catholica Ecclesia.... *hæc igitur causa fuit, cur hujusmodi voces fuerint institutæ. Quod si rursus murmurent, quod illæ in Scripturis non extant, hoc ipso, tanquam futiles sunt rejiciendi*. Quare cum illa prolixior Confessio eos, qui *rejiciunt ὁμοούσιον tanquam alienum a Scripturis*, id quod Ariani nequiter prætexebant, & simul illos, qui *dicunt aliquid* ex *Trinitate creatum* esse, quod de Filio Dei iidem Hæretici impie proferebant, uti *alienos a Communione* Ecclesiæ aversetur, & pellat: profecto eadem expositio non, ut Gerardus Vossius opinatur, a S. Gregorio Neocæsariensi, qui Christianæ æræ anno 265. e vita migravit, sed ab alio post Nicænum Concilium, quod anno 325. Arianos Diris devovit, vivente composita est. Quin etiam post Æcumenicam Synodum Constantinopolitanam I. anno 381. coactam, postque damnatam ab ea Macedonii, qui Spiritum Sanctum esse Deum inficiabatur, hæresim, illa prolixior confessio est concinnata, sicuti ex istis ipsius verbis apparet, *Et vero qui vel Filium, vel Spiritum Sanctum Creaturam dicunt, anathematizamus*. Non igitur ea longior expositio a Thaumaturgo producta, sed post Synodum istam efficta fuit. Quam quidem expositionem ab juniore Apollinario Laodiceno, cui Pater suum nomen indidit, quique Catholicus primo visus, & post in hæreses prolapsus anno 382. periit, effectam censemus; quum & ipse Hæresiarcha ei nonnullos suos errores mox afferendos adjunxerit, & illa eidem ab antiquo Scriptore Ecclesiastico deinceps nuncupando adscribatur. Nam mitto, quod quidem initio hominem sine anima utique rationali a Deo Verbo assumptum

 ille

(a) *S. Athan. loc. cit. num.* 20. & 21.

(b) Dictio consubstantialis id unum in Dei Filio significat, unam, & eandem substantiam illius esse, atque Patris, etsi persona alia sit utriusque. Et quamvis totidem syllabis illa vox in Scripturis haud compareat; tamen ejus vis in iis, quæ Filium Dei *Deum* & *unigenitum*, ac sic non extrinsecus factum, sed *ex utero*, hoc est, ex ipsa Patris substantia æterno genitum, & cum eo *unum* esse docent, reperitur. Unde ea dictio a Scripturis aliena non est, & ab Arianis improbe reprehendebatur: ad quorum hæresim proterendam a Nicænis Patribus apposite Fidei symbolo addita est.

ille effutiebat; verum dehinc eum errorem, uti (*a*) Socrates testificatur, subdole emendando asseruit animam in Christo, sed mente carentem, hujusque vicem a Deo Verbo suppletam. Hinc denuntiante S. Basilio magno S. Damasus Pontifex Summus Apollinarem, ejusque sectatorem Timotheum Episcopatu, atque Ecclesiæ communione in Concilio circa annum 378. Romæ celebrato abdicavit; quem annum S. Basilii litteræ anno 377. ad Occidentales Episcopos scriptæ probant; quippe quibus Apollinaris damnationem petebat. Non ergo ante hunc annum, vel isto anno Apollinaris ipse mulctatus fuerat: ac proinde anno insequenti damnatus est: quam damnationem postea Damasus ipse litteris ad Orientales Præsules missis, quas (*b*) Theodoretus adlegat, significavit. Itaque postmodum Apollinaris ex Ecclesia rejectus etiam effutiit, duas Christi naturas, Divinam, & Humanam, in unam naturam coaluisse; atque ipsius corpus non ex Maria Virgine sumptum, sed e Cœlo delapsum, & ita non humanum, nec verum, sed apparens fuisse: quas alias hæreses ab illo invectas esse, S. Gregorius Nanzianzenus ei coætaneus edocuit. Hic enim in laudata Synodo Constantinopolitana Constantinopolis Episcopus renuntiatus; ea tamen dignitate dimissa, Nanzianzum regressus, ad Nectarium, qui post ipsum ejusdem urbis Præsul statutus erat, Epistolam scripsit, ut istum ad Hæreticorum, & particulatim Apollinaristarum conventicula, quæ ibi agebant, inhibenda moveret: quade causa ait: *quod autem ex omnibus Ecclesiasticis calamitatibus* (c) *acerbissimum Apollinaristarum licentia est, quos haud scio quonam modo pietas tua Conventuum, æque ac nos, habendorum auctoritatem sibi arrogasse, atque usurpasse passa fuerit. Quanquam autem omnino Dei beneficio mysteriis divinis instructus, & eruditus, non modo rectæ doctrinæ patrocinium nosti, verum ea etiam omnia, quæ adversus sanam, & Orthodoxam fidem ab Hæreticis excogitata sunt. Honorificentiam tamen tuam a tenuitate nostra certiorem fieri haudquaquam intempestivum fuerit, mihi in manibus esse libellum Apollinaris, in quo ea, quæ adstruuntur, hæreticam omnem pravitatem excedunt. Affirmat enim, nequaquam adventitiam esse carnem illam ..... ab unigenito Filio assumptam; verumtamen illam naturam in Filio jam inde a principio esse; atque Evangelicum quoddam dictum perperam acceptum ad hujusmodi absurditatis testimonium prætendit: quod ita habet;* nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo Filius hominis: *tanquam prius etiam, quam ipse descendisset, Filius hominis esset, & descendens carnem suam secum advexerit, quam in Cœlis habebat, ante sæcularem quandam videlicet, essentiæque suæ insitam. Deinde hominem illum cælitus venientem mente minime præditum esse asserit; verum Unigeniti Deitatem mentis naturam supplentem, tertiam humanæ coagmentationis, & conjunctionis partem extitisse:*

(a) *Soc. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 46.*
(b) *Theod. lib. v. Hist. Eccl. cap.*
(c) S. Greg. Nanz. Epistola ad Nect. quæ quum sit brevis, minus bene inter Orationes Quadragesima sexta a Billio collocatur tom. 1. operum illius.

tisse: quod nimirum anima, & corpus juxta humanitatem in eo sint, mens autem minime; verum ejus locum Verbi Divinitas suppleat. Praeterea Theodoretus, inclinante saeculo quarto ortus, illique Haeresiarchae fere coaetaneus, in libri v. Historiae Ecclesiasticae Capite III. novitatem doctrinae Apollinaris exponit his verbis: *Apollinaris Laodicenus Dispensationis mysterium imperfectum ausus est affirmare... multa quoque alia errore ductus asseruit. Interdum enim Christum ex Sancta Virgine carnem sumpsisse assentiebatur; interdum vero ajebat, illam una cum Deo Verbo e Caelo delapsam esse; nonnunquam vero Verbum carnem factum esse, sed nihil ex nobis assumpsisse.* Adhaec ipse scriptor in Praefatione trium Dialogorum, ubi Eranistes Polymorphus, sive Eutychianus plurium haereseon sectator, atque ex adverso orthodoxus inter se colloquentes fiunt, illique Apollinaris partes identidem demandantur, de Eutychianis ista conscribit: (*a*) *a multis impiis hominibus infausta sua dogmata emendicantes, varium hoc, & multiforme commentum proferunt, quod enim ex Virgine nativitatem profitentur quidem, sed eam Traiectitiam dicunt fuisse, nec Deum Verbum quicquam ex Virgine sumpsisse: ex Valentini, & Bardesanis prodigiosis dictis hauserunt. Quod autem Christi Domini Divinitatem, & Humanitatem Unam naturam vocant, ex Apollinaris nugis furati sunt.* Et quamvis Theodoretus orthodoxi personam sustinens in fine Dialogi I. producat quoddam Apollinaris dictum ex hujusce *libro compendiario* excerptum, quo dicto *Dei Verbum in carnem non fuisse conversum* affirmabat: nihilominus in Dialogi II. initiis enarrat, Eranisten ea voce commotum dixisse; *me... non parum permovit Apollinarius eadem docens cum orthodoxis; tametsi in libris de Incarnatione contraria via incedat.* Hisce idem auctor in libri IV. Haereticarum Fabularum capite IX. addit, quod & Apollinaristae eas errationes ex Apollinarii *scriptis* hauserint, & Hic primam ob haeresim ab (*b*) *Ecclesiae corpore resecatus* ipsas *diversas nugas* pepererit; quas ille sic refert: *Polemius quidam ex Hujus scriptis ansam nactus, & substantiarum confusionem factam esse dixit, & commixtionem Divinitatis, & corporis. Inde Polemianorum haeresis nata est, & alii quidam ex caetu Apollinaris corpus Dominicum de Caelis descendisse dixerunt; & quum diversa in ejus scriptis dogmata ostenderent: hoc istis, alia aliis placuerunt. Quomodo autem Hic ab Ecclesiae corpore resecatus diversas dogmatum nugas pepererit, supervacaneum dicere existimavi.* Porro Nazianzenus post primam Synodum Constantinopolitanam Aecumenicam, atque ita postea quam Apollinarius ab universae *Ecclesiae corpore* avulsus fuerat, declaravit, illos alios errores in Apollinaris libello repertos fuisse: in quo non, ut aliqui comminiscuntur, id, quod prius haeresi asseverabat, posuit, nempe Christum anima caruisse; at, quod posterius callide admiserat, scripsit, nimirum *animam in eo esse; minime autem mentem humanam.* Qui error quum Apollinaris

(*a*) *Theod. Praefat. trium Dial. tom.* IV. *nov. Paris. Edit.*

(*b*) *Ib. tom.* IV.

ris propius fuerit, sequitur, eum libellum ejusdem Hæresiarchæ notis constare, ac cæteros errores in ipso contentos illius partus fuisse; idque Theodoretus multis confirmat. Sed enim ab ipso impostore alia errata producta non esse, (a) Samuel Basnagius pertendit, atque reponit, adlatum libellum Apollinaristæ potius, quam Apollinaris esse, ideoque ei suppositum: quod S. Epiphanius hæresi 77. non ipsi Hæresiarchæ, sed ejus sectatoribus illas alias hæreses imputat, ac Vitalem, qui ne ad latum quidem unguem ab Apollinario recedebat, contraria eisdem erratis exaggerantem adducit: quodque Appollinaris ipse (b) Epistola prima ad Dionysium asserit, *neque carnem Salvatoris e Cœlo esse, neque ejusdem substantiæ esse cum Deo:* immo (c) *anathema* illi *pronuntiat, qui non dicit carnem ex Maria, & qui dicit eam carnem, esse naturæ non creatæ, & ὁμοούσιον Deo*. Quocirca Epistola ad Serapionem S. Athanasii Alexandrini Episcopi epistolam ad Epictetum, qua illos errores confutarat, amplectitur. Quarum responsionum prior eo exagitatur, quia alicujus liber ab auctoribus coætaneis, aut supparibus adlegatus, legitimus est; secus Criticæ fundamenta corruerent. Cum autem libellum illum non cuipiam Apollinaristæ, sed Apollinari S. Gregorius Nanzianzenus eidem coævus, qui *Apollinaristas* ab Apollinari expresse secernit, attribuat: profecto ejusdem Hæresiarchæ, non cujusdam Apollinaristæ fœtus germanus ille dignoscitur; ac suppositione, non proprietate, quam exhibuimus, vacat. Quare Theodoretus illius impostoris ætati proximus aut idem opus, aut simile, in quo ea errata continebantur, affert, remque communit. Exinde S. Epiphanius eos errores ab Apollinari profectos nequaquam putabat, siquidem, quum ipse anno 365. adversus hæreses scriberet, nondum Apollinaris ipsos exararat, quia is necdum ab Ecclesia sejunctus fuerat, eodem teste Epiphanio; qui eadem hæresi 77. primum errorem illi adscribens, hoc protulit; (d) *optamus, ac petimus, ut ne ab Ecclesia Christi... divellatur:* atqui Apollinarius ab Ecclesia divulsus cæteras hæreses, ut vidimus, scripto mandavit: idcirco igitur eas Apollinaristis, non Apollinari, S. Doctor imputavit, quod nondum illas idem impostor scripsisset, quas inde perscripsit; ac sic Epiphanii opinio minime obstat, quominus postmodum alii errores ab Apollinario parti fuerint, quoniam S. Doctor non posterius, sed prius tempus designavit; quo tempore Vitalis primum errorem, non alios, qui non tunc, at postea ab Hæresiarcha affirmati fuere, mordicus sectatus est. Litteræ autem appositæ inconstantiam quidem Apollinaris, qui ex Theodoreto aliquot sanis dogmatibus *interdum assentiebatur, nonnunquam* obsistebat, revincunt: cæterum Epistolam illam ad Dionysium eorum errorum uno haud carere ex Leontio ostenditur, qui eam ex Valentino, & Timotheo Apollinaristis non Julii I. Romani Pontificis, sed Apollinarii esse, quod vel monstrabimus, comprobat

(a) *Basn. tom. 3. annal.*
(b) *Apoll. Ep. 1. ad Dion. & Serap. apud Canisii Thesaurum monum. Eccles. Tom. 1. noviss. edit.*
(c) *Apoll. ib. in quodam fragmento.*
(d) *S. Epiph. in Pan. adv. hær. hær. 77. num. 18.*

probat contra Eutychianos hoc ejus Epistolæ fragmentum afferentes; *necesse est, ipsos, qui naturas asserunt duas, unam adorare, alteram non adorare*: quibus Apollinaris Catholicos, qui *duas naturas* uni Verbi Dei personæ unitas recte *asserebant*, temere petit, ut unam in Christo naturam supponeret: cujus hæresis suspicionem continet Epistola ad Serapionem prout a Valentino adducta; qui aliquot verba utrique Epistolæ a Timotheo apposita esse questus, hoc posterioris Epistolæ dictum exhibet, *Unione ... Verbi Divina facta est caro*: quod Christi *carnem unione Verbi factam Divinam*, ac sic unam naturam cum Divinitate effectam, eumque errorem ab Apollinari productum, significat. Hinc S. Eulogius (*a*) Alexandrinus Patriarcha sub sexti sæculi finem statutus oratione 3. primitus ait, quod Apollinaris *in libro de Incarnatione* id posuit, *o Nova Creatura, & divina mixtio! Deus, & homo unam naturam constituunt*. Exinde contra ipsos Eutychianos, qui prædictam Ecthesim Thaumaturgo appingebant, ostendit, in ista eos Apollinaris errores cerni, ipsamque adeo hujus, non illius germen esse: quæ ex Ecthesi ille sic infert: *testimonium Gregorio Thaumaturgo suppositum... ab Apollinario invehi ex absurditate perspicua declaratur; habet enim*; & est verus Deus, ὁ ἄσαρκος ἐν σαρκὶ φανερωθεὶς, sine carne in carne apparens; perfectus in vera, & divina perfectione: non duæ personæ, neque duæ naturæ: neque enim quatuor adorare dicimus: Vides, quemadmodum pateat *impietas; nam perfectum dicens in Divinitate, humanitatem reticuit; & adjiciens*, sine carne in carne apparens, *desipientis Apollinaris culturæ acerbum est germen*. A qua tamen expositione errantem duarum in Christo naturarum negationem abesse, Vossius præsumit, propterea quod Ecthesis author non negat, Christum esse duas naturas unitas in hypostasi Verbi, sed id profert contra eos, qui duas in Christo naturas distractas, & per se subsistentes effutiebant: unde subdit, unus Filius ante incarnationem, & post *incarnationem idem Homo, & Deus, utrumque unum*. Isthæc responsio nequaquam consistit; siquidem ecthesis scriptor *duas* in Christo personas recte negat, *unumque Filium*, unamve personam fatetur. Dum vero duas in Christo naturas inficiatur, erranti fraude unam in eo naturam ponit; sicut enim prius, ita posterius abnuit: quare dicit de Christo, *idem homo, & Deus, utrumque unum*; quo enuntiato neutraliter posito Deum, & hominem unam esse naturam, per errorem *mixtionis* alibi expressæ, intendit; ac sic duarum naturarum negatione duas naturas per se subsistentes contra eos, qui ipsas sejungebant, haud negat; sed duas naturas præcise sumptas, hoc est, hypostasim non respicientes inficiatur, unamque naturam admittit adversus Catholicos, quos facile improperabat, quod *quatuor*, hoc est, præter tres personas divinas, quartam humanam substantiam *adorarent*; qui tamen non unam, sed duas naturas uni Verbi Dei personæ unitas profitebantur; atque humanitatem ut a Verbo

(*a*) S. Eul. Alex. orat. 3. adversus eos, qui S. Patres, & Concilium Chalcedonense calumniabantur, apud Phot. BB. Cod. 230.

Verbo terminatam, & ita non quatuor, adorabant. Ectesis quoque author hoc alterum erratum adstituit, *est verus Deus sine carne in carne apparens;* qua voce carnem in Christo apparentem, non veram, adstruit, & Apollinarem se esse confirmat. Qui etsi adjicit, quod *nonnulli nobis turbas excitarunt non confitentes Deum esse incarnatum:* non ideo, uti aliqui putant, Nestorio, qui ob eam hæresim turbas movit, posterior est; nam Paulus Samosatenus tertio sæculo illam genuit, ac turbas excivit; quem Apollinaris pulsare judicatur. Hic quid oppugnem Dallæum opinantem, talia antiqua errata obscurissima esse? quum Eulogius sæculo sexto de ipsis dixerit, *Vide, quemadmodum pateat impietas!* Quæ proinde, & opus, in quo extat, S. Gregorio Neocæsariensi non convenit: cujus etiam haud sunt XII. capita, & anathemata, aliaque illi operi adjuncta, utpote quæ a Nysseno minime referantur. Quare etiamsi hæc Thaumaturgo Recentiores a Dallæo citati appingant, nihilominus Bellarminus, Labbæus, aliique doctiores Leontium sectati ab ea brevi Fidei formula, & a reliquis certis Taumaturgi scriptis alias nothas expositiones secernunt. Sed post Eutychiani pro se alia verba ipsum Apollinaris errorem, quo is Catholicos, a quibus duæ Christi naturæ asserebantur, nequiter arguit, exprimentia attulerunt ex quapiam notha S. Julii I. Romani Præsulis, qui quarto sæculo inclaruit, ad Dionysium Corinthium epistola: quam certe ab Apollinario exaratam fuisse Leontius inibi hocce argumento prædocuit; quod Sanctus Gregorius Nyssenus in (a) in genuino suo scripto adversus eundem Hæresiarcham *multa prava* verba ab isto professa, quæ illa in epistola continebantur, *aperte refutarit:* ex quo clare deducitur, illam Apollinarii esse prolem, ac sic Julio I. contra, atque Gennadius opinatur, salse adtributam: in qua etiam, priscos illius Hæresiarchæ errores apertos esse, non obscuros, Nyssenus, & Leontius agnovere. Nec vero eadem epistola, quemadmodum illi Eutychianæ hæreseosadstipulatores contendebant, Concilii Ephesini Œcumenici actis inserta fuit: etenim *ibi nihil in textu tale reperiri*, Leontius ibidem exposuit: atque adnexuit, aliam epistolam falso quoque Julii I. nomen habentem, quibusdam, non omnibus, ipsius concilii Apographis additam esse; quippe quæ haudquaquam ejusdem Pontificis, sed Timothei Apollinaristæ nomine in *multis* prædicti Concilii *exemplaribus* ab Leontio visis conscripta esset. Istæ autem duæ epistolæ diversæ erant, atque secretæ ab ipsius Julii epistola ad Docimum missa. Nam istius enuntiata duas in Christo naturas perfectas, Divinam, & Humanam, distinguentia, unamque Filii Dei personam in utraque natura subsistentem monstrantia, ab Ephesinæ Synodi Patribus adversus Nestorium, a Vincentio Lirinensi in commonitorio, a commendato Eulogio, & ab ipso Leontio *in confutatione utriusque fictionis Nestorii, & Eutychetis*, adducta fuere. Præterea septem epistolæ, quas Julio I. adsi-

(a) Videas S. Gregorii Nysseni *Antirrheticum* e Græco latinum adversus Apollinarem in collectaneis monumentorum veterum a Zacagno Editis Romæ anno 1698. pag. 115. Et sequ. ubi ex eodem Apollinaris *libro* de *Incarnatione* fere eosdem illius errores, qui a Nazianzeno referuntur, adducit.

adfictas, & ab Apollinari productas idem Leontius illo in libro de sectis Hæreticorum enarrat, omnino a duabus Epistolis secernuntur, quarum compositorem eundem Julium I. extitisse commendatus S. Athanasius, ei coævus, testatur, qui in Apologia II. unam bene longam ad Eusebianos ipsius Julii Epistolam, & alteram ad Alexandrinos exscribit: quibus cum Epistolis itidem prædictæ litteræ subdititiæ neutiquam confunduntur; nam illas duas sine fictitiis Athanasius repræsentat. Verum huic Sancto Eutychiani *parvulam orationem* adfingentes, pro errore suo alterum enuntiatum adlatis non absimile, & manifesto falsum educebant ex ea, quam S. Athanasii fœtum haud esse, sed a legitimis omnibus hujus operibus discerni; ac manifeste eundem Sanctum horum *omnium* genuinorum operum, & ita non illius parvulæ orationis, authorem fuisse, in libro prius relato Leontius adstruxit: cui assertioni Heterodoxi illi opponebant, S. Cyrillum Alexandrinum illa voce usum esse in volumine contra Theodorum Mopsuestenum exarato, in quo ille Patrum sententias collegit Theodori errationi, quam Nestorius sequutus fuit, adversas. Ad quam objectationem Leontius respondit, eum locum, qui in illo Cyrilli opere legebatur, eidem aliena manu appositum fuisse, ac forte Dioscorum Cyrilli successorem, fautoremque Eutychetis, ausum esse ipsi volumini illud dictum inserere: cujus adjectionis rationem hanc Leontius reddidit; quod Theodoretus in Theodori Mopsuesteni defensione quum Veterum loca omnia a Cyrillo adversus Theodorum prolata enuclearet; inter ipsa illius loci ex Athanasio petiti nusquam meminerit. In iis igitur cunctis probationibus, & distinctionibus vide, quam falsum sit, quamque propter illos frequentes Eutychianorum dolos haud verisimile appareat, plura S. Gregorii Thaumaturgi, S. Julii I. ac S. Athanasii Opera, quæ modo germana censentur, ab illis Heterodoxis conficta fuisse; dumque in ipsis legitimis scriptis eos Patres legere judicamus, aliquo cum Eutychiano sæpe nobis rem esse; atque iisdem in operibus istos Heterodoxos personatos celari: quæ consecutiones eo falsitatis arguuntur, quod & genuina Gregorii Neocæsariensis volumina Eusebius, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, ac Leontius, qui illorum Hæreticorum fraudes abjecit, laudarunt: & genuinas Julii I. Epistolas Athanasius, Concilium Ephesinum Œcumenicum, aliique commendarunt: & vera S. Athanasii conscripta *omnia* ut *nota* ipse Leontius attulit: & adeo ea ipsorum Veterum certa opera esse, non verisimiliter subdita, hi testes ostenderunt. Hinc efficitur, ut metuendum non sit, ne ex ipsis veris conscriptis Eutychianorum figmenta velut eorum Patrum effata aliquando eliciantur: illi enim Heterodoxi, tametsi callidiores, iis germanis veterum operibus sua cassa fundamenta, atque errata huc illuc occultius, & perniciosius assudisse putandi non sunt: quoniam in certis Thaumaturgi, & Julii monumentis, quæ ab Apollinaris libris clare pestilentibus differunt, sanæ doctrinæ; inque omnibus Athanasii voluminibus, quæ ab illius Hæresiarchæ operibus pariter distant, recta dogmata Apollinarem ipsum, Eutychianosque impugnantia identidem reperiuntur. Quum vero Leontii verba, in quibus difficultatem Ovdinus haud recte quærebat, græce adduxerimus;

nunc omnem ipsius Leontii textum, de quo nullus scrupulus oritur, latine tantum adferre debemus. Qui priscus scriptor ab Julio I. sic exorsus est: (a) *adferunt* Eutychiani *dictum velut a B. Julio profectum, quod existat in Epistola scripta ad Dionysium Corinthi Episcopum, estque dictum hujusmodi:* necesse est, ipsos, qui naturas asserunt duas, unam adorare, alteram non adorare .... *Sed nos argumentis pluribus convincimus, non illam Epistolam esse B. illius Julii, sed Apollinaris: primum ex eo, quod si quis eam subtiliter consideret, nihil Juliano dignum nomine habeat: quin & septem illæ Epistolæ, quas ejus esse dicunt, Apollinaris sunt ... præterea ex hoc quoque non B. Julii, sed Apollinaris esse redarguitur, quod Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem aperte multa recitet, quæ hac epistola continentur, eaque ceu prava refutet. Potest & aliunde convinci, quod B. Julii non sit: ajunt enim actis Synodi Ephesinæ sub B. Cyrillo insertam; quod quidem aperte mentiuntur; nam ibi nihil in textu tale reperitur, sed alia quædam inserta est Epistola velut a Julio scripta, nec ipsa Julii, sed Timothei Apollinaristæ, quemadmodum de multis exemplaribus intelligi potest ... Proferunt nobis & aliam quandam auctoritatem S. Gregorii, quem prodigiorum effectorem nominamus, ex illius Confessione Fidei seorsum exposita:* non duas personas, *inquit*, non duas naturas, quia non adoranda sunt quatuor. *Ad hoc quoque respondemus primum de hac itidem dubitatum apud antiquiores, an sit Gregorii: deinde Gregorius Nyssenus orationem de illo prodigiorum effectore funebrem scribens, nullum adnotat ejus conscriptum exhiberi, nisi solam Fidem, quam in visione conspexerat. Aliam quoque proferunt auctoritatem S. Athanasii ex Oratione de incarnatione; quæ quidem est hujusmodi;* eundem esse Dei Filium ratione Spiritus, & hominis filium ratione carnis; non duas naturas unum illum Filium, quarum una sit adoranda, non adoranda sit altera. *Respondemus, quod .. nec sancti Athanasii quidem est. Nam quum a nobis interrogantur, ubi dictum hoc exstet, nec ejus ostendendi copiam habent: in arctum coacti parvulam quandam orationem proferunt quasi duorum foliorum, in qua dictum hoc legitur .. At notum est Universis, omnia S. Athanasii opera valde magna esse ... B. Cyrillum producunt citantem hoc dictum libro adversus Theodorum, quasi profectum ab Athanasio. Ad hoc dicimus, reapse illud in B. Cyrilli contra Theodorum invectivis legi; sed mendum esse priscum: Dioscorus enim successor B. Cyrilli factus, quum ejus opera reperisset, forte non veritus est inserere nonnulla, quæ ipsi libitum fuit. Neque vero conjecturis nos modo niti, quod B. Cyrillus illud contra Theodorum non produxerit, ex eo quoque manifestum est; nam Theodoretus, qui Theodorum defendebat, universas auctoritates refutans, quascumque S. Cyrillus contra Theodorum de Sanctis Patribus protulerat, nunquam hujus dicti meminit .. Hæc consideranda veniebant..*

At vero postea Dallæus unum Quinti Concilii Æcumenici Codicem a Monothelitis depravatum, ac suppostitiis libellis consertum obtrudens; a scri-

(a) Leont. de Sectis. act. 8.

a scriptis dumtaxat subdititiis ad mixta ex depravatis, atque suppositis voluminibus deflectit, eaque objectat. Nonne autem isthæc argumento similiter mixto, atque a sextæ Synodi universalis, quam ipse profert, testificationibus sumpto, penitus retunduntur? etenim illi Heterodoxi quendam libellum, sive homiliam veluti a Menna Constantinopolitano Præsule ad Vigilium Romanum Pontificem directam, duosque libellos tanquam a Vigilio ad Justinianum Imperatorem, & Theodoram Augustam missos finxere, in quibus eorumdem Monothelitarum hæresis, qua unam in Christo Voluntatem, unamque Operationem, Divinam scilicet, non Humanam affirmarunt, aperte legebatur: hominique illi istos tres libellos quasi tempore quinti Concilii exaratos, & velut hujusce acta per dolum uni ejusdem Synodi Codici in Bibliotheca Patriarchatus Constantinopolitani servato inseruerunt, eum Codicem adulterando: atque in sexto generali Concilio, quod Constantinopoli contra relatam eorum hæresim anno 680. collectum fuit, iidem Heterodoxi pro se præcipue quintam Synodum subdole adlegarunt: ob idque in tertia sexti Concilii actione prædictus Quintæ Synodi Codex lectus est. Quare prius legati Agathonis Summi Pontificis fictos eos libellos, ac tum, quando acta quinto in Concilio fiebant, neutiquam scriptos, & falsatum illum Codicem inde probarunt; quod vigesimo primo anno imperii Justiniani senioris, sive anno 547. Mennas obierit; quinta autem Synodus vigesimo septimo anno regni ejus, sive anno 553. congregata fuerit, dum Eutychius Archiepiscopatum Constantinopolitanum tenebat. Deinde sexti Concilii Præsules eundem Codicem observantes, *invenerunt*, ut in ejusdem Concilii actione III. legitur, *tres Quaterniones in principio libri additos*, & *in exordiis submissorum Quaternionum litteras Dissimiles esse*, *atque alias a litteris*, *quæ prius in eodem Codice scriptæ erant*. Denique nonnullis petentibus ut ille *liber* depravatus tempestive ad examen iterum revocaretur: reperti sunt alii quintæ Synodi Codices mutilati; alii vero *immutilati*, & *antiqui*: quibus utrisque sedulo inspectis sextum Concilium in actione XIV. denuntiavit, ab ipsis Heterodoxis Codicem illum, aliosque amputatos, non autem cæteros *antiquos Quintæ Synodi libros*, qui profecto *immutilati* perstabant, illosque *fictos* libellos minime continebant; ac proinde cum depravato eo Codice, aliisque exemplaribus mutilatis confusi non erant. Unum autem ex illis codicem violatum instar alterius prædicti ex clara illius depravatione extra Concilium agnovit Macrobius Seleuciensis in Isauria Archiepiscopus, Macarii Antiocheni Patriarchæ, & Monothelitæ olim assecla, at nuper Ecclesiæ per pœnitentiam reconciliatus: qui dehinc eadem in actione XIV. testificatus est, quod ipse illum *Codicem relegens*, *invenit eum Falsatum*. Ergo Macrobius sub finem septimi sæculi a Dallæo appellati eo in exemplari erroneas illorum Hæreticorum technas apertas esse, non obscurissima caligine tectas, perspexit; easque in lucem protulit: hinc ipsis Concilii Patribus post hæc quæ dudum narravimus, significavit, Georgium monachum, antea Monothelitam, illius depravationis auctorem exstitisse; qui a Concilio citatus, utpote dein per pœnitentiam receptus, palam Confessus est, libellos, quos

ei Macarius Antiochenus, & Theodorus Patriarcha Constantinopolitanus, Monothelitæ, dederant, quique libelli Mennæ, & Vigilio subditi fuerant, ab se uni quintæ Synodi Codici insertos fuisse; atque ab eodem Macario, & Stephano itidem Heterodoxo alia Quinti Concilii exemplaria esse vitiata. Quamobrem in Synodo sexta ille Monothelitarum dolus clariorem quidem in lucem protractus est, ac plenius convictus: verumtamen extra eam Synodum a prædicto Macrobio jam in lucem ex liquida relati Codicis corruptione prolatus fuerat, & coargutus. Evanescat igitur Dallæi commentum, quo ait: „ alias „ quis ista in tam authentico exem„ plari legens in errorem adductus „ non fuisset? „ Evanescat sane commentum istud: nam & alias ex uno codice mutilato manifestam fraudem Macrobius extra idem Concilium prævidit: & alter Codex objectus haud erat plane authenticus, aut totus originalis, aut, dum acta quinto in Concilio exararentur, prorsus conscriptus; quum in parte eos libellos nothos complectente authenticus neutiquam esset; quia in hacce falso temporum indicio, quod jam adductum est, ac *dissimilibus litteris*, & *adjectionibus* recens assutis scatebat: quæ pars, *quum acta fierent in quinta Synodo*, sive hujus *tempore*, ut adducti Legati, & Sexti Concilii Præsules declararunt, scripta non fuerat: ob id igitur non tam authenticum, quam ab Adversario fuisse dicitur, erat illud exemplar: cui quoque vetustos, & sinceros quinti Concilii libros, in quibus notha illa tria scripta haud exstabant, sextæ Synodi Patres opposuere: ergo ii *libri*, utpote *antiqui*, & *immutilati*, omnino erant authentici; non tamen ille codex, non alius ei similis authentico caractere prædītus erat, quippe apertissime mutilatus: quem quispiam legens in errorem adductus nequaquam fuisset; quod in eo codice, aliisque exemplaribus depravatis manifesto vidisset falsam temporis notam, *dissimiles litteras*, *additiones*, atque adeo patentem Monothelitarum artem, patentem fictionem, patensque virus pestiferum. Et quoniam incontaminata aliquot quintæ Synodi autographa supererant, in quibus, & præsertim in ejus Decisione, ipsorum Hæreticorum error neutiquam existebat: ex hisce legitimis actis cum violato illo Codice, aliorumque colluvie comparatis quivis, ut circumscriptiones magis, magisque execraretur, peræque intelligere poterat, unum, vel alterum Quintæ Synodi exemplar, cui Monothelitæ suos suppositios libellos depravatione inseruerunt, ab incorruptis, atque omnino authenticis Quintæ Synodi codicibus, in quibus ipsi spurii libelli Monothelitarum hæresim exprimentes nequaquam exstabant, palam distingui. Ideoque illa exemplaria prorsus authentica neutiquam esse, sed partim recisa, aperte perniciosa, ac detestanda: atque ex adverso hos inviolatos codices penitus authenticos esse & magnifaciendos. Ac falsum est, germanos Quinti Concilii libros, quos impræsentiarum sub vero ejus nomine legimus, ab illis Heterodoxis aut fictos, aut eorum nothorum operum mixtione adulteratos fuisse: nosque, dum in veris, & incontaminatis ejusdem Synodi libris ipsam quintam Synodum æcumenicam legere credimus, cum Monothelitarum quopiam sæpenumero agere: atque iis in libris Heterodoxos illos sub amici larva se abdere.

Quod

Quod ex illis eorumdem Hæreticorum artificiis non verisimillimum, sed falsissimum evidenter apparet: quandoquidem in ipsis genuinis libris libelli Vigilio, ac Mennæ adficti non extant; eosque *immutilatos Sancti quinti Concilii codices*. Atque ita non subditos, non illis nothis scriptis immixtos, non corruptos Synodus sexta adversus illud exemplar, aliudve fraudulenter vitiatum haud obscure declaravit. Unde deducitur, timendum haud esse, ne ex iisdem inviolatis actis Monothelitarum commenta ceu Vigilii, Mennæ, & quinti Concilii placita interdum extundantur: neque enim illi Heterodoxi, quamvis veteratorii, irrita suæ hæresos fundamenta, & errantia venena, quibus fictos eos libellos apertius refersérant, in sinceris Synodi Quintæ conscriptis huc illuc veluti e longinquo, sive occultiori arte, minus obvia, atque adeo exitiosiori collocasse putandi sunt; quia hisce *non adjacent* fictitii illi, & palam pestiferi libelli, qui habebant ea, quæ *adversus recta dogmata* Monothelitæ confinxerant; quæ quidem errantes fictiones neque a Vigilio, Menna, & quinta Synodo scriptæ fuere, nec continebantur, nec sunt in hujusce Concilii *Definitione*, & exemplaribus *immutilatis*, quemadmodum Legati, quos commendavimus, sextæque Synodi Patres testantur. Quæ res, ut planius constent, juvat fusius referre primo hanc tertiam ejusdem sexti Concilii actionem: (a) *Conveniente Sancta, ac universali Synodo, quæ secundum Divinam sanctionem congregata est in hac... regia urbe... propositis in medio Sanctis, & intemeratis Evangeliis, Paulus magnificus a secretis, & imperialis Secretarius dixit: secundum quod in præterito conventu interloquuta est a Deo instructa Pietas vestra, ecce libros Sanctæ Quintæ Synodi in manibus habemus, & suggerimus ad quod placuerit. Constantinus piissimus Imperator dixit: præsens Antiochus religiosus lector, & Notarius librum relegat. Et accipiens, aperiensque eundem librum, exorsus est principium prædicti libri, qui ita continebant:* Sermo Sanctæ memoriæ Mennæ Archiepiscopi Constantinopolitani ad Vigilium Beatissimum Papam Romanum de eo, quod una sit in Christo voluntas: *& exurgentes Legati Apostolicæ sedis, exclamaverunt: piissime Domine. Falsatus est præsens liber Quintæ Synodi; nequaquam relegatur sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia Fictus est: sed jube diligenter advertere præsentem librum, quia non est tunc temporis positus in exordio, quum fierent acta in Sancta Quinta Synodo, iste, qui dicitur sermo Mennæ ad Vigilium, sed nuper appositus est in principio præsentis libri, eo quod vigesimo primo anno Imperii Justiniani..... obiit Mennas; quinta autem Synodus vigesimo septimo anno imperii ejus congregata est, Episcopatum tenente hujus regiæ urbis Eutychio. Et inspicientes tam piissimus Imperator una cum Judicibus, & quibusdam ex Sancta Synodo Episcopis, & aperientes, & Discernentes invenerunt tres Quaterniones in principio libri additos, non habentes subnotationem numeri, qui secundum consuetudinem affigitur in Quaternionibus, sed in quarto Quaternione habere*

(a) *Conc. gener.* VI *act.* III. *tom.* VII. *Conc. Labb. pag.* 642. *& sequ.*

bere primum numerum, & in sequenti Quaternione secundum, & tertium ante quartum subsequenter: alias vero, & dissimiles esse litteras eorumdem in exordiis submissorum Quaternionum, in quibus continebatur sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, a litteris, quæ prius scriptæ sunt in eodem codice. Constantinus Imperator dixit, hujusmodi non relegatur sermo... subsequenter & secundi libri gestorum ejusdem Sanctæ quintæ Synodi lectio proveniat. Et accipiens Petrus religiosus Diaconus, & Notarius Patriarchæ Constantinopoleos librum relegit: & dum relegeretur septima actio reperti sunt in ea duo libri quasi ex nomine Vigilii Sanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus: unus quidem ad Justinianum ... quondam Imperatorem; alter vero ad Theodoram Augustam; in quibus continebatur ita: Anathematizamus & Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiæ..., qui non confitetur, incarnatum esse Deum Verbum, id est, Christum Dominum esse unam subsistentiam, & unam personam, & unam operationem. *Et exurgentes iterum Legati Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ exclamaverunt, dicentes, non faciat Deus, Domine; non dixit Vigilius unam operationem: non sunt libelli Vigilii; falsatus est hic liber, sicut & exordia primi libri præsentis Quintæ Synodi. Nam, Domine, si unam operationem docuit Vigilius, & susceptus est a Synodo, utique in Definitione ejusdem Sanctæ Quintæ Synodi de una operatione vox habuit comprehendi: dum relecta ergo fuerit.. ipsa Definitio, inveniet Dominus omnem veritatem. Consequenter itaque, & secundum ordinem relecto eodem libro usque ad Definitionem, ipsaque Definitione usque ad finem relecta, nullo modo aliquid de una operatione in eadem Definitione inventum est contineri. Theodorus, & Georgius Venerabiles Presbyteri, & Joannes Venerabilis Diaconus Legati Sanctissimi Papæ antiquæ Romæ dixerunt, petimus a Deo vestram instructam Serenitatem, ut tempestive prædictus liber examinetur.* Unde postmodum Actione XIV. (a) *Judices, & Sanctum Concilium dixerunt, oportet duos membranaceos libros Sancti Quinti Concilii, qui jam a Georgio Diacono Carthophilace porrecti sunt, ut iterum ab eo in medium deducantur, ut scrupulosius cognoscamus, si juxta quæ memoraverunt locum repræsentantes Agathonis Sanctissimi Papæ antiquæ Romæ hæc infalsata sint: similiter autem proferri volumus carthaceum authenticum septimæ actionis præfati Sancti Quinti Concilii, & quatenus etiam consideremus, & competenter retractemus, si immutilatum permansit. Et prolati sunt iidem duo membranacei libri, & volumen Carthaceum ab eodem Georgio ... & surgentes Reverendissimi Episcopi ejusdem Sancti Concilii, assumentesque in manibus tam prædictos duos libros, membranaceum, & volumen Carthaceum, accurateque eadem loca inspicientes, quæ accusata sunt, eaque conferentes cum carthaceo libro, quem in recenti protulerat Georgius Diaconus, & Carthophylax, necnon & cum aliis antiquis, & carthaceis libris ejusdem Sancti Quinti Concilii, dixerunt: hos duos libros in membranis, & volumen Carthaceum septimæ actionis Sancti*

(a) *Ib. pag.* 1010. *& sequ.*

cti Quinti Concilii considerantes secundum quod poposcerunt locum repræsentantes Agathonis Sanctissimi Papæ antiquæ Romæ; & hæc conferentes tam cum nunc prolato synodico Carthaceo libro, quam cum aliis libris antiquis Carthaceis ejusdem Sancti quinti Concilii; & invenientes eosdem duos membranaceos libros, & volumen Carthaceum septimæ actionis sibimet quidem consonantes, adjectiones vero habentes tam librum, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & a Vigilio quasi duos libros ad Justinianum... Imperatorem, & Theodoram ejus Conjugem: in quibus libellis ei placuit, ut anathematizaret Theodorum Mopsuestenum Episcopum, & Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & scripta Theodoriti contra dundecim capitula Sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini quondam Episcopi, quæ putavit his sermonibus continere: Anathematizamus autem & Theodorum quondam Episcopum Mopsuestenum, utpote qui alienus semper ab Ecclesia exstitit, & Sanctissimis Patribus adversarius, qui non confitetur incarnatum esse Dei Verbum, id est, Christum esse unam subsistentiam, & unam personam, & unam operationem: ,, Hæc ,, cognovimus, quemadmodum & ,, affirmant, qui ab Apostolica Se- ,, de antiquæ Romæ sunt, neque ,, facta, neque scripta fuisse in tem- ,, pore memorati Sancti quinti Con- ,, cilii; sed adjectos quidem esse tres ,, Quaterniones in primo libro San- ,, cti quinti Concilii, in quibus vi- ,, detur libellus, qui dicitur Men- ,, næ. Post hæc & in secundo libro ,, circa septimam actionem muta- ,, tum quidem fuisse quintumdeci- ,, mum Quaternionem, adjectumque ,, esse Quadrifolium non superscri- ,, ptum ante decimum sextum Qua- ,, ternionem, in quo feruntur duo ,, libri Vigilii, qui dicuntur facti ,, fuisse ad Justinianum, & Theodo- ,, ram.... utrisque nullam litteram ,, habentibus. Hos vero, qui falsa- ,, verunt præfatos duos libros, & ,, Carthaceum volumen, ex illorum ,, vocabulis malitiose adversus recta ,, dogmata hæc interjicientes; eo ,, quod neque in nunc prolatis an- ,, tiquis, & immutilatis libris San- ,, cti quinti Concilii, neque in Car- ,, thaceo libro, qui in recenti in- ,, ventus est apud Bibliothecam Ve- ,, nerabilis Patriarchii rejacent iidem ,, ipsi libelli seu Mennæ ad Vigi- ,, lium, sive a Vigilio ad Justinia- ,, num, & Theodoram..., decerni- ,, mus... Anathemati submitti... ,, Macrobius Episcopus Seleuciæ Isau- ,, riæ dixit: suggerimus huic San- ,, cto, atque universali Concilio, ,, quod pervenit ad me liber San- ,, cti quinti Concilii, datus mihi a ,, quodam Philippo magistro Mili- ,, tum imperialis obsequii; quem ,, relegens inveni eum falsatum in ,, septima actione: & interrogans ,, eundem Philippum, quia alicui ,, dedisti hunc librum? dixit mihi; ,, quia Stephano discipulo Macarii ,, eum dedi: litteræ vero, in qui- ,, bus Falsitas libri facta est, pro- ,, priæ manus Georgii cata Maca- ,, rium certe sunt; quia, quum es- ,, set Patriarcha meus ipse Maca- ,, rius, ingrediebar in domum ejus, ,, & aspiciebam eundem Georgium ,, Monachum sæpius scribentem, & ,, scio accurate, quia propriæ ejus ,, manus sunt.... Judices, & San- ,, ctum Concilium dixerunt: Geor- ,, gius Monachus, cujus mentio fa- ,, cta est, in medium veniat; & in- ,, gressus est... Judices, & Sanctum ,, Concilium dixerunt, in medio as- sisten-

„ sistenti Georgio Monacho præsens „ liber ostendatur, ut cognoscat, si „ litteræ propriæ ejus manus sunt, „ quæ in addito ipsi Folio scriptæ „ sunt. Georgius Monachus intuens „ in eundem librum dixit: hic li- „ ber, qui nunc prolatus est a Ma- „ crobio... Metropolitano Seleuciæ.. „ Philippi Magistri militum impe- „ rialis obsequii erat; ipse autem „ Philippus vicinus erat de parte „ Stephani, qui cecidit cata Maca- „ rium. Quando ergo facta est Quæ- „ stio inter Theodorum, qui fuerat „ Patriarcha hujus regiæ urbis, & „ præfatum Macarium de Fide, tu- „ lerunt paria libellorum, qui dicun- „ tur Vigilii, de Patriarchio, sicuti di- „ xerunt Macarius, & Stephanus; & „ scripsimus in Quaterniones, & obla- „ ti sunt ab eis piissimo Imperato- „ ri. Præsumptione autem accepta „ qui erant circa Stephanum, & „ Macarium, utpote qui obtule- „ rant Principi eosdem Quaternio- „ nes, unicuique ad eos venienti „ monstrabant. Idem vero Philip- „ pus habuit hunc librum, & ad- „ duxit eum ad Stephanum Hære- „ ticum, ut eum consideraret, di- „ cens, quia veniens de occidente „ adduxi librum quinti Concilii, & „ vide, si bene habet: nam hic Co- „ dex non habuit libellos, qui di- „ cuntur Vigilii: & dixit ei Ste- „ phanus hæreticus, scias, quia mi- „ nus habet. Idem ergo Philippus „ rogavit eum dicens, si quid scis, „ quia deest, imple. Et ipse Ste- „ phanus dixit mihi, ut scriberem „ eosdem libellos: & scripsi de me- „ moratis exemplaribus, & dedi ei- „ dem Stephano. Et in veritate pro- „ priæ manus meæ sunt; & cogno- „ sco ea: non solum autem in hoc „ libro addiderunt istos, qui dicun- „ tur libelli Vigilii; sed quanticum- „ que libri quinti Concilii ad eos „ pervenerunt, non habentes libel- „ los, qui dicuntur Vigilii, addi- „ derunt idem Macarius, & Stepha- „ nus &c. Sanctum Concilium ex- „ clamavit: anathema libro, qui di- „ citur Mennæ ad Vigilium, & qui „ eum finxerunt... anathema libel- „ lis, qui dicuntur facti fuisse a Vi- „ gilio ad Justinianum, & Theo- „ doram.... Qui & sunt Falsi de- „ monstrati: anathema simul omni- „ bus, qui falsaverunt Acta Sancti, „ & universalis quinti Concilii.

Revertamur ad Nicenum II. Concilium a Dallæo iterum iterumque nequidquam adlatum: quippe cujus actione VI. Epiphanius Diaconus, ut ante dictum est, repulit Iconomachos; qui sacras imagines in Ecclesiis collocandas non esse errore pertendentes, comminiscebantur, memoratum S. Epiphanium Salaminæ Episcopum nonnullis in libris id posuisse: (a) *in hoc memoriam habete, Filii dilecti, ne inducatis imagines in Ecclesias:* cui dicto aliud simile ex Epistola ad Theodosium Imperatorem ipsius Sancti Epiphanii nomine falso inscripta adducebant, quæ objecta Diaconus ille retundens, primum advertit, quod & *nothi libri expuendi* sunt, quemadmodum quæpiam volumina sub Sanctorum Apostolorum *Pauli*, ac *Thomæ* nominibus falso vendita, de quibus superius verba fecimus, Patres reprobaverunt: &, sicut ista eorum Apostolorum proles non erant, ita dictum illud

(a) *Vide act.* VI. *Conc. Nic.* II. *tom.* 8. *Concil. Labb.*

illud a S. Epiphanio productum non fuit: & eam ob causam illa omnia scripta idem ferentia, & a quibusdam veteratoribus Iconomachis eidem Sancto appicta *nullus Christianorum recepit*. Deinceps ipse Diaconus S. Epiphanio Epistolam illam, ac reliqua conscripta esse supposita eo vicit, quia in fine ejusdem Epistolæ hæc habebantur; *multoties loquutus cum ministris meis, ut auferrentur imagines, receptus non sum ab eis; neque audire vocem meam paululum passi sunt:* florebant autem S. Epiphanii temporibus SS. *Basilius Magnus*, *Gregorius Theologus*, *Gregorius Nyssenus*, *Joannes Chrysostomus*, aliique Patres: quibus propter illam opinationem S. Epiphanium refragatum fuisse, & idcirco ab ipsis *receptum non esse*, ipsorum Iconomachorum commentum est, atque *mendacium*: quod Diaconus idem coarguit; quodque probatur laudatorum Patrum silentio; cujus vim in gravissimis rebus Historicis maximam esse, omnibus liquet. Enim vero nullus eorum Doctorum, qui quidem Sacrarum Imaginum venerationi suffragantur, retulit pugnam illam, atque repulsam, quas hi fecissent, quæ ob id iisdem Patribus notæ fuissent, quasque Epistolæ illius auctor solummodo memoriæ prodidit. Et quomodo fieri potuit, ut ipsorum nemo de hujuscemodi controversia, ac facto tam multiplici, tam gravi, tam manifesto, tantisque incommodis, & difficultatibus affecto mentionem injecerit, si vere illud commendatis Doctoribus in Ecclesia evenisset? profecto ob istud eorumdem Patrum silentium ea narratio apertissime falsa est, atque *mendax*; & a S. Epiphanio prorsus aliena. Ac propterea eandem Epistolam huic a prædictis Nebulonibus falso attributam fuisse patescit. Hinc quoque cætera volumina, in quibus ipsa falsa dicta inveniebantur, eidem S. Doctori *extranea* fuerunt, atque supposita, utpote quæ essent illius *mendacis assertionis conscripta*, quam uti evidentem Diaconus ille persensit; in *mendaciis*, quæ de priori falso dicto, deque alio facto commentitio præmiserat, duxit, ac funditus repudiavit. Sedenim nonnulli recentiores, quod in latina celebrati Concilii versione *falsatos* illos aliquos libros legant, eo censent, ipsos fuisse genuinos S. Epiphanii libros, verumtamen ab Iconomachis depravatos: quæ opinatio ex græco vocabulo, quod in ipsius Synodi textu existit, refellitur; siquidem ibi iidem libri παρεγγράπτοι dicuntur; qui ut Suidas in παραγραμματίζω, qua ex dictione illa altera ducitur, edocet, νόθοι, sive nothi, ac non legitimi, sunt. Illi igitur libri non erant S. Epiphanii partus aliena manu violati, sed nothi erant, eique suppositi: qua de causa, non, ut latinus ejusdem Concilii interpres reddit, *falsati*, sed *nothi* ex græco verti debent: præsertim quum eos tales laudatus Diaconus inibi declararit; qui initio de repudiandis *nothis conscriptionibus* agit: & sicut volumina, quæ sub SS. Apostolorum Pauli, & Thomæ nominibus *ficta* fuerant, iis *aliena* esse, & reprobata proposuit: sic deinceps illos ipsos libros S. Epiphanio *extraneos*, & *alienos*, adeoque nothos, ac non *receptos* dixit eo contextu, quo iidem παρεγγράπτοι ab ipso appellantur; qui, vel postremo illius S. Doctoris fœtus *nullo modo esse*, conclusit. Illam vero Epistolam subdititiam, eosque libros spurios aperto mendacio, atque er-

ranti infectos, ac palam noxios cum veris, germanis, certisque S. Epiphanii libris non fuisse confusos, idem Diaconus inde significavit, quod eadem Epistola, illique libri suppostitit *in Ecclesia recepti non essent*; hi autem indubitati S. Epiphanii libri, in orbe Catholico *sparsi*, *celebrarentur*; atque adeo illi ut *non recepti* ab his ut *celebratis*, sicque receptis, distinguerentur; horumque, non illorum, auctor S. Epiphanius nosceretur. Itaque ob eam dolosam nonnullorum Iconomachorum artem haud verisimile, sed penitus falsum est, plures genuinos S. Epiphanii libros, qui nunc certi ipsius partus judicantur, ab illis Heterodoxis effictos fuisse: & nobis, dum in hisce libris ipsum Catholicum Patrem legere profecto arbitramur, cum Iconomachorum aliquo quandoque rem esse; in iisdemque eos Fidei hostes personatos latescere: quoniam commendatus Diaconus illorum Hæreticorum artificia, illaque notha conscripta reprobando, adnotavit, hosce S. Epiphanii libros ab universo *celebratos* esse, ac proinde ut veros S. Epiphanii fœtus ab omnibus cognitos, atque ab illis sycophantis minime subditos. Quo fit, ut pertimescendum non fit, ne Iconomachorum figmenta velut a S. Epiphanio pronuntiata ex indubiis ejus libris interdum educantur. Etenim Heterodoxi illi, etsi callidiores, certis ipsius S. Doctoris libris ea *falsa dicta*, atque *mendacia* occultius, ac perniciosius passim aspersisse putandi non sunt; quum S. Doctor in nullo certorum suorum librorum, & ab illis nothis voluminibus aperte mendacibus, atque pestiferis secretorum loco sacrarum imaginum cultum, usumque rejecerit, & nullibi illam contentionem, quam manifestæ falsitatis convicimus, enarrarit; sicuti innuit Epiphanius Diaconus, qui relatam Iconomachorum oppositionem ita dissolvit: (a) *amatores discendi Ecclesiasticorum negotiorum scrutinium, eos, qui aliter sapiunt, noverunt nothis, & falsis conscriptionibus innitentes tanquam spurios, & non proprios Ecclesiæ Catholicæ filios, minime ut fratres, admittere.., Sacratissimo Apostolo dicente*, (b) videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam .... *decet ergo unumquemque Christianum, qui falsos libros audit, hos expuere, ac nullatenus admittere: etenim Divi Apostoli ad Laodicenos fertur Ficta Epistola, quam Patres nostri reprobavere ut alienam ab ipso; & Manichæi secundum Thomam introducunt Evangelium, quod Catholica Ecclesia pie tanquam alienum avertit: ita & præsens testimonium dicitur quidem, sed non est S. Patris nostri Epiphanii: ipse namque egregius Pater octuaginta Capitulorum editione facta cunctas hæreses publicavit, Paganas scilicet, & Judaicas, & quotquot post Christianismum factæ sunt, nullam dimittens: & si imaginum factionem alienam a Christo nosset, hanc utique in numero hæreseon statuisset. Et rursus si expositiones has, quæ sunt adversus Venerabiles imagines, Ecclesia suscepisset, non utique imagines pingerentur ad ornatum venerandorum templorum, & commemorationem nostram. Ex ipsis enim Scripturis, quas novitatis præceptores in testimonium proferunt*,

(a) *Epiph. Diac. act. VI. Nic. II. Conc. tom. cit.*

(b) *Act.* 20.

ferunt, earum habetur eversio. Sanctus enim Epiphanius temporibus erat Theodosii, & Arcadii: extenduntur ergo usque ad præsentem hæresim quasi anni quadringenti: & libros adversus imagines nullus Christianorum recepit, nisi falsi novitatis assertores; & si tot annis in Ecclesia non sunt recepti, neque nunc recipiantur... Epistolam enim, quam quidam eorum proferunt falso suprascriptam ejusdem Sancti Epiphanii Cypriorum insulæ Præsulis ad Theodosium Imperatorem nos in manibus accipientes, & scrutabiliter, non transitorie, perlegentes, invenimus in fine Epistolæ sententiam hujusmodi: quia multoties loquutus cum comministris meis, ut auferrentur imagines, receptus non sum ab eis: neque audire vocem meam paululum passi sunt. *Intendamus ergo qui fuerint temporibus jam memorati Patris nostri Epiphanii illustres magistri, & incorruptæ munitiones Ecclesiæ: Basilius Magnus in opere, & sermone, Gregorius cognomento Theologus, Gregorius Nyssensium Civitatis Præsul... & Joannes, cujus a lingua vox melle dulcior effluebat, unde & cognomen aurei oris accepit: insuper & Ambrosius, Amphilochius, & Cyrillus Hierosolymitanus: Si igitur ipse, qui conscripsit horum expositionem dictorum contra venerabiles Imagines, se non receptum dicit a Sanctis Patribus, qui tunc in vita supererant, quomodo falsa Dicta, quæ ipsi Sancti Patres non receperunt, nos.... contra Ecclesiam recipiemus? absit.... temeraria expositio. Caruerunt recto sermone, qui hoc contra Ecclesiam nisi sunt: in nobis sit Christum diligentibus Apostoli dictum:* teneamus traditiones, quas accepimus, & prophanas vocum novitates devitemus: *& mendacia hæc esse sciamus. Libri enim Sancti Patris nostri Epiphanii, sive qui dicitur Ancyrothos, sive reliqui, per omnem orbem terrarum celebrantur, & sonus eorum vulgatus, & propemodum per universam Ecclesiam sparsi sunt. Harum autem ratiuncularum, quæ contra venerabiles imagines murmurant, duo, vel tres per universum orbem libri non inveniuntur; nisi forte noviter scripti sint: & si essent noti in Catholica Ecclesia, sicut ille, qui dicitur Ancyrothos S. Epiphanii, in omnibus est Ecclesiis dilatatus; ita & ipsi dilatati existerent: sed ut extranei, & alieni, & spurii nondum in Ecclesia Catholica recepti sunt, neque apparuerunt: ergo nec nunc, ut pax Dei in omnibus Ecclesiis, & antiqua traditio degat. Ergo & hæc mendacis Assertionis Conscripta, quæ contra Venerabiles Imagines sunt, dicuntur quidem a quibusdam S. Epiphanii esse, sed nullo modo sunt.*

Demum perspiciamus Æcumenicum Concilium Florentinum anno 1468. contra Græcorum errorem, quo Spiritum Sanctum a Filio Dei procedere inficiabantur, celebratum: in cujus quidem sessione xx., quam Dallæus objectat, sive collatione XVII. fuerunt adlegata aliqua opera; quæ non ab Hæreticis, de quorum figmentis hic disceptatur, sed ab aliis vel invecta, vel adlata fuerant; de quibus, ne omnia misceamus, deinceps tractabimus: sed actum est præcipue eadem in collatione, & in sequentibus. De unius libri haud *falsi, & suppositii*, ut opponens sumit, sed genuini, qui S. Basilii Magni fœtus erat, particulis, quæ Spiritus Sancti processionem a Filio respiciebant; quasque nonnulli laudato libro adjunctas, alii non additas, alii ademptas contendebant:

quæ causa ut clarescat, contraque adversarium peragatur; prius librum, ac textum S. Basilii afferamus necesse est. Itaque is S. Doctor libro III. adversus Eunomium, qui Spiritum Sanctum nedum ordine, sed natura quoque tertium a Patre esse, & creaturam impie asserebat, refellit hanc ejus vocem, qua dicit, a Sanctis quidem se didicisse, tertium esse ordine, & dignitate spiritum, a seipso vero credere, natura quoque tertium esse! *qui vero* (ait Basilius) *sint Sancti illi, & in quibus scriptis hanc doctrinam ediderint, dicere non potest. Fuitne unquam homo sic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret? Cur enim necesse est, si dignitate, & ordine tertius est spiritus, natura quoque eum esse tertium? dignitate quidem secundum esse a Filio (ut qui esse ab illo habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis....) pietatis sermo (fortasse) tradit. At natura tertia uti, neque ex Sanctis Scripturis edocti sumus, neque ex prius dictis ulla consecutione colligi potest. Quemadmodum enim Filius Ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est: dignitate vero, quoniam origo ejus est.., non autem natura secundus, quoniam Deitas in utroque una est: ita profecto & Spiritus Sanctus etsi tum ordine, tum dignitate secundus a Filio est, (si etiam hoc crederemus;) tamen non sequi, ut sit alienæ naturæ hinc patet*. Jam vero hunc Basilii librum ut certissimum ipsius opus, quod etiam S. Gregorius Nyssenus ejus Frater percelebravit, tum Latini, tuum Græci in Florentina Synodo adlegarunt, & S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, qui eidem Synodo aderat, commendavit: solumque de illis particulis, quas parenthesi clausimus, ipso in Concilio disceptatum fuit. Quidam enim Basilii libri eas habebant, alii autem nequaquam. Cumque eadem in Synodo prior periocha, quæ Spiritum Sanctum a Filio procedere vincit, ab Joanne Ordinis FF. Prædicatorum Theologo, & Latinorum, qui istud dogma tuebantur, Patrono adlata esset: Marcus Ephesinus Episcopus, natione græcus, relati erroris propugnator pervicax, exceptione usus asseruit; codices, unde ea lectio ab Joanne deprompta fuerat, mendis scatere, atque ejusmodi libros quatuor, vel quinque esse Constantinopoli; alios vero sinceros amplius mille, qui puram lectionem exprimerent, illoque enuntiato carerent, ibidem exstare. Contra quæ Joannes reposuit, illum Basilii *Librum*, seu codicem, quem adhibuerat, *antiquissimum* esse, atque ita incontaminatum, ut omnem depravationis suspicionem excluderet: quandoquidem ante sexcentos annos, quam Florentina Synodus haberetur, in membranis exscriptus, & postea Constantinopoli in Italiam a Nicolao Cusano Cardinali advectus, ac præterea talibus punctis, talique litterarum ordine dispositus fuit, ut in eo non litura, non defectus, non denique additio deprehenderetur. Adhæc S. Antoninus de eodem Concilio loquens, ipsamque priorem Basilii periocham spectans, ait: (a) *adducti sunt plures Codices Basilii ad Eunomium græce exarati; quorum aliqui erant apud Græcos; alii penes La-*

(a) S. Anton. tit. 22. cap. 13.

Latinos nostros græci sermonis peritos; & quum in nostris, & aliquibus Græcorum de Constantinopoli adductis liquido haberetur, Spiritum Sanctum, ex Patre, & Filio procedere: deprehensa est malitia Græcorum, quod scilicet corruperant scripta Basilii, Filium subtrahendo in ipsa processione. Tum vero Joannes monstravit, illa, *fortasse*, &, *si hoc concederemus*; in Basilii textum intrusa, & Codices, quos Marcus Ephesius adducebat, adulteratos fuisse, quia *libri antiquissimi* S. Basilii hasce dubias particulas neutiquam continebant; & quia eædem particulæ utpote ambiguæ aberant a Basilii ratione, qua uti Filium Ordine, non natura, secundum a Patre esse indubitate posuit; ita Spiritum Sanctum non natura, sed ordine tertium a Patre numerari, propter Evangelicam Baptismatis formam sine dubitatione aliqua declaravit. Non igitur, ut Dallæus supponit, ea in Synodo disputatum est de laudato Basilii libro, quasi huic Sancto subditus foret; neque *alii adversum alios*, nimirum Latini in justæ causæ suæ defensionem adversum Græcos eundem librum supposititium dixerunt; quum ipsum ut certum Basilii fœtum utrique habuerint, annuentibus quidem S. Antonino, ipsoque Concilio: sed tantum de ejusdem libri adulteratione Joannes, & Marcus, aliique tractarunt. Atque Joannes Codicem, quo usus fuerat, vetustissimum, & incorruptum, & a depravatis sejunctum adduxit. Ex adverso autem particulæ illæ dubiæ, atque a Basilii argumento alienæ, sive noxiæ additionum falsitates in codicibus, quos aliqui Græci depravarunt omnino patebant; ac non ita obscurissimæ erant, ut ex iis emergere aliquando nequaquam liceret; propterea quod idem Theologus eas Basilii contextui additas dilucide ostendit. Quam ob adjunctionem non verisimillimum, at falsissimum est, ipsum Basilii librum, qui modo sub hujus nomine legitur, eidem a nonnullis Græcis prædictum errorem sequentibus suppositum esse; cum iisque nos, dum in germano Basilii Codice hunc Sanctum legere certo putamus, habere negotium; in eoque libro illos Fidei hostes sub amici persona occultari: quoniam liber is, aliusque codex ei similis ut certus, & sincerus Basilii, non illorum Nebulonum, partus eodem in Concilio sit agnitus: unde sequitur, metuendum non esse, ne illorum errantium commenta tanquam Basilii placita ex veris, intemeratisque hujus codicibus quandoque eliciantur: non enim impostores illi, etsi callidi, sua errantia venena, & falsa fundamenta tectiori fraude, minus obvia, & perniciosiori in incorruptis ejusdem libris huc illuc collocasse censendi sunt; quippe quod iis in libris *veritas* eluceret, *non Falsitas*; quæ in depravatis codicibus, & aperta in violatione perniciosis, qui ab intemeratis secreti fuere, cernebatur. Quocirca Joannes Marco Ephesio id dedit responsum: „ (*a*) ad factum libri ita di-
„ cimus, quod iste liber anno præteri-
„ to de Constantinopoli adductus est,
„ & dominus Nicolaus de Cusa porta-
„ vit; & est liber in membranis,
„ non in papyro, & antiquissimus,
„ itaut secundum judicium plurimorum,

(*a*) *Concil. Florent. Par. II. Collat. XVII. sess.* 18. *Concil. Labb.*

„ rum, qui viderunt, visa antiquitate, videatur scriptus ultra 600. „ annos, & sic ante separationem „ hanc: & est ita correptus, & ordinatus, ut nihil deficiat. Dico „ igitur, quod falsitas non potest attribui huic libro de additione: „ primo, quia nunquam fuit apud „ latinos, nisi modo: videatis omnes vos, si est posita rasura, vel „ additio: secundo, quia ratio istius „ additionis, de qua dicitis, non „ videtur posse attribui latinis; quia „ usque ad horam præsentem ... ex „ vestrismet libris, & ex Synodis „ antiquissimis apparet manifeste, „ quod vitium corrumpendi libros .. „ fuit deprehensum in partibus vestris ... (a). Venio ad primum, „ quum dicitur „ Fortassis; *& dico, quod hæc particula*, Fortassis, pietatis tradit sermo, „ magnam maculam „ inducit Basilio, quia id, quod ab „ aliquo probatur, debet esse notum „ apud probantem, quia per ignota „ nullus posset quid manifestare. „ Sapientes hoc dicunt, & ratio dictat.. Modo hic intendit confutare illam consequentiam, quam Eunomius inferebat, quod si dignitate, & ordine esset tertius, ut habebat a Doctoribus, credebat, „ quod esset tertius etiam natura. „ In toto processu capituli vult (*Basilius*) deducere ex scripturis, quod „ aliqui sunt primi, secundi, & tertii ordine, & dignitate; & tamen „ non sequitur, quod sint tertii natura: & hoc capit pro magno fundamento suo. Si dixisset, fortassis, „ videretur dubitare de eo, quod expediebat esse certissimum ad confutandum Eunomium: quod absurdum est dicere de tanto Doctore, „ quia iste Doctor habuit commendationem in Chalcedonensi Concilio, dicentibus Patribus, quod „ doctrinam Sancti Spiritus diligentius tradidit (b). „ Modo si dubitasset, dicens, Fortassis, quomodo potuit „ dubitans doctrinam Spiritus diligentius tradere? ex his duobus capitibus nullo modo potest poni illa particula sine magna nota Basilii: & ideo ut corruptiva veræ „ sententiæ debet abradi de libris, „ ubi est scripta. Tertio, quia in „ homilia de Spiritu Sancto ipse „ aperte dicit, quod *Spiritus accipit a Filio*; & hoc sine ulla dubitatione, „ & trepidatione; immo ex multis auctoritatibus præmissis videtur apertissime, quod Spiritus accipit a Filio, „ non aliquod creatum, ut nos, sed „ Divinum esse .. quia, quod Spiritus accipit, ab æterno accipit: „ quia quod Filius a Patre audit, „ est scientia: scientia autem in Divinis idem est, ac esse juxta expositionem omnium Latinorum, & „ Græcorum ... & ita Spiritus audiens a Filio, accipit a Filio, & „ illa audientia est esse, & essentia „ Divina, quæ omnia accipit a Filio. Quomodo est imaginabile hoc, „ quod in hac homilia de Spiritu „ Sancto, quam fecit in die solemnitatis, dixerit accipere sine dubitatione, & in alio loco ille Spiritus, quo erat plenus, fecisset sibi scribere hanc maximam dubitationem, Fortassis? nam ratio veritatis est ratio diffusa in Scripturis Sanctis, quas homines pleni „ Spiritu exposuerunt; & ex illis concludit contra Eunomium. Modo ad „ par-

(a) *Ib. Collat.* 18.

(b) *Conc. Chalc. in alloc. ad Marc. Imp.*

„ particulam ultimam ibi : „ ita liquet, quamvis dignitate, & ordine „ succedat, & contradicit primæ positioni: & sibi, quia primo dicit, „ Fortassis, hic autem absolute dicit, *quamvis dignitate*, *& ordine* „ *&c.* quod dicunt illi falsarii Basilii „ hoc concedere; non tamen, *inquit*, sequitur, quod alienæ naturæ existat. „ Sic ex duobus capitibus, & auctoritate adlegata, & ex „ alio capite, quia additio maculat „ famam Basilii, aperte ostenditur, „ quod ly accipere esse in Divinis „ est idem, quod procedere. Et his „ testimoniis Spiritus accipit esse a „ Filio claret manifeste, quod procedit ab eo ... modo dicit Basilius, quod hic Eunomius non exprimebat, qui erant illi sancti : „ nec etiam ponebat eorum libros, „ ex quibus ponerentur auctoritates „ sanctorum, qui dicerent, dignitate, & ordine tertium esse Spiritum, & ex illis crederet per consequentiam, quod esset tertius natura. Modo Basilius vult dicere, „ quod tales auctoritates Sanctorum „ non contingit inveniri, qui dicant, „ quod sit tertius dignitate, & ordine, & quod ex his possit inferri, quod sit tertius natura, & ex „ hoc arguit eum de consequentia „ sumpta, quia ipsemet ponit multas auctoritates scripturæ, in quibus apparet de ordine, & dignitate, non tamen, quod sit alterius „ naturæ; & ideo concludit Basilius „ post authoritatem, & exempla Angelorum, stellarum, & mansionum, „ quæ sunt in vita æterna ita concludit: ita profecto & Spiritus Sanctus dignitate, & ordine succedit „ Filio : „ accepimus eum, *inquit*, tertium a Patre, & Filio numerari, ipso Domino in traditione salutaris baptismatis docente ordinem, dum dixit, euntes baptizate (*a*) in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: in aliquam vero tertiam naturam dejectum nunquam didicimus. *Et probat argumento maximo:* quum duæ res dicantur, Deitas, & Creatura, Dominatio, & servitus, sanctificatio, & qui sanctificatur: *Et infra dicit sic ;* in quanam parte Spiritum ponimus? in iis, qui sanctificantur? absit. Ipse enim sanctificator est: nefas ergo est, connumerare Creaturis eum, qui Divinæ, beatissimæque Trinitatis adscribitur numero. *Ex quo apparet, quod non accipit esse, quod connumeretur Creaturæ ; quia dicit*, quod omnis res aut est Deitas, aut creatura ; *& quum non sit in numero creaturarum, sed in Deitate: in illa dicit tertium dignitate, & ordine; & dignitas .... dicitur .. relatio principii in origine Divinarum personarum ad intra. Et hoc Basilius ostendit, dicens*, non in aliquam naturam tertiam ejici Spiritum, *quod proprie dicuntur homines.... Si est tertius, hoc est secundus etiam a Filio .. modo si accipit esse, quod probatum, concessum, & verissimum est: ergo de necessitate procedit ... Procedamus ad alia ... ut appareret manifeste, quod Veritas* (*b*) *se habet, ut est in nostris libris, & nullo modo ut in libris vestris: ego volui habere copiam de verbo ad verbum, prout est in libro nostro... consideravi, in quibus convenimus, & in quibus differimus. Differentia est, quia ubi noster dicit*, Dignitate namque secundus a Filio, ab

(*a*) *Matt.* 28.

(*b*) *Ib. Collat.* 19.

ab eo esse habens, & ab eo accipiens, & annuntians nobis, pietatis tradidit sermo: *postea sequitur*, natura uti tertia &c. *modo vester liber totum hoc abstulit, & facit istum saltum, & dicit sic*: dignitate secundum esse a Filio, Fortasse Pietatis tradidit sermo: *& postea sequitur:* natura uti tertia &c. *nunc apparet, quod verba abstulistis. Secundo volens probare Basilius, ut est in Filio respectu Patris, applicando similitudinem de Spiritu Sancto: similitudo currit, quod ut Filius est dignitate, & ordine a Patre secundus, natura non secundus; ita Spiritus Sanctus dignitate, & ordine secundus a Filio: quod sine ulla dubitatione ponit noster liber, ostendens consequentiam necessariam ex similitudine Filii ad Patrem, & Spiritus ad Filium. Vester liber ponit respectum dubitationis dicens*, si etiam hoc concederemus: *ita quod arguit ex supposito dubio. Tertia differentia est in fine, ubi positis exemplis Angelorum, & stellarum, & mansionum in Cœlo, Basilius ex antecedenti absoluto, & vero infert consequens absolutum, & verum absque aliqua dubitatione; ita dicens in nostro libro*: ita profecto Spiritum dignitate, & ordine tertium suscepimus. *Et probat hoc per sermonem. Pietatis, ubi format hunc ordinem, assignans causam:* accepimus tertium a Patre numerari, ipso Domino in traditione baptismatis dicente, baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & hic est sermo pietatis, in quo Basilius fundat, quod dignitate, & ordine tertius est spiritus secundum libros nostros; & hoc valde bene convenit; quia antecedentia de Angelis erant absolute posita, dicens sic:* quemadmodum se habet in Angelis, quod aliqui existentes secundi, vel tertii dignitate, & ordine; non tamen sunt extra naturam Angelicam: *hoc est, quod in Angelis absolute sine conditione qui sunt secundi, vel tertii ordine, vel dignitate, non sunt extra naturam Angelicam, ita est in personis Divinis; & sicut unum est absolute dictum, ita & aliud... postea in redditione causæ liber vester dicit:* accepimus enim tertium ordine, & dignitate: *& sic non est differentia inter nos, & vos. Credo bene me replicasse librum vestrum, & nostrum. Modo quum in nullis aliis viderim differentiam, patienter ferendum est, si instamus pro intelligentia huius Capituli, quod est principium tertii libri contra Eunomium. Nam si hæc fundamenta essent dubia, liber vester parum probaret in toto libro...* (a) *Et hoc volui dicere..., ut confidentius confitearis veritatem nostri libri.* (b) *Beatus Gregorius Dialogus dicit, qualiter nos debemus habere, quum est diversitas in libris. Quidam Narses Patricius Constantinopolitanus erat devotus Gregorii; & quum fuisset ipse ibi legatus longo tempore, scripsit sibi sic:* quod in tertia Synodo invenerat certos damnatos, *& rogat, ut quid de eis sentiat, respondeat. Beatus Gregorius respexit ad Synodum, quæ erat Romæ, & non reperit illa, & dicit sic:* dubito, quod factum sit in hac tertia Synodo, prout factum fuit in quarta Synodo; quia post illam quidam Timotheus, & Aca-

(a) Collat. 20.
(b) Sic loquitur, ut Græci, qui S. Gregorium Magnum appellabant Dialogum, quod Dialogos composuerit.

Acacius reversi sunt ad opinionem cum Hæreticis contra Concilium Chalcedonense, & quod prius fecerant, raserunt de Chalcedonensi Synodo, quod erat contra eos: & facta est dissensio usque ad Vigilium Papam, a quo tempore fuit reperta corruptio. Consideret Charitas vestra vetustos codices tertiæ Synodi, & videatis, si quid tale reperitur. Si quid inveneritis, transmittatis; quia mox transmittam. Novis codicibus passim non credatis. *Modo in hac controversia, etiamsi. essent mille volumina falsa, & essent aliqua pauca antiquissima, ut nostri libri sunt, debemus dare Fidem huic antiquitati.*

Sed Testium abunde est; quorum copia ostenditur, multos legitimos antiquorum Patrum libros a compluribus scriptis, quæ potissimum vetusti Heterodoxi subdiderunt, vel quæ isti aut falsis inscriptionibus, aut erratis corrupere, secerni; atque ita inter utraque Opera confusionem nullam inveniri, illorumque genuinorum librorum auctores Patres dignosci: quod etiam Dallæus ipse, cujus verba plenius post referemus, veritate coactus admisit; dum ex iis voluminibus, quæ *Hæretici* sæpe finxerunt, haud difficulter nos *expediri posse* fassus, utique dissimulando vidit, conscripta, quæ iidem veteratores Patribus appinxere, nullis caliginibus ob erroris antiquitatem obsideri, de ipsis figmentis aliquando, & semper nos eximi; illaque percipi expeditius posse; ac germanos Veterum Doctorum codices ab illis nothis, adulterinis, & clare pestiferis omnino distingui. Atque etiam adversarius inspexit, ex iis singulis scriptis commentitiis, quæ iidem Hæretici frequentioribus artibus effinxerunt, perperam velut generatim colligi, plures veterum Doctorum libros, qui impræsentiarum germani dubio procul habentur, ac sub vero ipsorum nomine perleguntur, ab Heterodoxis verisimiliter fictos fuisse; eosque iisdem operibus genuinis personatos obvolvi; nosque cum iis Nebulonibus, dum quemque auctorem orthodoxum legere profecto existimamus, negotium habere; quippe quam illationem ipse adversus testes ab se in antecessum citatos extuderit. Quandoquidem ab eo adlati, Eusebius, Marcianus Imperator, Synodus quinta Æcumenica, Leontius, Concilium generale sextum, septimum, ac Florentinum, scripta illa aut supposititia, aut depravata, & crebra Hæreticorum artificia resecarunt, simulque multos Patrum libros non sub eorum impostorum personis, sed sub veris, propriis, ac certis antiquorum Doctorum nominibus, sub quibus hodieque ipsos lectitamus, palam legerunt. Quamobrem pavendum minime est, ex germanis Patrum conscriptis Hæreticorum fictiones, errantesque fallacias tanquam a Veteribus enuntiatas aliquando elici posse. Quoniam laudati antiquiores Critici testificati sunt, in legitimis, sincerisque Patrum voluminibus *apostolicam doctrinam*, *rectam fidem*, *dicta Hæreticorum blasphemias impugnantia*, Ecclesiasticæ *pietatis sermonem*, *doctrinas clare orthodoxam fidem pronuntiantes*, ac veritatem *inesse*: non autem illa, quæ *adversus recta dogmata* Heterodoxi finxere, neque adeo falsa istorum fundamenta, nec errores aperte venenatos, passim contineri. Quibus omnibus Dallæi excogitationes, confusiones, obstacula, tenebræ, formidines ac falsa argumenta radicitus evelluntur.

§. III.

Dallæi Objectationes ex Bibliopolis, ac librariis, exque Scriptoribus, qui veterum quorumpiam nomina ementiti sunt, excerptæ pelluntur.

EXinde Dallæus libros a priscis Heterodoxis vel effictos, vel contaminatos; illasque absurdas, quas exagitavimus, consecutiones, dimittit; ac voluminum genuinorum, nothorumque, de quibus differitur, fictitiam confusionem resumit. Quare Bibliopolas, & librarios, qui vetustorum Ecclesiæ Doctorum libros exscripsere atque ad ambitiosa quædam ingenia, & audacia, quæ fucosas litteras suas sub nonnullorum Patrum nomine falso evulgarunt, fuse pertransit.

Unde isthæc obtrudit: (a) ,, quamvis hujusmodi dolis veteres libros
,, Hæretici plurimum confuderint,
,, attamen si ii soli fraudibus grassati
,, essent, non ita difficile esset, nos
,, ex iis expedire. Verum, quod te-
,, terrimum est, & ferme insanabile
,, malum, apud ipsam Ecclesiam,
,, & quidem a vetustissimis usque
,, temporibus, fraus ista in usu fuit.
,, Tanti mali auctores sæpius fuisse
,, existimo Bibliopolas & Librarios,
,, qui ante inventam Typographiam
,, libros manu exarabant. Jam tuo
,, tempore querebatur, & quidem ve-
,, hementer, Hieronymus de eorum
,, negligentia, & audacia in corrum-
,, pendis libris: (b) *scribunt*, inquit,
,, *non quod inveniunt, sed quod in-*
,, *telligunt; & dum alienos errores*
,, *emendare conantur, ostendunt suos:*
,, dubium non est, quin qua licen-
,, tia libros corruperunt, eadem &
,, suppoluerunt; eoque magis, quod
,, hoc suo, illud vero nullo facie-
,, bant compendio. Nec enim quic-
,, quam in rem suam faciebant,
,, cum libros corrumpebant, sed cum
,, pro vilibus, & obscuris nomini-
,, bus grandia, & illustria sufficie-
,, bant; longe luculentius, & carius
,, vendebant. Quoties in manus ve-
,, niebat opus Anonymum; vel no-
,, men quidem præferens, sed igno-
,, bile, vel infame: tum illi ne fæ-
,, dis, & ignominiosis istis notis
,, merx sua vilesceret, novum, prio-
,, re inducto, nomen audacter ap-
,, ponebant, quod in Ecclesia eorum
,, esset & venerabile, ut ea gratia
,, merci pretium adderetur. Exem-
,, pli causa: merito invidia inter
,, Christianos laborabat Novatiani
,, nomen: author enim fuerat schis-
,, matis adversus Ecclesiam Roma-
,, nam. Tertullianus vero tum
,, propter ætatem, tum propter
,, ingenium, & eruditionem me-
,, rito magni fiebat: hoc animad-
,, vertens librarius ad rem attentus,
,, unius lucri gratia, mea quidem
,, sententia, mutare instituit, & li-
,, brum de Trinitate Tertulliano in-
,, scripsit; qui tamen revera erat
,, Novatiani; (c) quod ipsum ab
,, Hieronymo accepimus. Eandem
,, vel certe simillimam fuisse fortem
,, libri de pœnitentia, qui hodie
,, Tertulliano tribuitur, pene sen-
,, tio. Sic libri de operibus Christi
,, Cardinalibus ab authore suo (quod
,, ipse profitetur) suppresso nomine
,, ad Papam quendam missus (cujus

&

(a) *Dal. cap. 3. cit.*
(b) *Hier. Epist. ad Lucin.*

(c) *Hier. Apol. 2. Cont. Ruff.*

„ & ipsius nomen in codicibus editis tacetur, manuscripti nonnulli Hadrianum præferunt) Cypriano inscriptus est a Librario commodis suis serviente: adeo ut, quemadmodum olim, sic & nunc sub isto nomine feratur; tametsi satis pateat, non esse Cypriani; quod & multi tam harum, quam illarum partium Viri docti ingenue agnoscunt. Non erat nullius in Ecclesia nominis Ruffinus; longe tamen aberat a fama, & existimatione Cypriani; hinc factum est, ut Ruffini in Symbolum Apostolorum opus Cypriano tribuerint Librarii. Narrat Senatos Cassiodorus, qui anno D. 514. suo nomine Consul signavit, quasdam in 13. Pauli Epistolas adnotationes, (a) *subtilissimas* quidem, & *brevissimas*, sed *erroris tamen Pelagiani veneno infectas*, suo tempore in *cunctorum manibus ita celebres habitas fuisse, ut eas a S. Gelasio Papa urbis Romæ doctissimi viri studio dicerent fuisse conscriptas; quod solent*, inquit, *facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere*. Hæc de veteribus. Sed & sui, id est, superioris sæculi librarios multum hac in parte peccasse queritur Sixtus Senensis. (b) *Nihil*, inquit, *præter quæstum, arte sua quærentes, novos quotidie librorum fœtus emittunt adulterinos, suppositiios, pseudopigraphos, & nothos, præpositis absque judicio, & pudore in Frontispiciis operum; quo ipsa & carius, & citius vendant; falsis auctorum illustrium inscriptionibus. Hoc sane artificio supposuerunt nobis inter multos spurios partus Quæstiones in Genesim Philonis Judæi; quæstiones Justini philosophi, & Martyris ad Gentes; quæstiones Divi Athanasii ad Antiochum; Origenis Paraphrasim in Job, ejusdemque in eundem Commentarios: item Arnobii Rhetoris in Psalmos commentaria; Eusebii Emesseni homilias in Evangelium; Ambrosii in Apocalypsim explanationes; Hieronymi in Proverbia lib. 3., & in lamentationes Hieremiæ libros tres; Eucherii in Geneseos, & Regum historias libros octo. Et cum his alia plurima sub nomine præsertim veterum Patrum adscititia opera; quorum dogmata, Stylus, ac tempora magis ab ipsorum titulis, vel inscriptionibus distant, quam Cœlum a Terra*. Tum quorumdam vesaniam exagitat, qui sub diversis duorum, aut trium auctorum titulis unum, idemque opus exhibuerunt: ut qui easdem in Leviticum homilias modo Origenis, modo Cyrilli nomine excuderunt. Qui eandem in Ecclesiasten paraphrasim Gregorii modo Neocæsariensis, modo Nazianzeni titulo prænotarunt; eosdem in Proverbia commentarios primo Bedæ, postea Hieronymo tribuerunt; easdem in Job commentationes modo Philippi Presbyteri, modo Bedæ nomine vulgarunt; & eadem collectanea in Hexaemeron tum Bedæ, tum Junilii Afri appellatione censuerunt; & easdem denique Psalmorum explanationes prius Hugoni Carensi, posterius Alexandro Halensi inscripserunt. Atque hæc hactenus quidem Sixtus; pleraque veris-

(a) Cass. Div. instit. lib. 8.

(b) Sixt. Sen. præfat. in BB.

„ veriſſime. Nec ſola librariorum „ avaritia his fraudibus anſam præ- „ buit: inſcitia etjam tum ipſorum, „ tum illorum, quos conſulebant, „ fœtibus his adulterinis plerumque „ obſteſtricavit: ſi ſcripti dubii no- „ men ad aliquod vetus accederet, „ ſi ſtylum referret, ſi argumentum „ conveniret, vel quæpiam alia ra- „ tio ſaltem probabilis priorum eſſe „ temporum ſuaderet; nomen antiqui „ alicujus auctoris illico præfigebant, „ & ſub eo exſcriptum ad ſui tempo- „ ris homines, & per eos ad poſte- „ ros tranſmittebant. Nec ſoli libra- „ rii hujuſmodi fraudum accuſandi „ ſunt: nunquam non exſtitere in- „ genia ſtulte ambitioſa, quæ quo- „ quo modo ſenſa ſua in lucem ede- „ re geſtierunt, & plurimum ad has „ fallacias contulerunt. Quum ſe ho- „ mines iſti neque viribus, neque „ gratia ſatis inſtructos eſſe intelli- „ gerent, ut per ſe populo placerent; „ veterum nomina ſunt ementiti; „ cum mallent ſibi ſub alieno nomi- „ ne plaudi, quam ſe ſub vero, & „ proprio exſibilari. Hi pro captu „ ſuo fœlicius, infœliciuſve veterum „ ſtylum, & ingenium expreſſerunt; „ & ſub eorum nomine ſua opera in „ vulgus nullo pudore ediderunt. „ Cum autem inter mortales mini- „ ma fere ſapientum, & eruditorum „ copia ſit; qui minus cauti, & per- „ ſpicaces fuere; nullo diſcrimine „ ſubdititios iſtos fœtus exceperunt, „ & foverunt, iiſque Bibliothecas „ omnes referſerunt. Fuere alii, quos „ ad eaſdem artes non ambitio, ſed „ quædam alia prava, & incondita „ ſtudia impulere. Sic fuere, qui cum „ vehementi vel hominum quorun- „ dam, vel etiam ſententiarum ſtu- „ dio tenerentur; de his ſcribere in „ animum induxerunt ſub nomine „ virorum clarorum, ut pondus, & „ efficaciam ſuis ſcriptis adderent. „ Iſta propemodum videtur fuiſſe „ mens Presbyteri illius, qui Pauli, „ & Theclæ (a) περιόδους in lucem „ edidit; qui de eo convictus apud „ S. Joannem, confeſſus eſt, quod „ eſſet libri auctor, ſeque id amore „ Pauli feciſſe. Talis item fuit Ruf- „ fini Presbyteri Aquilejenſis auda- „ cia; quem jure optimo paſſim re- „ prehendit (b) Hieronymus: ille ut „ Origenis honori conſuleret, ſub „ nomine Sancti, inſigniſque Mar- „ tyris Pamphyli Apologiam pro eo „ ſcripſit; licet revera eam partim „ ex primo, & ſecundo libro Euſebii „ de eodem argumento deſumpſiſſet; „ partim ſuo marte fabricatus fuiſſet. „ Ejuſmodi libido ipſum inceſſit, „ cum Sixti cujuſdam Philoſophi Py- „ thagorici librum ſub Sancti Sixti „ Martyris nomine edidit, ut gra- „ tior eſſet, & acceptior. Quid am- „ plius? Nonne eodem tempore, ip- „ ſoque ſuperſtite Hieronymo vir „ quidam diſertiſſimus ægre ferens, „ ab eo Hebræa volumina in lati- „ num verſa, Epiſtolam ejus nomine „ ſcriptam, quaſi ab Hebræis in ado- „ leſcentia ſeductus ad id animum „ appuliſſet, cujus adeo pœnitentiam „ agere confinxit, clamque, & illo „ inſcio, Romæ, & in Africa in vul- „ gus diſſeminavit. Gregorius Papa „ cognomento magnus aliquid ſibi „ ſimile contigiſſe teſtatur: queritur „ enim ſuo nomine ab Andrea quo- dam

(a) *Hier. lib. de Script. Eccl. ex Tertull. lib. de Baptiſ. c. 17.*

(b) *Hier. lib. 2. Apol. cont. Ruff.*

„ dam græco Monacho ſcriptos fuiſ-
„ ſe ſermones: (*a*) *inter diverſa ma-*
„ *la*, inquit, *aliquos etiam ſermones*
„ *ſcripſit*, *atque eos ex noſtro nomine*
„ *titulavit*: ipſe eos *reſcindi*, *&*
„ *omnino aboleri jubet*: *ut quod*, in-
„ quit, *imperitus litterarum*, *& ſcri-*
„ *pturæ Divinæ neſcius*, *noſtro*, *ſicut*
„ *diximus*, *nomine prænotavit*, *quo-*
„ *rumdam animos non poſſit inficere*,
„ quis ad tantam audaciam non
„ perhorreſcat? quis hæc fieri vel
„ potuiſſe crederet, niſi Hierony-
„ mus, & Gregorius facta eſſe te-
„ ſtarentur, deque illata ſibi injuria
„ quererentur?

Ecquid ego amplius argumentor? veniat in medium ipſa oppoſitio; qua Dallæus nothas Pauli, & Theclæ periodos, ſive acta, de quibus exinde cumulatius tractabitur, defert; quæ quidem acta confuſionem ab ipſo opponente exaggeratam contundunt; cum ſecundum Euſebium, S. Hieronymum, alioſque commemorandos cunctis Divinis Apoſtoli Pauli litteris, Canonicis Apoſtolorum actibus, cæteriſque Sacris Scripturis inconfuſa fuerint; & uti talia ab eruditiſſimo quoque certo habeantur, cujuſdam Presbyteri, qui ea confinxit, artificio nequaquam obſtante. Sic ergo germana omnia Patrum opera cum tot nothis, quot ille, demptis nonnullis, infarcit, confuſa non ſunt, aliquorum, qui quoſdam libros Patribus ſuppoſuerunt, oſcitatione haud officiente: ac proinde ex ipſis fictitiis conſcriptis nos expedire difficile haud eſt propter eam diſtinctionem; qua ſicut volumina, quæ priſci Heterodoxi finxere, ab Apoſtolicis Scripturis, & genuinis Patrum monumentis proclivius diſcrevimus; ita opera, quæ alii Patribus appinxere, nullo negotio dignoſcimus; a legitimis eorum libris ſecernimus; noſque ex cunctis adulterinis ſcriptis facile eximimus.

Hinc ut teterrimum, & fere inſanabile malum, quod adverſarius tum librariis, & Bibliopolis, quam ambitioſis, & inconſultis ingeniis impingit, brevi evellam; & argumentationem omnem in ipſum retorqueam, ac poſtea fuſe ſingulas objectationes diluam: idcirco vetuſtiſſima tempora prius ab eo ſumpta, eaque ingenia poſterius repetita, primum aggredior; & appello S. Joannem Apoſtolum priori Eccleſiæ ſæculo celeberrimum: qui, teſte Tertulliano, & Dalleo fatente, ſpurias illas Pauli, & Theclæ periodos repulit: ac Tertullianus quoque antiquiſſimis temporibus natus eadem acta, quemadmodum conſpiciemus, abjecit: quod ipſum Hieronymus quarto ſæculo Tertulliani ætatem ſequente clarus admonuit; qui etiam Epiſtolam ſibi ſubditam, de qua præloquuti ſumus, eliminavit; ac præterea ſignificavit, aliqua volumina, quæ non librarii, & Bibliopolæ, ſed alii aliis falſo tribuerunt, quorumpiam auctorum propria eſſe; quædam autem ſuppoſita; verumtamen a veris veterum operibus ſejuncta: quam Criſin ſæculo ſexto ſectati ſunt Eccleſiaſtici Tractatores. Quod ſi aliqui, non omnes, recentes librarii, & Bibliopolæ quædam ſcripta nonnullis Eccleſiaſticis viris adfinxerint; nihilominus ipſa a germanis horum libris nuperi Critici diſtin-

(*a*) *Greg. Epiſt. Lib. x. Epiſt. 69. ad Euſ. Theſſ.*

distinxerunt. Illud ergo suppositorum voluminum figmentum etiamsi quidpiam monstri habuerit, non fuit tamen a vetustissimis usque temporibus teterrimum malum, & ferme insanabile; quoniam ab antiquissimis hominibus, & sapientissimis, atque a Recentioribus ablatum est. At neque ab iisdem prioribus usque temporibus idem commentum fuit apud universam Ecclesiam; sed apud aliquos imprudentes, ac rudes; qui, exceptis Hæreticis, quorum dolus inde abjicietur; erant quidem in Ecclesia; sed huic ipsi suis fraudibus neutiquam offecerunt; nullamve librorum genuinorum, nothorumque permixtionem importarunt; eorum quippe fictiones a celebratis auctoribus deprehensæ sunt, ac reprobatæ.

Et vero id figmentum fecit suppositionis plagam, non quæ propemodum insanabilis fuit, sed quæ resecari facile potuit, jamque incisa omnino perspicitur. Hujus tamen effectores S. Hieronymi temporibus sæpe non fuere aut librarii ab eo inducti, qui ante inventam typographiam libros manu exarabant; aut Notarii, qui vel auctorum opera, vel oratorum dictata brevibus quibusdam notis quam citissime scribebant: aut Bibliopolæ, sive librorum venditores; qui a librariis suo nomine, quod ex iis græcis vocabulis, Βιβλίον, *liber*, & πωλέω, *vendo*, emanat, distinguebantur; nam libros transcribere idem non est ac vendere: quæ duo quamvis homo unus efficere queat, nihilosecius utraque adlato discrimine haud carent.

Quare; ut illud Dallæi argumentum, quo operum depravationem falso memorat, & ab iis vitiatis ad supposita transit, exagitem; adnoto non universos librarios, sive exscriptores, Hieronymi tempore transcribendorum operum rudes fuisse; nec omnia hæc ab illis indiligenter exscripta: quod S. Damasus Pontifex Summus, eidem coævus, Epistola ad ipsum missa indicavit: qua eum rogans, ut nonnullis quæstionibus responderet, hoc præmisit: (a) *quoniam, Tabellario ad me remisso, nullas te jam Epistolas habere dixisti, exceptis iis, quas aliquando in eremo dictaveras, quasque tota aviditate legi, atque descripsi.... libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram*: quibus Damasus indigitavit, ea plura Hieronymi opera, quæ hic *in Eremo dictaverat*, quæque ita a librariis transcripta fuerant, recte exarata, non corrupta, fuisse; secus ipsa Damasus neutiquam *descripsisset*. Tunc ergo non omnes librarii socordia, atque inertia in describendis operibus laborarunt. Quapropter Hieronymus in Epistola ad Lucinium Bæticum non cunctos exscriptores, sed aliquos desidiæ, non violationis librorum, neque eorum fictionis, redarguit. Quum enim Lucinius ab eo petiisset, ut sibi ejus opera mitteret; ob idque sex Notarios, qui illa transcriberent, ipsi misisset; istique eadem citissime descripsissent, nec ea cum Hieronymi Archetypis, & Apographis sedulo contulissent; ac S. Doctor longo tentus incommodo ipsa relegere nequivisset: tum is Lucinio scripsit: *opuscula mea, quæ desiderare te dicis, ad describendum homi-*

(a) S. Dam. Epist. ad Hier. inter Hier. Epist. 35. tom. 1.

hominibus tuis dedi, & descripta vidi in chartaceis codicibus: ac frequenter admonui, ut conferrent diligentius & emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentia commeantium, & Peregrinorum relegere non potui; &, ut ipsi probavere præsentes, longo tentus incommodo, vix diebus quadragesimæ, quibus ipsi proficiscebantur, respirare cœpi. Unde si paragrammata repereris, vel minus aliquando descripta sunt, quæ sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed Tuis, & imperitiæ notariorum, librariorumque incuriæ, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; & dum alienos errores emendare conantur, ostendunt suos. Porro Josephi libros, & Sanctorum Papiæ, & Polycarpi volumina falsus ad te rumor pertulit, a me translata. Origenis, & Didymi pauca transtulimus... Canonem Hebraicæ veritatis, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis, & Notariis dedi describendum. His S. Doctor haud obscure insinuavit, solos *Lucinii Notarios*, *Librarios*, ac *pueros*, sive servos, atque adeo non cæteros omnes exscriptores, quos Dallæus indiscriminatim, & injuste petit, segnitie laborasse, & imperitia; ob quas illud, quod intelligerent, non id, quod invenirent, scribebant. *Errores* quoque illi non orthodoxæ fidei opponebantur; nec librorum illorum violationem, neque tituli figmentum, sed menda spectabant, sive *paragrammata*, quibus & *minus aliqua descripta*, inde *sensum legentis* impedirent, ac perturbarent: quæ tamen in illo exemplari ab Lucinii Notariis exarato reapse non inerant; siquidem Hieronymus, de istorum negligentia, qua illud cum ipsius archetypis, probisque apographis ab illo secretis haud contulere, conquestus, & conditionali conjunctione *si* usus, aperte voluit, in eo apographo *paragrammata* ob eorum amanuensium inertiam conditionaliter reperiri potuisse, verum absolute non esse; præsertim quum S. Doctor ipsum *relegere non potuerit*: qui non vehementer, uti Dallæus objicit, aut omnium Librariorum, & Bibliopolarum, aut exscriptorum Lucinii negligentiam, & audaciam in corrumpendis operibus reprehendit; quippe quod ea reapse depravata nec viderit, nec perhibuerit.

Nunc elidamus adversarii argumentum, quod ex productis Hieronymi verbis educit, dicendo, *dubium non est*, quin Librarii qua licentia libros corruperint, eadem & supposuerunt: quod sane est falsum. Num enim si Lucinii Notarii S. Doctoris libros negligenter conscripserunt; ac si, id quod permittimus, non concedimus, ab eis unum, non omne, Hieronymi exemplar violatum fuit: inde certo sequetur, illud ab ipsis S. Doctori suppositum? Vah irrita illatio! Testis sit Hieronymus ipse, qui inibi Lucinio ita apertissime loquutus est: *Opuscula mea.... ad describendum hominibus Tuis dedi, & Descripta vidi in chartaceis codicibus*; non igitur mihi, vel aliis subdita, sed *mea* utique sunt, tametsi ab *hominibus* tuis oscitanter exarata: quare cum eadem opuscula S. Doctor sua expresse declararit, & *descripta viderit*: & ex eo, quia illi Librarii aliqua, non cuncta, volumina indiligenter exararunt, planissime efficitur, omnino falsum, non verum, nec certum, esse, ab ipsis ista fuisse subdita; atque Hieronymi verba solos illos Librarios, non cæteros, a quibus Dallæus aliorum

Pa-

Patrum libros corruptos, & suppositos fingit, tangentia ad suppositionem trahi non posse; ac tandem dubium non esse, quin Censoris argumentatio ab Hieronymi expressione, a certitudine, a veritate maxime abhorreat.

Neque etiam Bibliopolæ, quos Argutator post illud Hieronymi testimonium avaræ cupiditatis insimulat, Ecclesiasticorum auctorum scripta iisdem temporibus corrumpebant, eoque magis suo compendio supponebant, ut pro contemptis, & obscuris nominibus illustria subjicientes, longe luculentius, & carius opera venditarent: nam ex ipso S. Doctore ea accusatio falsæ suppositionis arguitur; utpote qui de Lucinii *Notariis*, *Librariis*, ac *Pueris*, non de Bibliopolis libros vendentibus, uti perspeximus, sermonem liquido fecerit.

Quo autem prius de opere auctoris nomen præferente, & posterius de anonymo scripto, quod Dallæus primum attingit, & postea repetit, disputem: falsum est, a vetustis librariis, ac Bibliopolis alicujus libri ignobile nomen, vel infame in insignem præclari auctoris inscriptionem majoris lucri ergo permutatum fuisse. Quo enim exemplo suos illos verborum apparatus censor cumprimis ostentat? Novatiani libro de Trinitate: quem ille ex celebrati Hieronymi Apologia II. adversus Ruffinum adducit; cujus tamen Apologiæ auctoritas a nobis in probationibus posita opponentem refellit: secundum quam Librarius ad rem non ignobilitatis, non præstantiæ, non quæstus, sed scripti attentus, non convertit illius libri titulum, qui Novatiano prænarrati schismatis auctori tribuitur, in nomen Tertulliani, qui ob ætatem, ingenium, eruditionem, & opera ab hocce, antequam in errorem rueret, concinnata magni fiebat: id ille facere non instituit, neve inscriptionem mutavit; quippe quod idem liber, contraquam Dallæus falso dictitat, *Novatiani*, non Tertulliani, *titulo inscriberetur*, sicut aperte Hieronymus docuit; atque etiam *styli ejus operis proprietate*, quæ Novatiani erat, idem confirmavit adversus Ruffinum: quem *mentitum* fuisse, quia ipsum librum Tertulliani opus dixisset, S. Doctor eadem inscriptione adprobavit. At si isthæc a Librario, & Bibliopola ob unius lucri causam mutata fuisset, neque ex libri *titulo* eum Novatiani, non Tertulliani esse partum; nec Ruffinum *mentitum* esse Hieronymus arguisset: quibus contraria quum is argumentatus sit, & asseruerit, certe hac assertione Dallæi *Sententia*, aut opinatio, qua antiquum Librarium, & Bibliopolam ex illo Hieronymi loco sugillat, effringitur. Sed neque titulum mutavit Ruffinus; iste enim eundem librum Tertulliani opus esse tantummodo *dixit mentiendo*; ac non ita ipsum Tertulliano false inscripsit; præcipue quod mendaci in dicto, non in commutata inscriptione ab Hieronymo sit reprehensus. Quod si Ruffinus eum librum *Constantinopoli a Macedonianæ partis hæreticis* sub S. *Cypriani* nomine lectitari adjecit; tamen liquet, istud *mentientis* labe, sive mendacio haud vacare, ac proinde in Falsi suspicionem venire, absoluteque verum non esse: quod Hieronymus indigitavit; utpote qui *non Cypriani*, sed *Novatiani* librum illum etiam *dici* testatus fuerit. At Ruffino largiamur, verisimile esse, ipsum titulum immutatum fuisse, non

in Ter-

in Tertulliani, ut Dallæus occentat, sed in Cypriani nomen: nihilominus ille Scriptor non librarios, & Bibliopolas, sed *Macedonianos* istius mutationis auctores extitisse contendit. Illi autem Hæretici etiamsi unum, vel alterum ejusdem libri exemplar quadamtenus depravarint; profecto non omnium Codicum titulos corruperunt; propterea quod ipsius scripti archetypa, vel apographa, quæ Hieronymus vidit, *non Tertulliani*, *non Cypriani*, sed *Novatiani titulum* referebant & *stylum*: qua distinctione S. Doctor aperuit, Codices suos cum nonnullis exemplaribus violatis confusos non esse.

Nonne autem Dallæus Erasmo, qui librum de Pœnitentia Tertulliano primitus temere abjudicavit, velificatur, & fallitur; dum eum librum eidem authori a librariis subditum objicit? Legitimus namque, verus, certusque est Tertulliani liber non *hodie* solum, sed a vetustissimis usque temporibus ipsi optime inscriptus. Quæ res ex S. Paciano Barcinonensi Episcopo ante medium quartum sæculum nato, sicque Tertulliani ætati, qui tertii sæculi initiis obierat, suppare demonstratur: qui epistola III. ad Sempronianum adversus Novatianorum tractatus disceptat, hisque Hæreticis, multa e Tertulliano, quæ is in hæresim lapsus conscripserat, *sumentibus* opponit ejusdem Scriptoris sententiam, quam hic, dum *Catholicus* esset, illo in libro de pœnitentia exaraverat, quaque *posse Ecclesiam peccata dimittere*, contra ac Novatiani errando nugarunt, docuerat. Quoniam igitur Tertulliani nomine S. Pacianus scriptum illud collaudat, certum est, idem opus Tertulliani esse fœtum, atque a librariorum nemine eidem adfictum; immo Tertulliani nomen a priscis, & nuperis exscriptoribus illi operi merito, ac jure præfixum. Quocirca S. Pacianus librum ipsum appellans epistolam, quod ad assumentes pœnitentiam a Tertulliano scriptus fuisset, ita fatur: (a) *Tertullianus* adfertur *post hæresim; nam multa inde sumpsistis: ipsum epistola sua, & ea ipsa, quam Catholicus edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere.* Exploso autem Dallæi commento; deinceps Erasmi oppositionem, qua idem scriptum cæteris Tertulliani operibus elegantius compositum, & ita ipsius prolem haud esse argutatur depellimus: siquidem uti Apologeticus adversus Gentes numerosiori dicendi genere, quam liber adversus Judæos, elaboratus est; ex eaque re deduci nequit, aut unum, aut alterum a Tertulliano non fuisse productum; quia illa styli differentia pertenuis, non magna est in utroque: ita stylus libri de pœnitentia stylo aliquorum Tertulliani operum paulo elegantior videtur; sed ab hocce non multum discrepat; quin etiam stylo scripti *de oratione*, quod certissimum Tertulliani opus esse pernoscitur, simillimus est, ipsiusque Septimii genium, qui in cæteris ejus voluminibus cernitur, præsefert. Itaque Tertulliano ob S. Paciani testificationem, ob eamque magnam styli similitudinem rectissime adscribitur, cumque supposititiis conscriptis, a quibus cuncta genuina ejusdem scriptoris opera discreta sunt, haudquaquam confunditur.

(a) S. Pacian. epist. 3.

Hic Dallæus ad opus anonymum, quod ab antiquis librariis subditum ante prætexuit, remigrat: atque auguratur, illi tractatui, qui *de cardinalibus*, sive principalibus Christi operibus inscriptus est, *olim a librario commodis suis serviente*, S. Cypriani Martyris nomen appositum esse: quæ subditiva appositio cuilibet vetusto exscriptori immerito imputatur: siquidem quamvis liber ille S. Cypriano vere suppositus sit; quia & a veterum nemine indigitatur, & illius stylus a Cyprianico admodum differt; nihilosecius a nullo prisco amanuense S. Martyri adfictus fuit; neque enim ulla antiqua Cyprianicorum operum Manuscripta tractatum illum repræsentant; & idcirco non solum ista ab illo secreta sunt, sed nec a quovis antiquo, qui ipsius Martyris volumina calamo exaraverit, huic Sancto subditus est. Quare non omnis, sed aliquis recens librarius imperitus post duodecimum sæculum ei Martyri eundem librum appinxit: etenim alius gnarus exscriptor non S. Cypriano, sed alteri recenti, & proprio auctori librum ipsum, cum veris ejusdem Martyris scriptis haud confusum, inscripsit: (*a*) quod ex manuscripto Oxoniensis Collegii codice, quem Natalis Alexander, & Labbæus adducunt, evincitur; quippe qui Codex librum de Cardinalibus Christi operibus sub nomine Arnoldi Bona-villarensis Abbatis missum ad Hadrianum Papam exhibeat. Is vero Pontifex Summus, cujus tempore, nimirum sæculo duodecimo, Arnoldus Abbas Bonæ-vallis in Diœcesi Carnotensi florebat, Hadrianus IV. putatur. Præterea verborum structura, & phrasis, quæ illo in libro conspiciuntur, stylo aliorum conscriptorum, quæ Labbæus eidem Arnoldo indubitanter adscribit, valde similes sunt. Sicque illius Codicis exscriptor proprium illius authorem, qui aliunde se texerat, sciens, illi operi istius nomen jure præfixit. Quas ob causas idem liber non, uti quidam autumarunt, antiqui Scriptoris, sed Arnoldi authoris nuperi fœtus censeri debet; hinc hodie sub ejus, non sub S. Cypriani nomine in editis libris perlegitur. Quispiam igitur recens librarius, non antiquus; atque etiam aliquis, non omnis, nuperus exscriptor, librum illum S. Cypriano imprudenter adfinxit, nulla inducta confusione; quam & veteres Codices explodunt, & isthæc ratio nullam demoustrat; quod soli Arnoldo Carnotensi ab alio librario erudito adscriptus sit.

At neque vetusti exscriptores Ruffini Præsbyteri Aquilejensis quarto, & quinto sæculo noti expositionem in Apostolorum symbolum S. Cypriano martyri propter majorem hujus existimationem inscripserunt; quum Gennadius Præsbyter Massiliensis, Ruffino suppar, in virorum illustrium Catalogo, quem anno 495. clausit, de ejusdem Ruffini operibus egerit, istique illam his verbis tribuerit; (*b*) *proprio labore, immo gratiæ Dei dono exposuit idem Ruffinus symbolum, ut in ejus comparatione alii nec exposuisse credantur:* quibus Gennadius eam expositionem Ruffini esse.

(a) *Nat. Al. tom. 3. Hist. Eccles. sæc. 3. cap. 4. art. 4. Labb. in Dissert. de Arnol. Carnot. tom. 1. op. Bellarm. nov. Ven. edit.*

(b) *Genn. in Catal. Vir. ill. cap. 17. tom. 2. op. S. Hier. nov. Ver. edit.*

se *propriam* non docuisset; nisi & ipsi inscriptam, & ejus stylum in ipsius voluminibus manu exaratis, quæ tractabat, visum legisset: propter quæ eandem ita Ruffini præcipuam voluit & absolutam, ut ne aliorum quidem in ipsum symbolum scriptæ explanationes, quas utique viderat, quasque cum illa sine critico experimento conferre non poterat, ei comparandæ essent; non quod alii veteres Apostolicum Symbolum minus apte pertractarint; nam ii magnam ipsius symboli partem, sicut ex ipsorum monumentis liquet, recte declararunt; sed quod vix ulla unquam antiqua ejus symboli explicatio Ruffini expositione absolutior videretur. Quo licet certo existimare, a manuscriptis, quæ Gennadius aspexit, sic Ruffini titulum, exponendique modum esse relatos, ut isti, non aliis auctoribus, competerent; neque cum cæterorum explanationibus confunderentur. Quocirca in prisco codice Sangermanensi, quem nuperus Cyprianicorum operum editor laudat, (a) ea *expositio symboli Ruffino* expressim inscribitur. Perperam ergo Dallæus carpit antiquos exscriptores tanquam illius expositionis, quam quidam recentior librarius, non omnis, S. Cypriano adfinxit, subjectores; quoniam priores illi antiquitus ipsam non ei martyri, sed Ruffino, qui vere illius auctor exstiterat, sedulo adscripserunt. Nec vero universi posteriores librarii idem opus S. Cypriano supposuere; quandoquidem, uti Guillelmus Cave Heterodoxus narrat, (b) illa expositio sub Ruffini nomine inter Hieronymi opera habetur: nuperus ergo librarius, a quo ista edita sunt, non lucri cupidus, sed diligens fuit; ita ut inter Hieronymi volumina ipsam non in Hieronymi, non in Cypriani, at in Ruffini nomine numerarit, & scripserit. Quare si aliquis sequior librarius aliter eam inscripsit, profecto confusionem, quam hic non exstare ex aliis monstravimus, minime attulit.

Sedenim Dallæus librariis minus bene adnectit eos, a quibus quæpiam in S. Pauli Apostoli epistolas brevissimæ adnotationes Pelagiano erroris plenæ S. Gelasio I. Romano Pontifici, qui aliunde epistola ad Episcopos per Picenum constitutos Pelagianas hæreses confutavit; & quendam Senecam istarum pravum defensorem anathemati prope quinti sæculi finem addixit, non inscriptæ quidem, at verbo tenus suppositæ fuerunt; quæ vitiosa suppositio nihil confudit. Ea namque commentaria a Cassiodoro repræsentata Pelagius Hæresiarcha illius sæculi principiis, priusquam idem Gelasius aut oriretur, aut floresceret, certe produxerat, suumque nomen ab iisdem passim præferri, ne agnosceretur, vafre noluerat: quæ nihilominus istius Hæresiarchæ opera esse quibuslibet aliis Ecclesiasticis Tractatoribus non convenientia, legitimisque horum voluminibus per se se inconfusa, gravissimi, ipsique Pelagio coævi scriptores Ecclesiastici prænarrarunt. Quos inter prior recensendus est S. Augustinus, eximius illius Hæresiarchæ expugnator, ac multo ante Cassiodorum percelebris; cui quum Marcellinus Comes plures de peccato originali quæstiones Carthagine

 misis-

(a) *Videsis legitima opera S. Cypriani, & opuscula huic falso tributa nov. Venet. edition. pag.* CLXXIX.

(b) *Cav. in Hist. litt. Eccl. Script. de Oper. S. Cyp. falso adscriptis.*

misisset: Augustinus ipse duos libros de peccatorum meritis & remissione, aut de Parvulorum baptismo circa annum 412. ei scripsit; quibus Pelagium, ejusque asseclas tacito nomine refutavit, sic eos posse corrigi sperans: cum autem paulo post Pelagii quædam scripta in Pauli Apostoli epistolas perlegisset, & plura illius argumenta ab se haud exagitata contuitus esset; ad horum expugnationem tertium addidit librum. Hinc libro primo coarguit erroneam Pelagii interpretationem in illis adnotationibus, uti ab ipso S. Doctore postea indicatur, positam; qua ejusdem Pauli dicta isthæc ad Romanos, (*a*) *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, explicabat de culpa, quæ non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisset; quod Augustinus, cujus verba hic prænotanda sunt, ita refellit: (*b*) *Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione, sed imitatione intraverit, ejus Principem non Adam, sed Diabolum diceret, de quo legitur in libro Sapientiæ*, (*c*) invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum, .. imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius . . *imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei: sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus; aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & Christum imitantur sancti ejus ad sequendam justitiam . . . sed præter hanc imitationem gratia ejus illuminationem, justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur . . . hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori; qui certe imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille, in quo omnes vivificantur, præter quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam Fidelibus gratiam, quam latenter infundit & Parvulis:* Sic & *ille, in quo omnes moriuntur, præter quod eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes: hinc omnino, nec aliunde Apostolus dicit*, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors ... *hoc Propagationis est, non imitationis; nam si imitationis, per Diabolum diceret: quod autem nemo ambigit; istum primum hominem dicit, qui est appellatus Adam*. Porro eam explicationem ab illo Hæresiarcha in prædictis expositionibus exaratam fuisse S. Doctor in tertio libro sic innuit: *post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta*, (*d*) *quæ in Pauli Apostoli epistolas expositiones brevissimas continerent. Atque ibi comperi .. quandam eorum argumentationem, qui negant parvulos peccatum originale gestare ...* (*e*) *sic ergo illa argumentatio posita est*; hi autem, *inquit*, qui
„ contra traducem peccati sunt, ita
„ illam impugnare nituntur: si Adæ
„ peccatum etiam non peccantibus
„ nocuit: ergo & Christi justitia
„ etiam non credentibus prodest;
„ quia

(a) Rom. v. v. 12.
(b) S. August. lib. 1. de pecc. mer., & remiss. cap. IX. tom. X.
(c) Sap. 2. v. 24. & 25.

(d) S. Augustin. lib. 3. de pecc. mer. & remiss. cap. 1.
(e) Cap. 2. ibid.

„ quia similiter, immo & magis dicit per unum salvari, quam per „ unum ante perierunt „ ... *Dicant itaque; Christi justitia quid baptizatis parvulis prosit? dicant omnino quid velint, profecto enim si se Christianos esse meminerunt, aliquid prodesse non ambigant .. unde coguntur parvulos baptizatos in credentium numero deputare, & auctoritati sanctæ ubique Ecclesiæ consentire, quæ Fidelium eos nomine non censet indignos ... sicut ergo eorum, per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt ... jam cæteris, quæ Pelagius insinuat eos dicere, qui contra originale peccatum disputant, in illis duobus prolixis mei operis libris satis ..., dilucideque respondi ... quamquam toto ipso loco, ubi .. Apostolus loquitur, nihil mihi videatur ambiguum, nisi quod ait,* (*a*) Adam formam futuri. *Hoc enim revera non solum huic sententiæ convenit, qua intelligitur, futuros ejus posteros ex eadem forma cum peccato esse generatos: sed etiam in alios, & alios intellectus possunt hæc verba deduci .. & ipse Pelagius non uno modo exposuit ... nunc illud, quod ait Apostolus,* per unum hominem &c. (*b*) *sic accipiamus, ne tot, tantisque divinarum scripturarum testimoniis .. infæliciter repugnare videamur; neque enim alio sensu dictum est ad Romanos .., quam illo, quo dictum est ad Corinthios*, per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, (*c*) sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur: *nemo quippe ambigit, hoc ibi de Corporis morte dictum; quoniam de resurrectione corporis magna Apostoli intentione quæstio versabatur ... nemo itaque de hac re fallatur, & fallat*. Omnes adimit, *atque aufert iste sacræ Scripturæ sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis hujus, sic ab origine tractum est peccatum in hac carne peccati; propter quod sanandum .. medicus venit in similitudine carnis peccati ... proinde quod ait Apostolus, quum Fideles moneret, ut se ab infidelibus conjugibus non disjungerent;* (*d*) sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in Fratre; alioquin Filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt ... (*e*) *est accipiendum, quemadmodum & nos alibi, & Pelagius quum eandem ad Corinthios epistolam tractaret, exposuit, quod* exempla jam præcesserant, *& virorum, quos uxores, & fœminarum, quas mariti lucrifecerant Christo, & parvulorum, ad quos faciendos Christianos voluntas Christiana etiam unius Parentis evicerat*. Rursum in libro de gestis Pelagii Augustinus hæc memoriæ prodidit: (*f*) *sunt quædam expositiones epistolæ Pauli, quæ scribitur ad Romanos, quæ ipsius Pelagii esse dicuntur*. Tum etiam in libro de peccato originali errores Pelagii magis detegens, ista narravit: *Post*

(a) Rom. v. 14.
(b) Cap. XII.
(c) 1. Cor. 15. 21.
(d) 1. Cor. 17. 14.
(e) S. Augustin. lib. 1. de sermon. Domini in monte cap. 15.
(f) S. Augustin. in lib. de ge. Pel. cap. 16. tom. X.

(*a*) *Post rescripta Africani Concilii .. alia quoque ipsius in urbe Roma, ubi diutissime vixerat .., cura Fidelium Fratrum prolata patuerunt; quæ litteris suis, quas conscripsit per orbem Catholicum perferendas, Papa Zosimus exsecrandas, sicut legere potestis, adtexuit: ubi Pelagius epistolam Pauli Apostoli ad Romanos velut exponens argumentatur, & dicit*, si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit: ergo Christi justitia etiam non credentibus prodest; *& cætera hujusmodi, quæ omnia, Domino adjuvante, in libris, quos scripsimus de baptismo Parvulorum refutata, & dissoluta sunt; & ea quidem in ipsis quasi expositionibus non ex sua Persona est ausus objicere; sed ibi hoc dicebat, ubi multis notissimus erat, & quid sentiret, ac diceret, latere non poterat*. Sed & eadem Pelagii scripta Marius mercator ejus æqualis notavit; dum in *Commonitorio* caussam, ob quam Pelagius cum Cælestio ipsius sectatore a Romanis Pontificibus damnatus sit, ita edisseruit: (*b*) *Ut autem & Pelagius cum ipso pariter damnaretur, istud in causa est: ausus est memoratus ante vastationem urbis Romæ in Apostolum Paulum Commentarios condere, & his edere, de quorum amicitia præsumebat. Explanare autem se putavit singula Apostoli verba, vel sensus. In epistola igitur, quæ est ad Romanos, quum ad illa loca venisset, Ubi vas electionis ita loquitur;* propterea sicut per unum „ hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransivit, *hæc-nus credidit exponendum: quem librum ejus habemus, & proferimus ad convincendum inimicum ejus errorem: ita ergo idem ait:* per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, exemplo, *inquit*, „ seu imagine usus est; quia „ sicut quum non esset peccatum, „ per Adam subintravit, sic & cum „ non remansisset justitia apud aliquem, vita per Christum reparata est: *& in omnes homines mors pertransiit;* cum sic, *inquit*, „ qui „ peccant similiter, & moriuntur. „ Neque enim aut in Abraham, „ aut in Isaac, aut in Jacob mors „ pertransiit, de quibus Dominus „ ait, hi omnes vivunt. Hic autem, *inquit*, propterea dicit omnes mortuos, quoniam multitudine peccatorum non excipiuntur „ pauci, sicut & ibi inquit, „ non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum. *Et post pauca;* sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ: „ sive cum non esset, „ *inquit*, qui inter justum, & injustum discerneret; putabat mors „ se omnibus dominari, „ sive in eos, qui mandatum tanquam Adam prævaricati sunt, hoc est, de Filiis Noe, quibus præceptum est, ut animam in sanguine non manducarent; „ & de Filiis Abraham; quibus circumcisio mandata est; sed & in „ eos, qui præter mandatum legem „ contempserunt naturalem. Qui est „ forma futuri: Quoniam, *inquit*, „ sicut Adam præter coitum a Deo formatus est, sic & Christus ex Virgine, fabricante Spiritu sancto, pro-

(*a*) *In Lib. de pecc. orig. cap.* 21. *&*.

(*b*) *Mar. Merc. in Comment. cap.* 2.

processit : „ sive, sicut quidam dicunt, forma a contrario, hoc est, „ ut sicut ille caput peccati, sic iste „ caput justitiæ sit. Sed non sicut „ delictum, ita & donum, ne in „ forma, *inquit*, æqualitas putaretur. Si enim in unius prævaricatione multi mortui sunt, multo magis dono, & gratia Dei per unum hominem Christum in multos abundavit. „ Plus valuit, inquit Apostolus, gratia in vivificando, „ quam peccatum in occidendo; „ quia Adam se solum, & suos posteros interfecit: Christus vero & „ eos, qui tunc erant in corpore, „ & hos, qui postea futuri erant, „ liberavit. „ *Hic sollicitus Catholicus lector notet, quod dicat*, Adam non sibi soli, sed & posteris suis nocuisse: *tene superiorem definitionem ejus: Posteros enim hic dicit* non omnes *ubique, & omnino totos homines læsos illius peccato, sed illos tantum, qui* per imitationem similiter suis peccatis, & propriis *facti sunt rei prævaricationis sicut Adam*.

Tot testimonia latius descripta commonstrant, illas *expositiones brevissimas*, sive *Commentarios* in epistolas Pauli, quos Pelagianis erroribus temeratos Cassiodorus post sexti sæculi initia memoravit, *Pelagii* esse *scripta*: in quibus ut iste delitesceret, ipsa quasi occultato suæ personæ nomine sparsim pervulgavit: & idcirco S. Augustinus prius dixit, quod ea *Pelagii* esse *dicuntur*; quæ vox in illis Pelagii nomen passim præfixum non fuisse significat: at postremo S. Doctor asseruit, *cura Fratrum patuisse*, easdem *expositiones* esse *Pelagii*, quas is *litteris* suis *adtexuit: quarum expositionum omnia* Augustinus in *libris de Baptismo Parvulorum*, uti præmonuimus, *refutavit*, atque *dissolvit*. Et quidem Pelagium *ausum* fuisse, eos *Commentarios condere*, & *his, de quorum amicitia præsumebat, edere*, testatus est Marius Mercator; qui ipsum *librum ejus*, quo Pauli epistolas exponebat, a semet *proferri* asseveravit. Non ergo ambigendum, quin illæ adnotationes, quas Cassiodorus retulit, Pelagii sint proles.

Et quamvis prior expositio epistolæ ad Romanos ab ipso Cassiodoro quadamtenus emendata sit; ob idque aliquot a Pelagii hæresi, qua supernam Dei gratiam prævenientem negabant, abhorrentia contineat; & aliqua argumenta culpæ originalis exstantiam temere impugnantia, quæ Augustinus retudit, non habeat: tamen in ea plures interpretationes errori, quo Pelagius noxam originariam inficiabatur, consonæ reperiuntur: unde Cassiodorus *Divinarum lectionum* capite 8. hæc protulit; *primam epistolam ad Romanos, qua potui, curiositate purgavi*: quod indicat, non cuncta errata, quæ in ea expositione, quam Pelagius fecit, inerant, a Cassiodoro correcta, sed quædam, quæ corrigere *potuit*: quo factum est, ut plura falsa Pelagii dicta de eodem peccato ibidem reliquerit; quæ, verbis aliquot immutatis, talia sunt, qualia vel Augustinus innuit, vel Marius adduxit: quæque a Cassiodoro post Pauli Apostoli verba ita exhibentur: in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, *exemplo, vel forma* ... & ita in omnes homines mors pertransivit: *dum ita peccant & similiter moriuntur; non enim in Abraham, & Isaac, & Jacob pertransiit; de quibus dicit Dominus*, omnes enim illi vivunt. *Hic autem ideo dicit omnes mortuos, quia in multitudine pecca-*

cato-

catorum non excipiuntur pauci, (*a*) *sive in eos omnes pertransiit, qui humano, non cælesti ritu vivebant*. *Item nunc Apostolus mortem animæ significat ..., sicut Propheta dicit*, anima, quæ peccat, ipsa morietur: *transivit enim & in omnes homines, qui naturalem legem prævaricati sunt*: In quo omnes peccaverunt; *hoc est in eo, quod omnes peccaverunt, exemplo Adæ peccant* .... qui est forma futuri; *sive ideo forma fuit Christi; quia sicut Adam sine coitu a Deo factus est; ita ille ex Virgine, Spiritu sancto operante, processit: quidam dicunt forma e contrario; hoc est, sicut ille peccati caput, ita iste justitiæ: item forma Christi Adam factus est; sicut enim Adam primus mandatum Dei prævaricans, exemplum est legem Dei prævaricare volentibus; sic & Christus voluntatem Patris complens, exemplum est imitari eum cupientibus*. Nam non sicut delictum, ita & donum, *ne in forma æqualitas putaretur* ... *Hic manifeste docet, quia non generaliter de omni homine dicit, dicens*, unius delicto multi mortui sunt, *quia communi, & naturali morte non solum peccantes, sed & justi moriuntur* ... igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ .. *quomodo potest unius delicto Adæ omnes homines condemnare; cum nec unius Christi justitia omnes homines justificati sunt? omnes autem dicens, non generaliter omnes dicit, sed uniuscujusque partis significat multitudinem*.

Ex his liquet, quod Cassiodorus ex ea expositione argutias contra peccatum originale prave factas expunxerit; at illas virulentas interpretationes ad ejus culpæ negationem aperte tendentes reliquerit: quibus ille Hæresiarcha Pauli Apostoli sententias ita explanat, quasi hic voluerit, per unum hominem peccatum intrasse in mundum *exemplo*, & imitatione, non propagatione: ac mortem non ferri in omnes, qui ex Adam nati sunt, velut *Abraham, Isaac, & Jacob*, vel nascuntur, ut alii *justi*; sed tantum in illos, qui *similiter, sicut Adam, peccant*, transire, & dominari: cæterum homines aut *peccantes*, aut *justos naturali morte*, non autem ex originali delicto orta, reapse mori; denique *omnium hominum condemnationem non generaliter de omni homine, sed de uniuscujusque partis multitudine* dici. Quas errantes enuntiationes Augustinus consulto in antecessum relatus elisit, & Marius coarguit; Cassiodorus autem nequaquam correxit; nempe ut ipsas prædicti Hæresiarchæ proles esse constaret: quibus etiam is inibi istud adjecit, *insaniunt*, (*b*) *qui de Adam per Traducem ad nos asserunt venire peccatum*: quem errorem Fidei Catholicæ, quæ peccati ex Adam originarii propagationem edocet, repugnantem a Notario post Cassiodori correctionem eidem expositioni epistolæ ad Romanos denuo appositum esse, nonnulli frustra arbitrantur. Quia, cum errata, quæ Marius ab ipso Pelagio, non ab alio, profecta fuisse & conscripta præsignificavit, in illa expositione, quam Cassiodorus imperfecte castigavit, legan-

(a) *Hæc Pelagii expositio, & cætera extant in operibus S. Hieronymo falso adscriptis tom. xi. operum ejus nov. Ver. edit.*

(b) *Pel. in expos. epist. ad Rom. cap. 7.*

gantur: profecto alius error de illius peccati *Traduce*, quem Augustinus quoque rejecit, prioris Pelagianæ editionis haud absolute ab ipso Cassiodoro emendatæ proprius est, non in eam a librario rursum postea intrusus: quam editionem ipsius Hæresiarchæ fœtum fuisse inde firmatur, quod in expositione epistolæ 1. Pauli ad Corinthios, quæ expositio priori adjungitur, ea reperiantur, quibus Pelagius illud Apostoli, *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, isto modo, qui ab Augustino, affertur, declarat; *exemplum refert, quia sæpe contigerit, ut lucrifieret vir per mulierem*. Quamobrem ista expositio, aliæque S. Hieronymo a quibusdam inscienter imputatæ sunt; quum Augustinus, & Marius Hieronymo, ac Pelagio coævi, illas Pelagio, non Hieronymo, adscripserint. Quo aliqui Cassiodori ætate easdem expositiones, quas anonymas idem Hæresiarcha subdole passim ediderat, Gelasio Pontifici oretenus falso attribuerunt, non reapse inscripserunt; propterea quod illi ex Cassiodori verbis, quæ Dallæus producit, eas (*a*) *a Gelasio Dicerent fuisse conscriptas:* hoc igitur iidem false dixerunt, non inscriptione quadam Gelasio imputarant; ideoque antiquis librariis ab adversario minus apte adnexi sunt. Ac certe id solummodo pronuntiarunt *vitioso studio*, nullaque testimoniorum Augustini, & Marii inspectione; quippe quorum ipsi, quantumvis *doctissimi*, haudquaquam meminerint; easque *gloriosi nominis* ejusdem summi Præsulis *authoritate* fallaciter *defenderint:* quæ fallacia ex eo liquet, quia apud illos duos Testes *viris* istis antiquiores, graviores, ac doctiores eadem Commentaria, antequam Cassiodorus, ipsique *viri* orti essent, *Pelagii*, ac non adeo Gelasii, opera erant; ob quam evidentem distinctionem cum omni certo hujusce scripto ab aliquorum vocibus, studiis, ac præjudiciis confundi utique nequiverunt.

Hæc de exscriptoribus, qui extiterunt ante inventam typographiam: cujus post inventionem non cuncti, sed aliquot nuperi librarii, & Bibliopolæ quibuspiam Patribus non omnia genuina horum scripta, quæ veteres commendarant, sed alia quædam imperite supposuerunt: quæ tamen ficta volumina ut talia, utque germanis eorum Codicibus inconfusa aut ex coætaneorum, suppariumque testium silentio, aut ex magna styli diversitate, aut ex personarum, temporum, dictorumque in ipsis contentorum qualitatibus procliviter dignoscebantur. Præterea iidem recentes librarii aliqua vera quorumdam scriptorum Ecclesiasticorum opera aliis falso tribuerunt; quæ nihilominus illorum, non istorum scripta esse evincebantur non solum ex stylo, cæterisque circumstantiis; verum etiam ex coævorum, suppariumque auctorum testimoniis. Quas distinctiones Sixtus Senensis, qui sæculo XVI. florebat, primum in *Bibliothecæ sanctæ Præfatione* a Dallæo incassum adducta generatim indicavit: Ubi ille celebratis litteris sacris, de quibus, deque ipsarum tractatoribus acturus erat, ait, quod (*b*) Deus „ accivit in „ Ecclesiam suam ex omnibus totius

Dissert. II. Ee orbis

(*a*) Cassiod. Divin. lect. cap. 8.
(*b*) Sixt. Sen. Præf. in octo Bibl. sanct. libros tom. 1.

„ orbis nationibus interpretes .., & „ Doctores varios, qui beatas utriusque Testamenti scripturas in præcipuas Gentium linguas transducerent; & abdita in eis mysteria non „ solum vivis verbis referarent, sed „ etiam calamo . . in paginis, & „ Codicibus diutius duraturis pie, „ ac perspicue explicarent, relinquentes nobis in omnes tam veteris, quam novi instrumenti partes varia sacrarum explanationum „ opera ... quibus tam egregiis litterarum monumentis ne vel hominum incuria, vel temporum .. „ injuria interitum adferret; excitavit Deus non paucos Ecclesiæ antistites . . ., qui sacrorum authorum sudores, & vigilias toto orbe terrarum .. conquisitas colligerent, magnaque fide .. in Codicibus emendatissimis describerent, „ deinque ex iis Bibliothecas .. extruerent. Pretiosissimis sanctorum „ Ecclesiæ Doctorum monumentis „ refertas ... verum ... accidit, „ ut huic sacro Ecclesiasticæ Bibliothecæ thesauro nunc jacturam attulerint ignorantia . . . , „ avaritia, temeritas, ambitio, & „ impietas multorum ... ex quibus „ Typographi .., & Bibliopolæ quidam, nihil, præter quæstum, arte sua quærentes, novos quotidie „ librorum fœtus emittunt adulterinos . ., & alia plurima sub nomine præsertim veterum Patrum ascititia opera, quorum dogmata, stylus, ac tempora magis ab ipsorum „ titulis, & inscriptionibus distant, „ quam cœlum a terra &c. Ex hoc igitur scriptore *quidam* ejus ætatis librarii, & Bibliopolæ, non universi, Patribus aliquos, non cunctos libros, qui genuini horum fœtus, & a suppositis distincti erant, ac sunt, inscite appinxerunt; siquidem Sixtus *egregia* sacrarum explanationum monumenta, *quæ sanctorum Ecclesiæ Doctorum, & interpretum lucubrationes fuere, prius universim laudavit: ac deinceps adulterinos libros ab eorum veterum, quorum titulos falso ferebant*, dogmatibus, stylo, ac temporibus, quæ quidem in germanis ipsorum operibus perspiciebantur, *distantes*, atque ita ab istis illos secretos, generatim monstravit.

Jam & eas res in quarto ejusdem operis libro, particularibus operum, quæ in Præfatione tetigerat, distinctionibus a Dallæo dissimulatis, Sixtus aperuit: cujus aliqua verba non alphabeti ordine, quem ipse eo in libro tenuit, sed chronica authorum, quos opponens nequicquam enumerat, distributione, sic ad elidendam confusionem afferamus:

„ Philo Judæus, (*a*) patria Alexandrinus .., ab Eusebio, & Hieronymo in catalogo scriptorum „ Ecclesiæ idcirco positus est; quia „ librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam Ecclesia scribens, Christianorum gentem miris encomiis exornavit ... scripsit „ autem in vetus Testamentum plurima . . volumina, quæ Eusebius „ secundo Historiæ Ecclesiasticæ libro in tres classes digessit, hoc „ est, primo in libros continuæ explationis: secundo in libros quæstionum . . de diversis scripturæ „ capitulis . . ., tertio in libros propositionum, in quibus varias scri-„ ptu-

(*a*) Sixt. Sen. Domin. lib. IX. Biblioth. Sanctæ tom. 2.

„ pturæ sententias separatis commentariis pertractat ... legi autem sub nomine Philonis Judæi fragmentum quæstionum, & solutionum in Genesim: quod quidem ipsa doctrina, & phrasis arguunt viri esse Judæi, non tamen Philonis; nam præterquam quod Philonis nomen in ipso opere non semel citatur, & ejusdem sententia taxatur; damnantur etiam in eo nominatim Apollinaristæ Hæretici, quod negaverint, animam humanam fuisse in Christo.

„ Justinus, genere Samaritanus, stoicæ sectæ Philosophus, ut ipsemet in secunda Apologia pro Christianis ad Antoninum Imperatorem testatur, civis fuit Flaviæ Neapolis Palæstinæ ... hic itaque inter multa ingenii sui immortalia monumenta, reliquit in Apocalypsim Joannis Commentaria. Creditur etiam esse author cujusdam libri, qui prænotatur centum & quadraginta sex quæstionum, quas gentes ex variis locis utriusque Testamenti Christianis objiciebant, cujus initium sic habet, *Unde principium est:* hunc Joachimus Perionius Benedictinus latine vertit: Sed cum in ejusdem libri quæstionibus 82. 86. & 115. citentur Irenæus, & Origenes longe eo posteriores, alterius authoris oportet esse opus. „

„ Origenes Adamantius, patria Alexandrinus ..., adhortante Ambrosio Alexandrino, & .. Notarios suppeditante, edidit, præter infinitos exotericos libros, etiam in universam scripturam sanctam innumerabilia exegematica, hoc est, explanationum volumina, quæ quidem Hieronymus in Præfatione Commentariorum in Ezechielem .. triplici genere distinxit, hoc est, in Scholia, homilias, ac tomos. His tribus expositionum generibus alia quoque duo addit Eusebius .., epistolare, & interpretativum: in epistolari Quæstiones ex Divina Scriptura, amicorum litteris ad se missis, rescriptis explicavit epistolis; in quibus est magnifica illa de Susannæ historia ad Julium Africanum epistola ... in interpretativo, seu translativo genere demum ponendæ sunt omnes divinæ Scripturæ translationes, quas ipse in Hexaplis, Octaplis, & Palæstinæ editionis Codicibus complexus est ... edidit præterea, ut Ruffinus in secundo contra Hieronymum volumine indicat, homiliarum in Genesim libros duos ... item in Leviticum homiliarum in variis locis librum unum, ex quibus sexdecim habentur ab Hieronymo translatæ ... in Job homilias, sive tractatus emisit plurimos, quarum meminit Hieronymus in Vigilantium scribens: pro quibus nunc habemus origenicis voluminibus insertum duplex explanationum opus, unum valde prolixum in tres libros distinctum, continens expositionem ab exordio Historiæ Job usque ad dimidium tertii capitis; alterum, quod breviter admodum, & quasi paraphrasticos totius libri Job historicum sensum edisserit, industria Joachimi Perionii nuper e græco translatum: Sed neutrum Origenis est .., nam præterquam quod amborum phrasis, & docendi methodus longe distat ab Origenica dictione: illud quoque accedit, quod auctor prioris operis contra Origenis consuetudinem innumeris pene battologiis redundat; multumque temporis consumit, dum

„ personis orationes plus æquo longiores affinxit, & nunc ad Job, nunc ad Diabolum per apostrophen loquitur; & inter hæc Luciani Martyris celebrat agonem, & Homousii nomen, & Homousianorum sententiam commemorat. In posteriore vero opere, in quo præter Origenis morem nudæ litteræ insistit, verba quoque illa uxoris Job exponit, quæ in græcis codicibus capite secundo habentur, & ab ipso Origene ceu apocrypha, & ascititia reprobantur. Deinde Luciani Martyris expositionem in tertio capite Job inducit, & in septimo, & octavo capitulo Manichæos nominatim refellit, & in trigesimo octavo capite Homousianorum mentionem facit. Constat autem & Lucianum Martyrem, & Manichæos post Origenem fuisse, ipsumque Homousii, & Homousianorum nomen longe post Origenis tempora enatum.

„ Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus cognomento θαυμαθεργός, hoc est, rerum mirabilium effector, natione Ponticus, Theodorus antea vocatus, Origenis auditor; admodum adolescens ob studia græcarum, & latinarum litterarum de Cappadocia Berytum, & inde Cæsaream Palæstinæ transiit, juncto sibi Fratre Athenodoro. Quorum cum egregiam indolem vidisset Origenes, hortatus est eos ad Philosophiam: in qua paulatim Christi fidem subintroducens, sui quoque sectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo, remittuntur ad Matrem. E quibus Theodorus proficiscens πανηγυρικὸν εὐχαριστίας scripsit Origeni; &, convocata grandi frequentia, ipso quoque Origene præsente, recitavit. Elucubravit deinde μετάφρασιν, seu Paraphrasim in Ecclesiasten: de qua Suidas, *scripsit*, inquit, *Gregorius Metaphrasin in Ecclesiasten, brevissimam illam quidem, sed sane quam admirabilem* ... hanc librariorum impudentia bis impressit, primum quidem sub nomine sui auctoris, deinde sub nomine Gregorii Nazianzeni. Cæterum Hieronymus in quartum Ecclesiastis caput super illa clausula, *melior est puer pauper & sapiens rege sene, & stulto*, (a) proferens expositionem eorumdem verborum ex ea ... Gregorii Neocæsariensis metaphrasi, authorem ejus prodit his verbis: *vir Sanctus Gregorius Ponti Episcopus in metaphrasi Ecclesiastis ita hunc locum intellexit:* ego vero intelligo adolescentulum pauperem, & sapientem, rege sene meliorem, & stulto.

„ Arnobius Afer, qui sub Diocletiano Augusto in urbe Sicca florentissima Rhetoricam docuit, & inter cæteros juvenes, quos ad declamandum exercebat, Lactantium Firmianum magno, excellentique ingenio, & eloquio discipulum habuit. Cum adhuc ethnicus ad fidem Christi occultis inspirationibus vocaretur ..., ab Episcopis Africæ Sacramentum regenerationis efflagitavit. Quem cum illi rejicerent, veriti, ne vir sæculari eloquentia tumens religioni Christianæ, quam semper oppugnaverat, illudere vellet; obtulit eis in argumentum sinceritatis suæ præstantissi-

(a) Eccl. 4. 13.

„ tiſſima adverſus priſtinam religio-„ nem Diſputationum volumina, „ tanquam Fidei ſuæ obſides. Quo „ tam fauſto pignore in Eccleſiam „ receptus, nonnullas poſtea in divi-„ na Scripta dicitur reliquiſſe lucu-„ brationes. E quibus Tritemius com-„ mentaria in Pſalterium recenſuit; „ quorum tamen Hieronymus, Ar-„ nobii opera indicans, non memi-„ nit. Exſtant parvi quidam breviſ-„ ſimi in omnes Pſalmos commen-„ tarii juxta tropicum, & allegori-„ cum ſenſum: quos Eraſmus Ro-„ terodami typis Frobenianis impreſ-„ ſos emiſit cum præfatione Arno-„ bii cujuſdam ad Laurentium, & „ Ruſticum Epiſcopos conſcriptos, „ adjecta nuncupatoria epiſtola: qua „ multis argumentis contendit, opus „ extra ullam controverſiam eſſe Ar-„ nobii illius celebratiſſimi Rhetoris. „ Cæterum ſtylus inconditus, ac ſer-„ mo innumeris ſolæciſmis, ac bar-„ bariſmis ſcatens, palam arguit, „ aurem magis, quam Cœlum a ter-„ ra, diſtare ab Arnobio illo, cujus „ nunc habemus ſeptem facundiſſi-„ mas contra gentes libros . . . & „ temporum .. diverſitas evidentiſſi-„ me oſtendit utriuſque Arnobii di-„ ſcrimen: Siquidem hunc Arno-„ bium Pſalmorum interpretem longe „ poſt alterum Arnobium fuiſſe facile „ deprehendi poteſt ex expoſitione „ Pſalmi 109. in qua nominatim reſel-„ litur Photinus Ebionitarum hære-„ ſeos inſtaurator: fieri autem non „ poteſt, ut Arnobius, qui Lactan-„ tium adhuc juvenem ſub Diocle-„ tiano Principe .. circa annum Do-„ mini 290. diſcipulum habuit, Pho-„ tini hæreſim audiverit: qui, ut ex „ Hieronymo tam in Catalogo, „ quam in Chronicis colligitur, im-„ pietatem ſui dogmatis docere cæ-„ pit anno Domini 258. hoc eſt „ anno trigeſimo poſt interfectum „ ChriſpumCæſaremConſtantini ma-„ gni filium, cujus adoleſcentiam „ Lactantius Firmianus in extrema „ ſenectute Præceptor inſtituit.

„ Athanaſius Alexandrinæ urbis „ Epiſcopus decimus nonus, ſancti-„ tatis, & eruditionis eximiæ, acerri-„ mus Catholicæ fidei propugnator .., „ multas Arianorum inſidias perpeſ-„ ſus .., moritur anno Domini 370. „ relictis ad Poſteros multis præcla-„ ri ingenii ſui monumentis .. Quæ-„ ſtionum ex veteri, & novo Teſta-„ mento ad Antiochum Principem „ liber unus, continens quæſtiones „ 162. cujus initium eſt, *unde de-„ clarari poteſt* . . ., Athanaſii non „ videtur. Suſpicor hunc ex variis „ Athanaſii ſcriptis collectum a ſtu-„ dioſo quodam; qui in quæſtione „ quarta Theologiam myſticam Dio-„ nyſii allegat Athanaſii ſæculo .. „ ignotam; & quæſtione 33. citat „ Athanaſium ipſum, & ab eo et-„ iam diverſam ſententiam profert.

„ Euſebius Epiſcopus Emeſſenus, „ ex generoſis Edeſſæ in Meſopota-„ mia parentibus ortus, & a juven-„ tute ſacris litteris imbutus . . , „ ſcripſit & in epiſtolam ad Galatas „ Commentariorum libros decem, „ & in Evangelia homilias breves „ quidem, ſed plurimas . . Stylus „ ejus, quantum conjicere poſſumus „ ex fragmentis, quæ in Dialogis „ Theodoreti ſuperſunt, eandem præ-„ ſefert elegantiam, quam ei tribuit „ Hieronymus, ita in libro de viris „ illuſtribus ſcribens; *Euſebius Eme-„ ſenus Epiſcopus, elegantis, & rhe-„ torici ingenii, innumerabiles, & „ qui ad plauſum populi pertinent, „ confecit libros; magiſque hiſtoriam „ ſequutus, ab his, qui declamare vo-lunt,*

„ *lunt*, *studiosissime legitur*. Prodie-
„ runt proximis annis sub nomine
„ Eusebii Emeseni homiliæ in E-
„ vangelia totius anni, Lutetiæ ex-
„ cusæ: apparet tamen, eas esse Ra-
„ psodias a latino scriptore, & ex lati-
„ nis Patribus consarcinatas. Stylus re-
„ sipit aut Bedam, aut Rhabanum,
„ aut alium utrique non dissimilem.
„ Ambrosius Episcopus Mediola-
„ nensis, patria Romanus, Liguriæ,
„ & Insubriæ primum Præses; dein-
„ de vero Mediolanensis Ecclesiæ
„ Pontificatum divinitus adeptus..,
„ inter sui temporis Episcopos Fidei
„ stabilitate, morum integritate, &
„ eruditionis admiratione excelluit...
„ explicavit autem omnes fere divi-
„ nas Scripturas summa cum laude...
„ ipsius scripta ad Divinæ Scriptu-
„ ræ expositionem pertinentia ... hæc
„ sunt. In Geneseos primum caput
„ Hexaemeron, vel de sex dierum
„ opificio libri .., de quibus Hie-
„ ronymus ad Pammachium, & O-
„ ceanum scribens ait; *noster san-
„ ctus Ambrosius sic Origenis hexae-
„ meron compilavit*, *ut magis Hypo-
„ lythi sententias*, *Basiliique seque-
„ retur* ... in Geneseos caput secun-
„ dum, & tertium de Paradiso liber
„ unus; in quo investigatur, quid
„ sit Paradisus, ubi sit, qualisve sit;
„ atque de his, quæ in eo primis
„ Parentibus contigerunt, eleganter,
„ sed allegorice potissimum disseri-
„ tur ... in Geneseos caput quar-
„ tum de Caino, & Abele libri duo;
„ in quibus juxta mysticam intelli-
„ gentiam exponit ortum, vitam,
„ mores, & cultum duorum Fra-
„ trum, quos Moses præsenti capi-
„ tulo descripsit ... in Geneseos ca-
„ put quintum usque ad undecimum
„ de Noe, & Arca liber unus, in
„ quo sancti viri Noe vitam, mo-
„ res, gesta, altitudinem quoque
„ mentis, ac temporum ejus even-
„ tus enarrat ... in Geneseos caput
„ 12. usque ad 18. de Abraham Pa-
„ triarcha libri duo .., in quibus
„ sub narratione totius vitæ, ac ge-
„ storum Abrahæ exprimit nobis vi-
„ ri moralis .. similitudinem ... in
„ Geneseos caput 21. de Isaac, &
„ Anima libri duo: in quorum prio-
„ re, accepta occasione ex his, quæ
„ de nativitate Isaac, & desponsa-
„ tione ejus cum Rebecca capite 21.
„ & 24. referuntur, differit juxta al-
„ legoricam, & anagogicam intelli-
„ gentiam de amore inter Christum
„ sponsum præfiguratum in Isaac,
„ & animam sponsam in Rebecca
„ designatam. In secundo libro oc-
„ casione eorum, quæ de anima in
„ superiore libro prædixerat, tractat
„ de bono mortis, quæ animam spon-
„ so suo Christo in sempiternum vi-
„ cturam conjungit. In Geneseos ca-
„ put 27. usque ad 35. de Jacob,
„ & vita beata libri duo, in quibus
„ breviter percurrens narrationem
„ Moysis, novem capitibus diffusam,
„ ostendit sapientis beatitudinem in
„ summis vitæ periculis non solum
„ non amitti, sed etiam acquiri pos-
„ se exemplo Beati Jacob, cui in
„ exilio, persecutione, & servitute
„ viventi nihil eorum defuit, quæ
„ ad rationem Beatitudinis spectant.
„ In Geneseos cap. 37. usque ad 49.
„ de Joseph Patriarcha liber unus,
„ quo universam historiam Joseph
„ differens, proponit nobis in Joseph
„ multarum virtutum, sed præcipue
„ castitatis exemplum. In Genesis
„ caput 49. de Benedictionibus Pa-
„ triarcharum liber unus continens
„ mysticam explanationem benedi-
„ ctionis Jacob erga filios suos ...
„ in 2. Regum cap. 21. de Apolo-
„ gia

„ gia Davidis librum unum adulte-
„ rium Davidis pie excusantem, &
„ Psalmum quinquagesimum pulcher-
„ rime exponentem. In 3. Regum 21.
„ de Nabuthe librum adversus inju-
„ stam Nabuthis cædem, & inex-
„ plebilem avaritiam ejusdem cædis
„ causam. In Tobiæ historiam ad-
„ versus fœneratores librum unum.
„ In Job de interpellatione libri tres,
„ continentes expositionem interpel-
„ lationum, & querelarum, quibus
„ Job toto passim volumine Deum
„ interpellat &c. In Lucæ Evange-
„ lium commentariorum interruptæ
„ expositionis libri x. juxta mysti-
„ cam intelligentiam succinctè dige-
„ sti ... Feruntur quoque sub Am-
„ brosii nomine in Apocalypsim com-
„ mentaria, nuper Lutetiæ impressa:
„ sed præterquamquod styli diversi-
„ tas manifeste reclamat; multæ et-
„ iam toto opere inspersæ Gregorii
„ sententiæ, quæ opus ostendunt non
„ esse Ambrosii: & author ipse in
„ explanatione capitis 17. aperte fa-
„ tetur, se scripsisse post Romanum
„ Imperium a Longobardis occupa-
„ tum, quod plusquam ducentis an-
„ nis post Ambrosium contigit.

„ Hieronymus Stridonensis ... ex
„ oppido Stridonis, quod a Gothis
„ eversum, Dalmatiæ quondam,
„ Pannoniæque confinium erat, vir
„ fuit in omni doctrinarum genere
„ absolutissimus.... elaboravit ita-
„ que admirabilis hic vir, præter
„ exoterica scripta, quæ multa sunt,
„ tot, tantaque in sanctas scripturas
„ exegematica volumina, ut nulla
„ pars sit seu veteris, seu Novi Te-
„ stamenti, in quam ille non edi-
„ derit aut translationes, aut com-
„ mentarios, aut Epistolas &c. An-
„ notationes in tres libros Regum,
„ & duos Paralipomenon Nicolaus
„ Lyranus in commentariis eorum-
„ dem voluminum negat esse Hie-
„ ronymi; affirmans auctorem ea-
„ rum fuisse Neophytum quendam
„ Judæum, qui ex Hebraicis fabu-
„ lis multa non minus ficta, quam
„ ridicula adnotaverit: quam Lyra-
„ ni sententiam illud etiam com-
„ probare videtur, quod Hierony-
„ mus in adnotationibus, quas scri-
„ psit in Genesim, Hebræa passim,
„ & græca divinæ scripturæ testi-
„ monia profert, Hebraicis, & græ-
„ cis verbis expressa, expendens ubi-
„ que varias diversorum interpretum
„ translationes, quarum rerum nul-
„ lam in his adnotationibus men-
„ tionem reperies. Commentarius
„ in Job, quem auctor, ut ex fine
„ voluminis apparet, in gratiam Ve-
„ cterii Episcopi collegit, ideo sup-
„ posititius existimatur, quia nec
„ septuaginta Interpretum editio-
„ nem, nec Hebraicam veritatem
„ sequatur, neque ullum citet ve-
„ terum expositorum; sed mystica
„ tantum sensa, omisso prorsus lit-
„ teræ intellectu, pertractat; quæ
„ omnia longe absunt ab Hierony-
„ mi consuetudine ... commentaria
„ annotationum in Psalmos per in-
„ tervalla dispositarum multa indi-
„ cia significant non esse Hierony-
„ mi: primum, quod author hic
„ posthabito Historiæ sensu in solis
„ allegoricis, ac Tropologicis expo-
„ sitionibus versatur, nulla usus edi-
„ tionum varietate: græcam deinde,
„ & Hebraicam eruditionem, quam
„ in omnibus exegematicis afferre
„ solet Hieronymus, nullam habet.
„ Multa quoque scripsit cum Hie-
„ ronymianis placitis ex diametro
„ pugnantia, ceu in interpretatione
„ Psalmi 77.; ubi Cynomiam esse
„ dicit muscam Caninam, recla-
„ man-

„ mante Hieronymo in epistola ad
„ Suniam, & Fretellam, in psalmo
„ 86. adnotat secundum Hebraicam
„ veritatem legendum fore, *num-*
„ *quid Sion dicet homo*, contra Hie-
„ ronymi translationem, qui juxta
„ id, quod in Hebræo habetur,
„ לציון le Ziion, transtulit, *ad Sion*
„ *dicet homo*. Psalmum 89. quem
„ Hieronymus Moysi adscripsit,
„ Moysis non esse contendit. Et in
„ expositione psalmi 13. testimo-
„ nium illud Pauli in tertio capite
„ Epistolæ ad Romanos, quod Hie-
„ ronymus ex Esaia usurpatum de-
„ monstrat, hic ex Deuteronomio
„ sumptum asseverat. His accedit,
„ quod ineptia sermonis, battolo-
„ giis, & solæcismis ubique scatens,
„ ab Hieronymiana tam phrasi,
„ quam scribendi genere abhorret...
„ constat ex expositione Psalmi 89.
„ & 111., & 115. authorem operis
„ fuisse monachum, qui adstantibus
„ monachis ad constitutæ horæ men-
„ suram dicere consueverit adlatis
„ hinc inde Rapsodiis ex commen-
„ tariis diversorum Doctorum, &
„ præsertim Hieronymi; sicut vide-
„ re licet in enarratione Psalmi 93.
„ cui ad verbum inferitur fragmen-
„ tum Hieronymianæ expositionis
„ ab Augustino citatum in epistola
„ ad Fortunatum Episcopum Siccen-
„ sem... libri tres commentariorum
„ in Proverbia Salomonis negantur
„ fuisse Hieronymi tum propter sen-
„ tentiarum, & eloquii dissimilitu-
„ dinem, tum quod in iis citantur
„ non semel Gregorius, & Augusti-
„ nus. Nam & testimonium Augu-
„ stini ex libro de mendacio ad
„ Consentium adducitur in explana-
„ tione sexti capitis... & in expo-
„ sitione 21. capitis citat B. Papam
„ Gregorium in homiliis Evange-
„ lii, & in adnotationibus 30. ca-
„ pitis adlegat nominatim ipsius D.
„ Hieronymi sententiam ex com-
„ mentariis in Jeremiam. Tritemius
„ hos commentarios Bedæ tribuit,
„ cujus etiam titulo in antiquissimis
„ exemplaribus prænotatur... in com-
„ mentationibus Threnorum præter
„ præfationes quasdam ad Eusebium,
„ partim ex interpretatione alpha-
„ beti Hebraici ad Paulam Urbicam,
„ partim ex aliis ejusdem scriptis
„ collectas, nihil habetur, quod Hie-
„ ronymianum ingenium spiret.
„ Nam præterquam quod nullum
„ his insit vel græcæ, vel hebraicæ
„ intelligentiæ vestigium; structura
„ quoque sermonis, ubique inæqua-
„ lis, aperte clamat, nihil aliud esse
„ hoc opus, quam farraginem cen-
„ tonum a studioso collectore ex
„ variis diversorum auctorum di-
„ ctis, & ex Gregorii potissimum
„ sententiis, atque integris capitu-
„ lis coacervatam. Nec vereor af-
„ firmare coacervationis hujus adu-
„ natorem fuisse Rabanum Maurum,
„ in cujus operibus Basileæ excusis
„ hi tres libri habentur. Hos Ty-
„ pographi ut Hieronymi scripta in
„ majorem molem aucta plausibilius
„ publicarent, & majori pretio ven-
„ ditarent, Hieronymi tomis inse-
„ ruerunt, recisis ex initio præfa-
„ tionis Rabani aliquot lineis, quo-
„ minus impostura a cæcis empto-
„ ribus deprehenderetur. Commen-
„ tarii mysticæ explanationis in Mar-
„ cum magis abhorrent a stylo
„ Hieronymi, quam ignis ab aqua.
„ Nos esse hominis, qui non mul-
„ tum latine, minus etiam græce,
„ & Hebraice noverit, argumento
„ sunt orationis barbaries, & ine-
„ pta peregrinarum vocum interpre-
„ tatio. Exemplum habes in expo-

„ sitione capitis 14. ubi auctor annotavit... Nardum pysticam idem valere, quod Mysticam..... rursum in explanatione capitis 15. inserit versus quosdam de figura Crucis, mutilatim revulsos ex 4. libro Carminum Sedulii, quem quidem constat fuisse annis aliquot Hieronymo posteriorem. „

„ Philippus Presbyter, & monachus, B. Hieronymi auditor optimus, & plurimum paupertatis amator, edidit sermone, ut Gennadius ait, simplici commentarios in Job: pro quibus Adamus Basiliensis Typographus proximis annis evulgavit commentationum mysticæ expositionis in Job ad Nectarium Episcopum libros tres, incipientes, *adhortante te, immo potius compellente, Nectari pater beatissime*. Hos rursum Joannes Hervagius Basileæ impressor inter opera Bedæ, & sub titulo Bedæ excudit. Cæterum ipse Beda in libello de ratione unciarum hæc ipsa commentaria suo vindicans auctori; Plerosque, ait, imperitos turbat, quia Philippus in expositione Beati Job æstum maris Oceani describens, adjunxerit, hunc æquinoctialis horæ dodrante tardius sine intermissione sive die venire sive nocte. Habetur autem hic locus a Beda citatus in explanationibus Job, quas nuper sub nomine Philippi idem excussit Hervagius. „

„ Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, Theophyli ejusdem urbis Episcopi ex fratre nepos, acumine ingenii, subtilitate judicii, eruditionis varietate, docendi facilitate, copiaque dissrendi celebris, & pietate conspicuus; reliquit in divinas Litteras varios -- interpretativi generis labores, hoc est, homilias valde elegantes, quas olim, ut Gennadius refert, Græciæ Episcopi ad declamandum memoriæ commendabant: item epistolas, commentarios, & disputationes... Feruntur etiam sub Cyrilli nomine in Leviticum Commentariorum Libri sexdecim, a typographis nostrorum temporum nimis impudenter excusi; quum neque Commentarii sint, neque Cyrilli opus, sed homiliæ sexdecim Origenis extemporales, & ad populum habitæ... apparet autem has homilias esse Origenis tam ex stylo, quam ex dogmatum similitudine. „

„ Eucherius Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, natione Gallus, vir inter eos, qui pietatis, eruditionis, & eloquentiæ gloria floruerunt, insignis, multa in sacras Litteras præclara ingenii sui monumenta reliquit..... ex quibus Gennadius opusculum recensuit de variis, & obscuris divinæ Scripturæ capitulis ad Galonium, & Veranium fratres, postea Episcopos, duobus libellis distinctum... Prodierunt olim ex officina Frobeniana, & nuper ex Chatcographia Romana Pauli Manutii sub Eucherii titulo in Genesim Commentariorum incontinuatæ, & interruptæ expositionis libri tres: in quatuor libros Regum explanationis ejusdem generis libri quatuor: formularum spiritualium ad intelligendas Scripturas sanctas utilium liber unus. Hos tamesi & eruditos fatear, & lectu dignissimos; non ausim tamen affirmare, eos esse Eucherii, sed incerti potius, ac recentioris cujuspiam Collectoris; qui opus more cento-

„ tonum hinc inde collegerit ex di-
„ ctis Latinorum Patrum, præser-
„ tim ex integris sententiis Grego-
„ rii, Isidori, Bedæ, & aliorum au-
„ ctorum, quos ducentis fere annis
„ præcessit Eucherius.... quod si in
„ tanta Scriptorum turba divinare
„ liceat, quis hujusmodi explana-
„ tionum farraginem in acervum con-
„ gesserit, suspicor fuisse Anglum...
„ sane – Auctor quodammodo subin-
„ dicat, se non multo post tempora
„ Gregorii in Britannia vixisse, ita
„ (a) scribens: *nostris nuper tempo-*
„ *ribus B. Papa Gregorius — Roma-*
„ *nam rexit Ecclesiam*, & – *Patres*,
„ *Augustinus*, *Paulinus*, & *ceteri*
„ *eorum Socii*, *jubente illo*, *vene-*
„ *runt in Britanniam* – possem quo-
„ que ad certiorem hujus nostri ju-
„ dicii comprobationem hoc loco
„ subnectere indicem innumerabi-
„ lium locorum, qui tam in hos
„ Formularum Spiritualium, quam
„ in Geneseos, & Regum Commen-
„ tarios ex Beda, & Gregorio trans-
„ fusi sunt: sed eos, brevitati con-
„ sulens, prætermitto.

„ Junilius Afer, incertæ Urbis in
„ Africa Episcopus.., in Scripturis
„ sanctis peritissimus..., hortante
„ Primasio Afro Episcopo Uticen-
„ si, collegit ad utilitatem simpli-
„ cium explanationes divinæ Legis:
„ pro quibus Typographorum fraus
„ supposuit nobis exiguum Com-
„ mentarium incipientem, *de prin-*
„ *cipio Libri Geneseos*. Atqui frag-
„ menta ex moralibus Gregorii huic
„ Opusculo immixta arguunt, illud
„ non esse Junilii; qui Gregorii tem-
„ pora præcessit annis ferme ducen-
„ tis; arbitror, authorem operis esse
„ Bedam, in cujus vetustissimis Vo-
„ luminibus id invenitur. „

„ Theophylactus Bulgariæ Archie-
„ piscopus, in Divi Chrysostomi
„ Lectione – versatus –, redegit in
„ breve, & apertum compendium
„ juxta historicam intelligentiam,
„ quicquid admirabilis ille Pater ex
„ aureo suo ore – in exponendis Scri-
„ pturis sanctis effuderat &c. Volu-
„ minum scriptores, impressores,
„ institores, ac venditores — Theo-
„ phylacti (b) collectiones in Paulum,
„ & Rhabani in Threnos Jeremiæ
„ sub splendidioribus Divi Athana-
„ sii, & Divi Hieronymi nomini-
„ bus vendidere. „

Exposui fere Sixti Senensis crisin, qua genuina Opera, horumque Auctores a subdititiis secernit; ex qua etiam perdiscimus, *quosdam*, non omnes, ipsius ætatis librarios, & Bibliopolas ignaros, librorumque fictores exstitisse; quippe quorum aliqui recte exhibuerunt Origenis homilias in Leviticum a S. Hieronymo, qui ei suppar erat, laudatas *semel* sub ejusdem Origenis nomine: S. Gregorii Neocæsariensis Episcopi Metaphrasin in Ecclesiasten, quam idem Hieronymus commendavit, ab ipsius Thaumaturgi titulo: Commentaria in Job Philippi Præsbyteri, a quo, ut Gennadius ei coævus testatur, edita erant, ejusque nomen gerebant: libros tres Commentariorum in Salomonis Proverbia Bedæ Præsbytero, qui illos vere produxit, inscriptos: Collectiones, sive Commentaria in Pauli epistolas Theophylacti eorum Auctoris nomine præ-

(a) In 3. Lib. explan. Reg. cap. 20.
(b) Hæc adnectit Sixtus Sen. in fine ejusdem Libri xv. agens de falsa Librorum inscriptione.

prænotata: ac postremo Psalmorum explanationes, quas Sixtus memorato Libro IV. præteriit, quæque Hugonis Carensis, cui S. Antoninus eas adscripsit, inscriptionem habent. Tunc igitur haud cuncti, sed *quidam* Librarii imperiti fuere, & fictores, qui Philoni Judæo, S. Justino Martyri, Origeni, Arnobio, cæterisque collaudatis non opera omnia, quæ horum sunt legitimæ proles, verum alia a germanis eorumdem scriptis distincta, & jam recensita appinxerunt: quam distinctionem Sixtus docuit coævorum, suppariumve Testium silentio, qui genuina veterum volumina adnotantes, ista sine illis fictitiis repræsentarunt: Eamque ex styli discrimine, quo utraque inter se diffident, & ex personarum, temporum, aliarumque rerum circumstantiis, quæ veteribus ipsis neutiquam competunt, clarius evicit: qui scriptor, vere ut dicam, tametsi nonnulla alia opera inibi numeravit, nec a legitimis Patrum monumentis sejunxit; attamen illa notha esse, & genuinis hisce operibus inconsusa eruditi iisdem Criticæ regulis commostrarunt: quarum præsidio, vel Sixtus veterum scripta nunc prius dinumerata iis propriis auctoribus tribuit, istosque ab illis, quibus falso inscribebantur, plane distinxit.

Atque hæc eorum Operum distinctio est: quæ etiam adulterinos inter & dubios fœtus adhiberi debet: liber quippe adulterinus ut talis, utque a germanis antiquorum scriptis secretus, quemadmodum adlatæ rationes ostendunt, pernoscitur: dubium autem scriptum ob rationes probabiles, quarum aliæ istud cuipiam Auctori adscribendum, aliæ non adscribendum declarant, incertum est, non tantum a certo nothis, verum etiam a certis, legitimisque ejus libris distinctum censetur: cujus *scripti dubii* stylus prisci cujusdam Auctoris stylo, qui in ejus indubitatis operibus cernitur, non omnino respondet. Hæc tum aliqui Librarii, quum illi, quos consulebant, neutiquam plene intellexerunt propter inscitiam, qua utrique, uti Dallæus fatetur, laborarunt: ob quam, si eidem dubio libro vetusti scriptoris nomen præfixerunt; tum illum ut dubium ejus partum, non certum, ad sui temporis homines, atque ad posteros, transmittere potuerunt; quod ipsi scripto dubitationis nota, qua ab indubiis illius libris distinguebatur, sane inhæreret.

Denique regredior ad refellendas confusiones, quas Dallæus ex ambitiosis, & prave studiosis ingeniis, quæ fallaciis suis aliqua scripta subdititia sub Veterum nomine intruserunt, futiliter aucupatur: & imprimis immoderatum Presbyteri illius, qui Pauli, & Theclæ periodos finxit, studium ex Tertulliano, ac S. Hieronymo refert; a quibus tamen, atque etiam ab Eusebio ejus dicta pelluntur.

Etenim Tertullianus in libro de Baptismo, hunc in casu necessitatis a quolibet administrari posse concedit, ac fœminis potestatem prædicandi, docendive in Ecclesia, & jus ordinarium baptizandi denegat: & hæreticos Pepuzianos ex Montano prognatos, qui jus illud fœminis errando asserebant, pro eoque acta illa asserebant, sic repulit: (a) *quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt*, Ff 2 *ad*

(a) Tertull. in lib. de bapt. cap. 17.

ad licentiam mulierum docendi, tingendique defendunt, sciant, in Asia Presbyterum, qui eam Scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum, atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim Fidei proximum videretur, ut is docendi, & tingendi daret fœminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter Mulieri permisit? Taceant, inquit, & domi Maritos suos consulant. Sedet Eusebius dum loco superius laudato novi Testamenti libros summatim recenset, ita fatur: (a) *primo igitur collocanda est sacra Evangeliorum quadriga; quam deinde consequuntur actus Apostolorum: post hos numerandæ sunt Pauli epistolæ &c. Pro spuriis habendi sunt -- Actus Pauli.* Tum S. Hieronymus in Catalogo virorum illustrium, ubi divinas S. Lucæ Evangelistæ, & S. Pauli Apostoli Scripturas percensuit: jam Pauli, & Theclæ periodos inter apocrypha computavit; illosque refellit, qui commentitios Pauli actus ab actibus Pauli, & Theclæ diversos esse pertendunt; quum S. Doctor illos Pauli, & Theclæ actus fictos esse ex Tertulliano, qui ab ipsis *perperam Pauli titulum*, & quædam affícta Theclæ sub ea mulierum *licentia* ferri indigitarat, his verbis ostenderit: *Lucas* (b) *Medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, græci sermonis non ignarus fuit; sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus Comes, scripsit Evangelium, de quo idem Paulus,* (c) *misimus, inquit,* Fratrem, cujus laus est in Evangelio *per omnes Ecclesias; & ad Colossenses,* (d) salutat vos Lucas medicus carissimus; *& ad Timotheum,* (e) Lucas est mecum solus. *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Apostolicarum πράξεων prænotatur: cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, idest, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum. Igitur περιόδους Pauli, & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter Apocryphas Scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert, Presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli, convictum apud Joannem, quod Auctor esset libri, & confessum, se id Pauli amore fecisse, loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit,* juxta Evangelium meum, *de Lucæ significare volumine, & Lucam non solum ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed & a cæteris Apostolis .... Igitur Evangelium, sicut audierat, scripsit: Acta vero Apostolorum, sicut viderat, composuit.*

Hæccine sunt prima fictitia opera, quæ mortales, inter quos fere minimam sapientum, ac perspicacium copiam fuisse Dallæus sumit, *nullo discrimine* exceperunt; atque foverunt? Quis id falsitatis plenum minime aspiciat? Siquidem Presbyter ille non ambitione quadam honoris, sed quopiam imprudenti studio incensus, illos commentitios actus

(a) Euseb. Lib. 3. Hist. Eccl. cap. 25.
(b) S. Hier. in Catal. Vir. ill. cap. 7. to. 2.
(c) 2. ad Cor. 8. 18.
(d) ad Col. 4. 18.
(e) 2. ad Tim. 2. 11.

ctus sub Pauli nomine emisit: verumtamen a S. Joanne Apostolo, uti in Tertulliani scripto S. Hieronymus olim legebat, fuit pravæ affectionis, levitatis, & falsitatis convictus: is ergo Apostolus eosdem nothos actus haud nullo, sed omni discrimine, quo videlicet eos Pauli omnino non esse intuitus erat, dignovit, ejecit, non fovit; quin etiam ipsis censoriam notam, atque perpetuam, qua a cunctis eliminarentur, inussit: quam Tertullianus traditione amplexus illos minime excepit, sed eodem discrimine palam explosit; immo a veris Pauli Apostoli Voluminibus, quæ ut istius opera ab eo inibi celebrantur, innuit distinctos: quod etiam Eusebius denotavit: atque Hieronymus ea Acta fictitia, & a S. Lucæ Evangelio, & a Canonicis hujusce Actibus, & a Divinis Pauli epistolis haud obscure secrevit; utpote qui ista, non illa, horum esse nuntiaverit. Erat igitur prioribus Ecclesiæ sæculis haud minima Sapientum copia, qui fictos libros non exceperunt, non foverunt, sed repudiarunt; eosve a genuinis scriptorum Ecclesiasticorum operibus secrevere.

Hic quispiam opponet, S. Methodium Olympi, seu Pataræ in Lycia Episcopum, S. Epiphanium, S. Gregorium Nanzianzenum, S. Gregorium Nyssenum, S. Ambrosium, S. Joannem Chrysostomum, S. Isidorum Pelusiotam, Theclæ Iconiensis, istiusve passionis meminisse; & plura, quæ illis in actis habentur, narrasse.

At Methodius labente sæculo tertio, & post istud illi cæteri Patres ea, quæ ad S. Theclam Pauli Apostoli discipulam attinent, ex Traditione, non ex ipsis actis fictitiis, contraquam Samuel Basnagius (*a*) vult, attulerunt; propterea quod nec figmenta in iisdem scriptis adulterinis contenta, quæ Theclam ad *Apostolicum munus* a Paulo *provectam* fuisse; ab eaque in Martyrio Leonem baptizatum esse comminiscebantur; nec ulla alia memorarunt; & Theclæ gesta cum hisce commentis haud confusa exhibuere. Sane Methodius *in convivio decem virginum* inter se præsertim de castitate colloquentium, hocce pacto Agatham Theclæ loquentem induxit: (*b*) *accessit mihi, o Thecla, gratissimum studium tuum, atque alacritas: & quam firmissime teneo, te verba propositam materiam exæquantia pro facultate, qua prædita es, facturam; nam & doctrinarum omnium humaniorum disciplina, & eruditione nemini cedis: de evangelica vero, ac divina, quum a Paulo fueris instructa, non habeo equidem, quod dicam.* Et postquam Methodius Theclæ verba, quæ de virginitatis nomine, virtute, ac laudibus fecerat, in medio posuit: tandem de eadem Sancta istud quoque affirmavit, quod *virgo clarissima illuxit, & magnis, primisque certaminibus sollicite occurrens, Martyrum studia promptitudine, & corporis robur vigore consilii exæquavit.* Tum vero S. Epiphanius hæresi 78. adversus Heterodoxos Antidicomarianitas, qui, Sanctissimam Virginem Mariam Dei Matrem post Domini partum cum viro consuevisse,

(*a*) *Sam. Basnag. Hær. Tom. 2. annal. ad an. D. 45. num. 7. & sequ.*

(*b*) *S. Meth. in Convivio dec. vir. quod edidit Leo Allatius.*

viſſe, impudenti errore blaterabant, ex ſcriptura ſacra, & traditione virginitatem ejus etiam poſt partum argumentatus eſt; atque ex geſtis Theclæ & Filiarum Philippi *Evangeliſtæ*, ſic dicti, non quo evangelium ſcripſiſſet, ſed quod Diaconus iſtud prædicaſſet, illud expoſuit, aut id illius rei ſpecimen cœpit: (*a*) *Philippus evangeliſta quatuor habuit* θυγατέρες *Filias afflatu Prophetico præditas, quæ ob virginitatis decus vaticinandi munus... obtinuerunt. Sed & Thecla quum in Paulum incidiſſet, pactas nuptias diſſolvit, quum Primario cuidam civitatis totius, ac longe diviti, nobiliſſimo, ſplendidiſſimoque deſponſa jam fuiſſet. Verum terrena ideo ſancta illa contempſit, ut cœleſtium compos eſſe poſſet. Quare quum hæc ab illis præſtita videamus: quanto magis idem a Maria ſuſceptum fuiſſe fatebimur; in qua admirabile illud Incarnationis myſterium eſt perfectum?* atque etiam S. Gregorius Nanzianzenus Theclam percelebrat; quum oratione III. in Julianum Apoſtatam, qui ſanctos Martyres nefario deſpicatui habebat, jure ſic invehitur: (*b*) *non victimas pro Chriſto cæſas veritus es? nec magnos pugiles extimuiſti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos, qui & poſt illos, & ante illos pro veritate periculis ſe objecerunt? qui cum igni, & ferro, & belluis, & Tyrannis, & præſentibus malis, & denuntiatis, alacri animo velut in alienis corporibus, immo quaſi corporum expertes dimicarunt. Cur? ne pietatem vel verbo tenus proderent. Quibus præclari honores, & feſta conſtituta ſunt: a quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones, & prædictiones, quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ, ſive tangantur, ſive honorentur: quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque exigua Paſſionis ſigna idem poſſunt, quod corpora? Hæc non colis, ſed contemnis* &c. Præterea S. Gregorius Nyſſenus homilia XIV. in Cantica Canticorum ubi enucleavit illud, (*c*) *labia ejus Lilia diſtillantia myrrham:* protinus de Paulo Apoſtolo, ac de Thecla iſtam prompſit enarrationem: (*d*) *ex ore diſtillans myrrha, quæ recipientis animum replet, mortificationem carnis clare denotat. Nam multoties hoc in litteris a Spiritu Sancto profectis obſervamus, appellationem myrrhæ mortem ſignificare. Quare perfectus, & purus oculus, qui de maxilla phialam efficit unguenta ex ſe proferentem quaſi quodam ex fonte; hic ergo ſermonum lilia gignit per os illorum, qui divino ſplendore ſunt ornati. Nam ſic appellantur qui puri ſunt, & ex virtute flagrantiam quandam habent, quique myrrham diſtillant, quæ ſine defectu mentem recipientium eam replet. Eſt autem illa vitæ hujus corporeæ contemptus; quum univerſa, quæ in hac vita curæ ſunt hominibus, per ſupernorum honorum cupiditatem vim ſuam amittunt, & extinguuntur. Talem myrrham olim Paulus effundebat ex ore mixtam cum puro pudicitiæ lilio in ſanctæ Virginis aures. Ea vero erat Thecla, quæ præ-*

(*a*) S. Epiph. in Pan. hæreſi 78. num. 16. tom. 1. editionis Petavii: in cujus verſione latina quum *Filiarum* nomen minime appareat, hoc ex græco Epiphanii textu ſupplevi.

(*b*) *S. Greg. Nanz. Orat. 3. ſive invectiva adv. Jul. Imperat. tom. 1.*

(*c*) Cant. v. ver. 13.

(*d*) S. Greg. *Nyſſ. hom.* 14. *in* Cant. *tom.* 1.

præclare animo suo defluentibus de lilio guttis intra se receptis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione, cupiditateque carnis exstincta; cujus post perceptam illam bonam doctrinam & juventus exstincta erat, & externa venustas exstincta, & exstincta omnia corporis sensuum organa, solo sermone in ipsa vivente; per quem totus ei mundus mortuus erat, & Virgo ipsa mundo erat mortua. Sed & S. Ambrosius libro 2. de Virginibus quemadmodum Dei Matrem Mariam Virginem vitæ informandæ, sic Theclam mortis pro Christo oppetendæ exemplar proponit his verbis: (a) *Sancta Maria disciplinam vitæ informet; Thecla doceat immolari: quæ copulam fugiens nuptialem, & Sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras quum adspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni; fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, amicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacræ Virginis corpus violare non posset ... tantum habet Virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur .... dicet aliquis, cur exemplum attulisti Mariæ; quasi reperiri queat Matrem Domini quæ possit imitari? cur etiam Theclæ, quam gentium Doctor instituit? da hujusmodi Doctorem, si discipulam requiris* &c. Tum autem S. Joannes Chrisostomus homilia xxv. in Acta Apostolorum varios eleemosynæ faciendæ modos exponens, eum, qui illam alicui pauperi abnuit, isto pacto compellat: (b) *audi de Beata Thecla; illa ut Paulum videret, aurum suum dedit: tu, ut Christum videas, neque obolum dederis: sed miraris quidem illius gesta, nec imitaris*. Denique S. Isidorus Pelusiota in epistola ad Sandalarias, Alexandrinas Monachas, scripta, fœminam posse turbidarum cupiditatum impetus propulsare commonstrat Jephte, Susannæ, & Judith exemplis: quibus Theclæ exemplum sic nectit: (c) *adde muliebrium victoriarum, ac trophæorum caput, hoc est, illam omnium laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque e medio turbidarum adfectionum tempestate tanquam fax accensa ad portum ab omnibus fluctibus immunem appellit*.

Quocirca hi veteres gesta S. Theclæ Iconiensis, & Apostoli Pauli discipulæ, illiusque passionem sine figmentis, quæ in actis fictitiis inveniebantur, ita tradunt, ut ipsorum testificationibus exagitetur indicata Basnagii opinatio; qua ait, traditioni de Thecla Patrum neminem, qui ante quartum sæculum floruerunt, adjunxisse fidem: ac veteres, qui ipsam celebrant, vel de alia, non de Iconiensi, (nam plures fuere) locutos esse; vel illis actis falsis, quæ in omnium ore versabantur, facile credidisse. Hæc objecta prius eo refutantur, quia Methodius quartum ante sæculum clarus asseruit, Virginem *Theclam a Paulo instructam*, quæ adeo alia ab Iconiensi non fuerat, *primis certaminibus* pro Christo *occurrisse*, & *martyrum studia animi robore*, *consilio*, ac *promptitudine ex æquas*

[a] S. Amb. lib. 2. de Virg. cap. 3.
[b] S. Joan. Chrysost. homil. 25. in act. Apostol. num. 4. tom. IX.
[c] S. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 87.

aquasse; qua in traditione nullæ adulterinorum actuum falsitates cernuntur. Dehinc reliqui Patres nuntiarunt, *Sanctam Theclam*, cum Iconii in *Paulum* incidisset, pactas *nuptias* cum quodam longe diviti, ac nobili *dissolvisse:* illi a Paulo *myrrham*, sive doctrinam, quæ carnis mortificationem tradebat, affusam fuisse: ac propterea ab eadem hominem externum macerationis palloribus oppressum, & *sensus*, ac *cupiditates extinctas*, sive contemptas esse, atque detritas: sicque eam clarissimam Virginem mundo, qui ei mortuus erat, morali sensu mortuam esse: eandem quoque, ut *Paulum* iniquis Gentilium, & Judæorum persecutionibus Iconii involutum *videret*, *aurum suum dedisse:* postremo eam *Doctoris Gentium Discipulam nuptiali copulæ* repugnasse: ideoque *sponsi furore* ad belluas *damnatam*, ad easque *paratam*, quum *adspectus quoque declinaret Virorum*, ac *vitalia ipsa sævo offerret Leoni*, Divino prodigio *fecisse*, ut Fera *humi cubitaret*, *sacræ Virginis pedes lingeret*, ejusque *corpus violare* nec auderet, nec posset; utque ita ipsam quasi *miraretur*, aut conspicientes ad virginitatis *admirationem*, laudem, ac *venerationem* moveret. Quo tamen in certamine eidem sanctæ, quæ post *Joannem*, *Petrum*, *Paulum*, *Jacobum*, *Stephanum*, *Lucam*, & *Andream* protinus memoratur, atque idcirco Thecla Iconiensis censetur, *ferri vinculum*, in quod conjecta fuerat, *exigua Passionis signa*, seu vestigia induxit. Qua passione etsi Thecla haud occubuerit, nihilosecius, quoniam pro Christi fide certamini, & morti reapse exposita fuit; ideo velut Martyr, & *muliebrium victoriarum*, ac *trophæorum caput*, sive ante alias Christianas Martyres, ante cæteras Theclas passionis signis ornata est: atque e media turbidarum affectionum tempestate ad æternæ felicitatis *portum ab omnibus fluctibus immunem* appulsa Virgo & Martyr *colitur*. Quæ veterum traditiones Theclam Pauli discipulam aut enuntiantes, aut innuentes, non modo illorum fictorum actuum commenta non ferunt; verum etiam discrepant ab iisdem figmentis; quod acta illa Theclam ab Apostolo Paulo Apostolicum officium accepisse, ac Leonem baptismo tinxisse confingant: illæ autem Patrum narrationes testentur, Theclam a *Paulo* tantummodo *instructam*; & leonem, ad quem damnata est, feræ natura divinitus mutata, ipsius Virginis pedes linxisse, humi cubitasse, eamque Virginem violare ausum non fuisse: quæ pura instructio, atque prodigium, quo etiam alios Martyres Deus donavit, & insignivit, a commentis illis oppido abhorrent. Has igitur veras relationes, non fictiones illas, tunc Christiani ore, oculis, auribus, atque animis recepere: quandoquidem ipsas fictiones a prædicto Presbytero invectas Tertullianus respuit; ac S. Methodius eodem tertio sæculo, quo Tertullianus supremum diem expleverat, Theclæ virginitatem, ac certamina sine illis figmentis nuntiavit: & Hieronymus quarto sæculo illustris commenta illa rejecit; sed eodem tempore Epiphanius, Nazianzenus, Nyssenus, atque Ambrosius Theclæ gesta, ejusque passionem absque relatis fictionibus inculcarunt: ac sic Fideles cum Tertulliano, & Hieronymo eadem figmenta aspernantes, alteri veræ narrationi cum Methodio, cæterisque Patribus aurem præbuerunt & fidem. Non ergo, uti Basnagius effin-

effingit, hi Patres creduli fuere fictionibus; nec Theclæ gesta, quæ ii narrant, ex actis fictitiis, sed ex pura traditione, quam Fideles celebrabant, hausere; utpote qui eorumdem actuum confictiones nequaquam retulerint; immo Theclæ res a commentis illis distantes, cumque ipsis proinde haud confusas, palam tradiderint.

Qua in causa, ne multa commemorem, mitto quædam volumina sub quorumpiam veterum nominibus evulgata, sed vel in dubio posita, vel ipsis afficta.

Mitto etiam, quod in Origenis libro 1. Periarchon, sive de principiis, (*a*) ficti *actus Pauli* sine crisi citentur: cujus adlegationis quum græcus textus originalis nunc minime reperiatur; eaque ex Ruffini versione tantummodo appareat; idcirco ipsius Ruffini esse videtur; ut qui Periarchon libris multa sua intus adjecerit, atque Origenis plura mutaverit. Verum etiamsi iste actus illos protulerit, id tamen nihili est; quia ante eum Joannes Apostolus, ac Tertullianus eadem acta subdititia ejecerunt; quibus subinde Origenes veritatis pondus, quo ipsa carebant, addere nequiit.

Mitto demum libros soluta oratione conscriptos de gestis, & miraculis S. Theclæ; quos Petrus Plantinus, Decanus Bruxellensis sub nomine S. Basilii Seleuciensis in Isauria metropolitæ, qui fere medio sæculo quinto floruerat, edidit ex codicibus non satis probatis: quos libros eidem Basilio suppositos esse ex Photio deducitur; qui in Bibliotheca de ejus operibus agens hæc scripsit: (*b*) *idem vero Basilius ille est, qui primæ Martyris Theclæ præclare gesta, & certamina, atque victorias metris prosequitur; cujus καὶ & alia scripta circumferuntur*. At si libros de gestis, & miraculis S. Theclæ Basilius soluta oratione concinnasset, profecto Photius eos in medium attulisset; quippe qui & *alia* illius *scripta*, & potissimum metricam narrationem, quæ *Theclæ gesta*, *certamina*, *atque victorias* describebat, quæque deperdita est, silentio non præterierit. Is ergo ut hanc metricam descriptionem nequaquam reticuit; ita nec de illis libris, si extitissent, siluisset: quo iidem Basilii Seleuciensis fœtus minime æstimantur; & eo magis, quod in ipsis non eniteat *incitata oratio*, non dictionis *perspicuitas*, ac *suavitas*, non denique *accelerata membra*, atque *periodi*: quas styli, qui in legitimis ejusdem Basilii operibus lucet, proprietates fuisse Photius ipse perscripsit. Quodsi illorum auctor quidam alius Basilius Seleuciensis dicatur; ex hoc tamen colligi nequit, acta Pauli & Theclæ genuina esse; & aliqua figmenta, quæ iisdem in libris ponuntur, a vero neutiquam abhorrere: quandoquidem author in priore eorum libro narravit, Theclæ Apostolum Paulum dixisse, *verbum doce, Evangelicumque cursum perfice; eo enim Christus te opera mea selegit, ut ad Apostolicum te etiam munus proveherer*: quod commentum in priscis illis actis exstans laudati Patres Basilio hoc se Seleuciensi antiquiores proscripserunt; & cæteri eo-

(a) *Origen. lib. 1. Per. cap. 2. tom. 1. nov. edit. Paris.*

(b) *Phot. in BB. C. 168.*

vetustiores Theclam a Paulo solum edoctam, illisque certamina absque fictionibus sparsim enarrarunt. Quam ad crisin quum illorum librorum author animo minime attenderit, profecto actis illis, atque figmentis genuinam, veramque validitatem, qua destituta erant, tribuere haud valuit.

Quid tum? certo ex iis adversus alia Dallæi dicta, quæ confusionem ferunt, apparet, quod eorum actuum Fictor Pauli Apostoli stylum, & ingenium exprimere nequiit; quum eorum verborum iisdem in actis contentorum, ac modo adductorum stylus, atque artificium a dicendi genere, & indole, quæ in sacris Pauli epistolis sunt, valde differant: ob quod illis istæ sunt inconfusæ. Hinc ab initiis confictionis eorumdem actuum Joannes Apostolus inter mortales sapientissimus, ac non minimus, Præsbyterum eorum figmentorum *autorem*, neque viribus, neque gratia, qua populo placeret, satis instructum, de gradu dejecit; acta illa rescidit; sicque edixit, ne eadem in legitimorum Pauli operum numero, locoque ducerentur; neve cum istis confunderentur. Quo critico documento a Fidelibus Joanni supparibus Tertullianus imbutus, utpote *vicinus eorum temporum*, contra Pepuzianos, qui ipsis actis prædictam mulierum licentiam perperam tuebantur, illa *Paulo adficta* nuntiavit. Non ergo commendati Fideles, sed aliqui Montanistæ minus cauti, minus perspicaces, minusque docti fictos eos actus foverunt: sed tamen neque iis quasi legitimis reapse Bibliothecas omnes referſere; vel quod Tertullianus ipse, Eusebius, atque Hieronymus illos actus exsibilarint; vel quod Methodius, cæterique Patres adducti S. Theclæ gesta absque figmentis, quæ ipsis in actis inveniebantur, describendo, innuerunt, Bibliothecas suas iisdem voluminibus adulterinis, quæ ipsi tacuerunt, penitus caruisse: quæ etiam in Bibliotheca Photii, qui & de iis actis nothis, & de illis libris complectentibus siluit, desiderantur. Non igitur cunctæ Bibliothecæ aut ipsis actis quasi genuinis, aut reapse, oppletæ fuerunt; verum in aliquibus locis illa ut fictitia, non ut germana Pauli conscripta, neque apostolicis cum scripturis confusa, reperiri veteres significarunt.

Sed quoniam de iis adulterinis voluminibus satis est disputatum; restat, ut Apologeticus liber pro Origene intrusus affatim tractetur: quem quum Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui Ariani erroris sectator interdum exstitit, elaborasset; eoque Origenem huic errori in libris Periarchon faventem infælicius tuitus esset; attamen Ruffinus sub quarti sæculi finem de illo Apologetico abstulit plura: plura quoque mutavit: eundemque librum sub nomine S. Pamphili Cæsareensis Presbyteri, qui cum Eusebio ipso, antequam Ariana hæresis prodiret, amicitiam junxerat, quique Galerio Maximino Orientis Imperatore Christianos nequiter persequente martyrium susceperat, fallaciter edidit. Cujus temporibus non tam minima existebat eruditorum copia, nullus ut eam fraudem detegeret, atque exagitaret. Nam S. Hieronymus confusionem omnem diremit; quoniam illam suppositionem reprehendit; quemadmodum hoc vel Dallæus contra suam opinationem fatetur.

Quum enim Ruffinus idem Origenis libros Periarchon non recte e græco

græco in latinum vertisset; ac plures errores, quos in ipsis Origenes posuerat, aut reticuisset, aut emendasset; multa autem inibi minus Catholice dicta superessent; ac propterea ille eosdem principiorum libros ab Hæreticis depravatos, & Origenem errore purum dixisset; ad idque propugnandum Origenis Apologiam, quam S. Pamphili martyris nomine simulate adornarat, in Præfatione translationis suæ attulisset; tum Hieronymus germanam ipsorum librorum versionem Christianæ æræ anno 400. produxit; errores in iis contentos aperuit; atque coarguit subdolam Ruffini interpretationem: propter quod is tres Invectivarum libros in S. Doctorem anno 401. elucubravit: quarum argumenta Hieronymus ex amicorum ore, & litteris novit, ac duos Apologiæ libros adversus Ruffinum ipsum anno 402. perscripsit: quare quum S. Doctor, nondum perspectis Ruffini technis Origenis Apologiam a Martyre Pamphilo exaratam in Catalogo virorum illustrium circa annum 392. edito posuisset: postmodum tamen, re in examen vocata, & penitius expensa, illud in iisdem Operibus Apologeticis retractavit; & Origenis Apologiam non a Pamphilo martyre, qui alias Origenianos sacrarum Scripturarum commentarios, & versiones dumtaxat laudarat; sed ab Eusebio Cæsariense scriptam esse vicit, Ruffinum libro 1. suæ Apologiæ sic arguens: (a) *docet ipsa Præfatio, & Pamphili Martyris librum pro defensione Origenis a te esse translatum: & hoc agis totis viribus, ut cujus fidem Martyr probat, Ecclesia non refutet. Sex libros .. Eusebius Cæsariensis Episcopus, Arianæ quondam signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus, & multis testimoniis adprobavit, Origenem juxta se catholicum, id est, juxta nos Arianum esse. Horum tu primum librum vertis sub nomine Martyris. Et miramur, si me homunculum parvi pretii, Origenis laudatorem velis, quum Martyri calumniam feceris? Paucisque testimoniis de Filio Dei, & Spiritu sancto commutatis, quæ sciebas displicitura Romanis, cætera usque ad finem integra dimisisti: hoc idem faciens in Apologia quasi Pamphili, quod & in Origenis περὶ Ἀρχῶν translatione fecisti. Si iste Pamphili liber est, de sex libris quis erit primus Eusebii? in ipso volumine, quod tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est: in secundo quoque, & reliquis dicit Eusebius, quod in primo libro ante jam dixerat, & quod eadem repetere non debeat. Si totum opus Pamphili est, cur reliquos libros non transfers? Si alterius, cur nomen immutas? Taces: ipsæ res loquuntur; videlicet ut crederent Martyri, qui Arianorum Principem detestaturi erant. Quid tibi animi fuisse dicam, Amice simplicissime, Te ne potuisse Hæretici hominis libro Martyris nomen imponere, & ignaros sub auctoritate testis Christi, Origenis facere defensores? Pro eruditione, qua polles, & inclitus συγγραφεὺς in occidente laudaris, ita ut κορυφαῖον, te omnes tuæ partis nominent, non reor, te ignorasse Eusebii σύνταγμα, & Pamphilum Martyrem nihil omnino Operis condidisse. Ipse enim Eusebius amator, & præco, & contubernalis Pamphili tres libros scripsit elegantissimos, vitam Pam-*

[a] S. Hieronym. in Apol. adv. Ruff. lib. 1. num. 8. tom. 2.

Pamphili continentes: in quibus quum cætera miris laudibus prædicaret, Humilitatemque ejus ferret in Cœlum, etiam hoc in tertio libro addidit. „ Quis studiosorum amicus non fuit „ Pamphili? si quos videbat ad victum necessariis indigere, præbebat „ large quæ poterat. Scripturas quoque sanctas non ad legendum tantum, sed & ad habendum tribuebat promptissime: nec solum viris, sed & Fœminis, quas vidisset lectioni deditas. Unde & multos codices præparabat; ut, quum necessitas poposcisset, volentibus „ largiretur. Et ipse quidem proprii „ operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos „ forte mittebat; in tantum se humilitate dejecerat. Veterum autem „ tractatus scriptorum legebat studiosissime, & in eorum meditatione jugiter versabatur. „ *Defensor Origenis, & laudator Pamphili dicit, Pamphilum nihil omnino scripsisse, nec proprii quidquam condidisse sermonis: & hoc dicit jam Pamphilo martyrio coronato; ne habeas suffugium, post editos ab Eusebio libros hoc Pamphilum scripsisse.*

Hinc Ruffino dicenti, se non esse defensorem, neque assertorem Origenis, Hieronymus in altero ejusdem apologiæ libro istud opposuit: (a) *jam nunc tibi proferam librum tuum; de quo in famosa illa præfatiuncula præclari operis tuis his verbis loqueris;* „ cujus diversitatis causam plenius tibi in Apologetico, quem „ Pamphilus in libris suis scripsit, „ edidimus, brevissimo libello superaddito; in quo evidentibus, ut arbitror, probamentis, „ corruptos esse in quamplurimis ab „ Hæreticis, & malevolis libros ejus „ ostendimus, & præcipue istos, „ quos nunc exigis, ut interpreter, „ id est, περὶ Ἀρχῶν „ *non tibi suffecerat Eusebii, vel certe, ut tu vis, Pamphili pro Origene defensio; nisi quod ab illis minus dictum putabas, tu quasi sapientior, & doctior adderes? . . . Referens enim de Apologia Pamphili Martyris, quam nos Eusebii Arianorum Principis probavimus, de qua dixerat,* „ prout potuimus, vel „ res poposcit, latino sermone digessimus, *intulit*, illud est, quod „ desideriorum vir, Macari, te admonitum volo, ut scias, hanc quidem fidei regulam, quam de libris ejus supra exposuimus, esse „ talem, quæ & amplectenda, & tenenda sit. In omnibus enim his „ Catholicum inesse sensum evidenter probatur. „ *quamvis de Eusebii libro multa subtraxeris, & in bonam partem de Filio, & Spiritu sancto nisus sis commutare: tamen multa in illo scandala reperiuntur, & apertissimæ blasphemiæ; quæ iste sua negare non poterit, Catholica esse pronuntians. Dicit Eusebius, immo, ut tu vis, Pamphilus, in isto volumine, Filium Patris ministrum: Spiritum sanctum non de eadem Patris, Filiique substantia: animas hominum lapsas esse de Cœlo: & in hoc, quod sumus de Angelis commutati, in restitutione omnium æquales & Angelos & Dæmones & homines fore, & multa alia tam impia, & nefaria, quæ etiam replicare sit criminis. Quid faciet assertor Origenis, & interpres Pamphili? Si in his, quæ emendavit, tanta blasphemia est, in illis, quæ ab Hære-*

[a] *Hier. ibid. lib. 2. num. 15.*

Hæreticis falsata confingit, quanta sacrilegia continentur? Cujus opinionis causam hanc suspicatur; quod vir neque stultus, neque insanus dicere sibi repugnantia non potuerit. Et ne forsitan putaremus diversis eum varia scripsisse temporibus, & pro ætatibus edidisse contraria, addidit : „ quid „ facimus, quod interdum in eisdem „ locis, atque, ut ita dixerim, „ in consequenti capitulo oblitus sui „ esse potuit? Verbi gratia, ut qui „ superius dixerat, nusquam inve„niri in omni scriptura, ubi Spiri„tus sanctus factus, vel creatus es„se diceretur; continuo subjiceret, „ inter cæteras creaturas factum es„se Spiritum sanctum? aut iterum, „ qui Patrem, & Filium, unius sub„stantiæ, quod græce ὁμοούσιον dici„tur, designavit, in consequentibus „ statim capitulis alterius esse sub„stantiæ, & creatum poterat dice„re eum, quem paulo ante de ipsa „ natura Dei Patris pronuntiaverat „ natum? „ (a) „ Hæc ipsius verba „ sunt, negare non potest. Nolo di„cas, verbi causa, ut qui superius „ dixerat, sed ipsum librum nomi„na, ubi prius bene dixerit, & po„stea male: ubi Spiritum sanctum, „ & Filium de Dei Patris scribens „ esse substantia, statim in conse„quentibus asseruerit Creaturas. Ne„scisne me Origenis habere omnia, „ legisse quamplurima? ... Vir do„ctissimus Eusebius (doctissimum „ dixi, non Catholicum, ne more „ solito mihi & in hoc calumniam „ struas) per sex volumina nihil aliud „ agit, nisi ut Origenem suæ osten„dat Fidei, id est, Arianæ perfi„diæ: & multa ponit exempla, & „ hoc constanter probat .... (b) Post „ hæc, & tanta audes in Apologia „ tua dicere, te non esse defenso„rem Origenis, neque assertorem il„lius, pro cujus defensione Pam„philus, & Eusebius tibi parum di„xisse sunt visi: adversum quæ vo„lumina (si Dominus vitæ hujus „ dederit spatium) alias respondere „ conabor. Nunc tantum tuis as„sertionibus obviasse sufficiat, & hoc „ breviter prudentem instruxisse le„ctorem, me istum librum, qui sub „ nomine Pamphili ferebatur, vidisse „ primum scriptum in Codice tuo; „ & quia non erat mihi curæ, quid „ pro hæretico diceretur, sic sem„per habuisse, quasi diversum esset „ opus Pamphili, & Eusebii: po„stea vero quæstione mota, scriptis „ eorum respondere voluisse, & ob „ hanc causam legisse, quid pro O„rigene unusquisque sentiret, per„spicueque deprehendisse, quod pri„mus liber sex voluminum Eusebii „ ipse esset, qui unus sub nomine „ Pamphili a te editus est, tam græ„ce, quam latine, immutatis dum„taxat sensibus de Filio, & Spiri„tu sancto, qui apertam blasphe„miam præseferebant. Unde etiam „ ante annos ferme decem quum „ Dexter amicus meus, qui Præfe„cturam administravit Prætorii, me „ rogasset, ut auctorum nostræ reli„gionis ei indicem texerem; & in„ter cæteros Tractatores posui & „ hunc librum a Pamphilo editum, „ ita putans esse, ut a Te, & tuis „ discipulis fuerat divulgatum. Sed „ quum ipse dicat Eusebius, Pam„philum nihil scripsisse, exceptis „ brevibus epistolis ad amicos: & „ pri-

[a] *Ibid. num. 16.*

[b] *Ibid. num. 24.*

„ primus liber sex voluminum illius eadem, & iisdem verbis contineat, quæ sub nomine Pamphili a te ficta sunt; perspicuum est, te idcirco librum hunc dissеminare voluisse, ut sub persona Martyris hæresim introduceres. Cumque de hoc ipso libro, quem Pamphili simulas, multa perverteris, & aliter in Græco, aliter in latino sit, fraudem tuam errori meo imputare non debes. Credidi enim, ejus esse librum, quem titulus præferebat, sicut περὶ Ἀρχῶν, & multa alia Origenis opera, plurimorumque Græciæ Tractatorum, quæ aut ante non legi, aut nunc compellor legere, quæstione hæreseos suscitata; ut sciam, quæ vitare debeam, quæ probare. Unde & in adolescentia homilias tantum ejus, quas loquebatur ad populum, in quibus non tanta scandala tenebantur, simpliciter rogantibus transtuli, nullis præjudicans ex his, quæ probantur illa suscipere, quæ manifestæ Hæreticæ sunt. Certe, ut compendium longi sermonis faciam, sicut ego ostendo, me ab his accepisse librum, qui de tuo Codice transcripserunt; sic tu doce, a quo exemplar acceperis, ut qui auctorem libri dare alium non potuerit, ipse Falsitatis reus teneatur.

Hisce omnino consentiunt ea, quæ S. Doctor sub anni 402. initium rescripsit acceptis Ruffini libris; quibus iste in illum minus bene invehebatur, eumque Apologeticum Pamphilo Martyri falso adscriptum præcipue inculcabat: quo de libro Hieronymus in ultima sua responsione, sive libro III. adversus eundem Ruffinum ita disseruit: (a) „ de tuo Codice quasi Pamphili exemplar accepimus: credidi Christiano, & credidi Monacho: non putavi tantum sceleris a Te posse confingi. Postea vero per interpretationem tuam quæstione contra Origenem toto orbe commota, in quærendis exemplaribus diligentior fui, & in Cæsariensi Bibliotheca Eusebii sex volumina reperi Ἀπολογίας ὑπὲρ Ὠριγένους: quæ quum legissem; primum eum librum deprehendi; quem tu solus sub nomine martyris edidisti, de Filio, & Spiritu sancto in bonam partem plerisque blasphemiis commutatis: & hoc vel Didymum, vel Te, vel alium fecisse nescio quem; quod tu apertissime in libris περὶ Ἀρχῶν fecisse convinceris, maxime quum idem Eusebius, ut jam duobus libris docui, scribat, *Pamphilum nihil proprii operis edidisse*. Dic ergo & tu, a quo exemplar acceperis, nec mihi ad subterfugiendum crimen *mortuos aliquos nomines*; ut quum auctorem ostendere non potueris, illum proferas, qui non possit respondere. Sin autem rivulus ille in tuis scriniis fontem habet; quid sequatur, etiam me tacente, non dubitas. Verum fac, ab alio quolibet amatore Origenis libri hujus titulum, & auctoris vocabulum commutatum: cur hoc in latinam linguam vertis? videlicet ut testimonio Martyris omnes Origenis scriptis crederent, præmissa mutatione tanti auctoris, & testis. Nec tibi sufficit doctissimi viri Apologia, nisi scribas, „ & pro-

[a] S. Hieronym. lib. 3. advers. Ruffin. num. 12.

„ & proprium volumen pro defensione ejus: quibus per multos disseminatis tuto jam libros περὶ Ἀρχῶν vertis e græco, & hos ipsos Præfatione commendas, dicens, *nonnulla in his ab Hæreticis depravata*, quæ tu de aliorum librorum Origenis lectione correxeris. Me quoque laudas, ne tibi amicorum meorum quispiam contradicat. Origenis κήρυκα prædicas; eloquentiam meam fers in cœlum, ut fidem in Cœnum deprimas, Fratrem, & collegam vocas, & imitatorem te mei operis confiteris. Quumque a me translatas Origenis septuaginta homilias, & nonnullos tomos in Apostolum jactes, in quibus sic cuncta limaverim, ut nihil in illis, quod a Fide Catholica discrepet, latinus lector inveniat: nunc eosdem libros Hæreticos criminaris; & verso stylo, quem prædicaveras, quia consortem putabas, accusas, quoniam perfidiæ tuæ cernis inimicum. Quis e duobus calumniator est Martyris? ego, qui illum dico Hæreticum non fuisse, nec scripsisse librum, qui ab omnibus reprehenditur; an Tu, qui volumen Hominis Ariani, titulo commutato, sub nomine Martyris edidisti? Non tibi sufficit scandalum Græciæ, nisi illud & latinorum auribus ingeras, & inclytum Martyrem tua, quantum in Te est, translatione deformes. Tu quidem alia mente fecisti, non ut Martyrem argueres, non ut me accusares, sed ut Origenis per nos scripta defenderes. Attamen scito, Romanam fidem Apostolico ore laudatam istiusmodi præstigias non recipere .... Ergo, Frater, sive a Te falsatus est liber, ut multi putant; sive ab altero, ut forsitan persuadere conaberis, & temere credidisti, Hæretici hominis συνταγμα esse Martyris, muta Titulum.

Quocirca opus illud Apologeticum Martyri Pamphilo certe suppositum fuisse, Hieronymus monstravit hisce rationibus; quod idem Martyr Eusebio Teste *nihil proprii operis*, præter quasdam *breves epistolas*, ediderit; quodque ipsum Apologeticum volumen fuerit *sex voluminum Apologiæ pro Origene*, quam *Eusebius* ipse composuerat, *Primum*; quæ *sex volumina* in *Bibliothecæ Cæsariensis* codice nomen *Eusebii*, non Pamphili Martyris, præferebant; qui codex ab eodem Eusebio, utpote *Cæsariensi* Episcopo, profectus, ac sic germanus, & ab aliis adulterinis secretus, iisque præferendus, merito judicatur: quo idem Apologeticus liber non S. Pamphili, at Eusebii συνταγμα, sive compositionem, adeoque stylum exhibuit: quibus argumentis Hieronymus firmiter adprobavit, illam Apologiam ei Martyri subditam esse *tituli* depravatione, qua *falsatus est liber*. Et quamquam S. Doctor de primario fictionis artifice ambegit; tamen de ipsa operis suppositione nunquam dubitavit, dum eam firmissimis rationibus hic pro certo affirmavit, & a Ruffino invectam dubio procul adstruxit; quippe qui sua latina versione Eusebii olim *Ariani titulum commutaverat sub nomine Martyris*, ac plura ejusdem libri dicta violarat: ex quo fictio certa est, atque perspicua; nam *tituli*, & dictorum *mutatio* volumen alteri indubitanter suppositum arguit; quæ nihilominus confusionem neutiquam genuit; etenim sincerus codex, quem *Eusebius*, *non S. Pamphilus*, *scripsit*, a cæteris exemplaribus

bus corruptis, & subdititiis distinguebatur. Ac licet Ruffinus inanem plausum aucupaturus per suos Discipulos idem opus commentitia ea inscriptione decoratum alicubi dissemināsset, attamen plerique omnes aut docti, aut minus periti illud sine differentia amplexi non sunt, neve eodem adulterino exemplari universas Bibliothecas, quas Dallæus venditat, impleverunt; quandoquidem ipsum a plerisque *omnibus reprehensum* fuit, atque adeo ab istis nullo favore exceptum, sed permagno discrimine expulsum.

Sentio autem, quosdam recentiores tueri, illum Apologeticum commendati Martyris esse fœtum; ideoque Ruffini contentioni eos suffragari, plura Hieronymi authoritatibus, ac probationibus respondere; plura dehinc nobis opponere; pluraque simul adferre; quæ profecto parum firmamenti, parum rationis, ac nihil roboris obtinent; si recte pensitentur & merito.

Itaque illi primitus dicunt, quod Hieronymus in libro de viris illustribus Martyri Pamphilo Apologiam illam sine dubitatione ita attribuerit: (*a*) *Pamphilus Præsbyter, Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto Bibliothecæ Divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit; quæ usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca habentur: sed & in duodecim Prophetas* Ἐξηγήσεων *volumina manu ejus exarata reperi, quæ tanto amplector, & servo gaudio, ut Cresi opes habere me credam: si enim lætitia est, unam epistolam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum; per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia scripsit, antequam Eusebius Cæsariensis. Scriberet, Apologeticum pro Origene; & passus est Cæsareæ sub persecutione Maximini*. Hoc ipsum S. Doctor in epistola ad Magnum Oratorem urbis Romæ indigitare videtur; quum ibi S. Pamphilum inter scriptores Ecclesiasticos isto pacto recenset: (*b*) *exstant & Julii Africani libri, qui temporum scripsit historias, & Theodori, qui postea Gregorius appellatus est, viri Apostolicorum signorum, atque virtutum, & Dionysii Alexandrini Episcopi; Anatolii quoque Laodicenæ Ecclesiæ Sacerdotis; necnon Presbyterorum, Pamphili, Pierii, Luciani, Malchionis, Eusebii Cæsariensis Episcopi, Eustathii Antiocheni*.

Ista vero, eundem Apologeticum S. Pamphili esse, minime vincunt; quoniam ab Hieronymo retractata fuere; qui protulit ea non certis ex monumentis, non certa ex sententia, non sine dubitatione, sed sine cura sciendi verum illius authorem, atque ex Ruffini fraude, qua is idem opus sub prædicti Martyris nomine divulgarat.

Nempe Hieronymus anno 392. virorum illustrium, sive Tractatorum Ecclesiasticorum catalogum, & anno 397. ad Magnum epistolam scripsit nondum *mota quæstione* de libris περὶ Ἀρχῶν Origenis, nondum excusso Ruffini fuco, nondum documentis, quæ ipsum Apologeticum ejusdem Martyris prolem non esse ostenderent, pervestigatis. Sed ubi anno ferme 400. ea disceptatio excitata, & Origenis causa ad examen revo-

[a] S. Hieronym. lib. de vir. illust. cap. 75. Tom. 11.

(b) S. Hieronym. epist. 70. ad Magn. tom. 1.

revocata est: deinde S. Doctor præmonstratas suppositionis notas perspiciens, & quod prius de eo Apologetico scripserat, reprobans; in adducto libro contra Ruffinum denuntiavit, se *librum*, *qui sub nomine Pamphili ferebatur*, *primum vidisse* in Ruffini *Codice scriptum*, sibique *id curæ non* fuisse, ut illum S. Pamphili esse, vel non esse fœtum plane rescisceret. Atqui *ferri* relationem vagam, instabilem, incertamque denotat; ac *non curare* certi judicii prolationem neutiquam fert. Ergo dum Hieronymus ante illam quæstionem eo in catalogo prædictum Origenis Apologeticum a Martyre Pamphilo compositum diceret; atque hoc ipsum in epistola ad Magnum innueret; profecto non ex certa sententia, sed ex incerta, ac dolosa Ruffini relatione, ac non adeo sine dubitatione, eandem Apologiam a Sancto Pamphilo concinnatam perhibuit: quam opinionem levem ac dubiam postea rescidit comperto Ruffini artificio, atque Eusebii Codice, syntagmate, ac testimonio perspectis; in quibus ipsum Apologeticum non illius Martyris, sed Eusebii esse partum *perspicue deprehendit*.

At vero illi Critici ad eam epistolam inde confugiunt, quam Hieronymus, postquam illa quæstio excita esset, Pammachio, & Oceano dedit: in qua S. Doctor iisdem Recentioribus posuisse videtur, eum Apologeticum, quem *primum* Eusebii librum pro Origene alibi appellavit, vel fuisse ejusdem Historici sextum, vel Didymi, vel cujuslibet alterius opusculum esse, vel, ut demum concessit, conscriptum a Pamphilo: quem tamen excusavit, quod prius, quam Martyr foret, ipsum exaraverit: ex quibus iidem eruditi argumentantur, hasce esse leves, incertas, ac discrepantes conjecturas; & ideo Hieronymum rationibus, quas produximus, haudquaquam fidisse, aut sibi persuadere non potuisse, eam Apologiam alterius esse, quam Pamphili, sive non ab alio, quam ab isto elucubratam fuisse; dum aliqua tormenta propter Christi fidem perpessus, in carcere exstabat, ac vinculis; dumque sic quodammodo Martyr erat, contra ac putavit Hieronymus; siquidem ob eorum tormentorum tolerationem quidam Catholici quadantenus Martyres antiquitus vocabantur.

Ad hujuscemodi effugium præcludendum, atque ad plura clarius enucleanda, contextum illius epistolæ Hieronymi adferre debemus: cui quum Pammachius, & Oceanus conscripsissent, ut Origenis libros de principiis, quos Ruffinus, sicut narravimus, minus bene transtulerat, inque versionis suæ Præfatione directe Pamphilum Martyrem, & oblique Hieronymum opinationum Origenis laudatores jactaverat, e græco in latinum sermonem exactius converteret: tum eis S. Doctor celeriter respondit, ab se Origenem interpretem aliquot Divinarum Scripturarum laudatum, non quosdam hujus errores probatos; istos illis Origenis libris non ab Heterodoxo aliquo, sicuti nonnulli inconsulto dicebant, adjunctos fuisse, sed ab ipso Origene scriptos; ac Pamphilum neutiquam esse illius Apologetici authorem: de quibus duobus capitibus posterioribus S. Doctor ita loquutus est: „ illud vero, quod asserunt, a „ quibusdam Hæreticis, & malevo„ lis hominibus libros ejus esse vio„ latos, quam ineptum sit, hinc „ probari potest. Quis prudentior, „ do-

„ doctior, (a) eloquentior Eusebio, „ & Didymo, assertoribus Origenis, „ inveniri potest? quorum alter sex „ voluminibus τῆς Ἀπολογίας ita „ eum, ut se, sensisse confirmat: alter „ sic ejus errores nititur excusare, ut „ tamen illius esse fateatur, non „ scriptum negans, sed sensum scri- „ bentis edisserens. Aliud est, si „ quæ ab Hæreticis addita sunt, „ aliud si quis quasi bene dicta de- „ fendat. Ipse Origenes in episto- „ la, quam scribit ad Fabianum „ Romanæ urbis Episcopum pœni- „ tentiam agit, cur talia scripserit, „ & causas temeritatis in Ambro- „ sium refert, quod secreto edita in „ publicum protulerit. Et quid ad- „ huc εὐρεσιλογοῦσιν, aliena esse, quæ „ displicent? Porro quod Pamphi- „ lum proferunt laudatorem ejus; „ gratias illis ago meo nomine, „ quod dignum me putaverunt, „ quem cum Martyre calumniaren- „ tur. Si enim ab inimicis Orige- „ nis libros ejus dicitis esse viola- „ tos, ut infamarentur; quare mi- „ hi non liceat dicere, ab amicis „ ejus, & sectatoribus compositum „ esse sub nomine Pamphili volu- „ men, quod illum testimonio Mar- „ tyris ab infamia vindicaret? Ec- „ ce vos emendatis in Origenis li- „ bris, quod ille non scripsit; & „ miramini, si edat aliquis librum, „ quem ille non edidit? vos in edi- „ to opere potestis coargui: ille, „ qui nihil aliud edidit, facilius pa- „ tet calumniæ. Date quodlibet a- „ liud opus Pamphili: nusquam re- „ perietis: hoc unum est: unde igi- „ tur sciam, quod Pamphili sit? vi- „ delicet stylus, & saliva docere me „ poterunt. Nunquam credam, quod „ doctus vir primos ingenii sui fru- „ ctus quæstionibus, & infamiæ de- „ dicarit. Et ipsum nomen Apolo- „ getici ostendit accusationem; non „ enim defenditur, nisi quod in cri- „ mine est. Unum nunc proferam; „ cui contradicere vel stulti sit, vel „ imprudentis. Sexti libri Eusebii „ super Origenis defensione Princi- „ pium usque ad mille ferme ver- „ sus liber iste, qui Pamphili dici- „ tur, continet; & in reliquis scri- „ ptor ejusdem operis profert testi- „ monia quibus nititur adprobare, „ Origenem fuisse Catholicum. Eu- „ sebius, & Pamphilus tantam in- „ ter se habuere concordiam, ut u- „ nius animæ homines putes, & ab „ uno alter nomen acceperit. Quo- „ modo igitur inter se dissentire po- „ tuerunt, ut Eusebius in toto ope- „ re suo Origenem Ariani probet „ dogmatis, & Pamphilus Nicænæ „ Synodi, quæ fuit postea, defenso- „ rem? ex quo ostenditur, vel Di- „ dymi, vel cujuslibet alterius esse „ opusculum, qui sexti libri capite „ detruncato, cætera membra socia- „ rit. Sed concedamus ex superfluo, „ ut Pamphili sit, sed necdum Mar- „ tyris; ante enim scripsit, quam „ martyrium perpeteretur. Et quomo- „ do, inquies, Martyrio dignus fuit? „ scilicet ut Martyrio deleret erro- „ rem; ut unam culpam Sanguinis „ sui effusione purgaret. Quot in to- „ to orbe Martyres, antequam cæ- „ derentur, variis subjacuere pecca- „ tis? ... Hæc, Fratres charissimi, „ ad epistolam vestram celeri ser- „ mone dictavi.

Quid agimus? quid de ea authorita-

[a] *S. Hieron. epist. 84. ad Pamm., & Ocean. num. x. & xi. tom. 1.*

ritate dicimus? Possumus ipsa argumentum, quo nullum proprium opus, ac non adeo Origenis Apologeticum, a Pamphilo Martyre scriptum prædocuimus, communire; rem nostram prosequi; illaque responsa infirmare. Pamphilus enim istud volumen de Origenis defensione *non edidit*; quia *usquam quodlibet aliud opus*, ac ne hoc quidem *unum*, cujus Sanctus Martyr author esset, *reperiri* potuit: & quoniam eadem Apologia Eusebii, sicque non S. Pamphili, *stylum* redolebat. Idem vero liber Apologeticus non totum sextum Eusebii librum super Origenis defensione, verum *Sexti principium* continebat; cujus principii verba Historicus iste in primo, ac cæteris ejusdem operis voluminibus prætulerat, quod postea Hieronymus contra Ruffinum relatis iis dictis notavit; *Si iste Pamphili liber est: de sex libris quis erit Primus Eusebii? in ipso volumine, quod Tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est; in secundo quoque, & reliquis dicit Eusebius, quod in primo ante jam dixerat*. Atqui *reliqui* quatuor alii illius Defensionis libri sextum utique complectebantur; quum *sex* pro Origene libros Eusebius produxerit. Is ergo sexto in libro partem ejus, quod in *primo ante jam dixerat*, quodque ipsi amplius repetendum haud erat, rursum proposuit: ob quam rem vere Hieronymus pronuntiavit, Apologiam illam esse *primum* Eusebii librum super Origenis defensione, ac *sexti principio* constare. Nec vero S. Doctor a Didymo, vel a quolibet altero incerto authore eundem Apologeticum primitus compositum voluit; quippe quod attexuerit, aut ab illo, aut a quovis alio illius *sexti libri caput* *detruncatum*, ac *cætera membra primi* utique *libri*, quem postmodum expressit, esse *sociata*; ac proinde eam detruncationem, & colligationem istam, non ipsius Apologetici compositionem, quam *Eusebius* primum adornarat, ab illis effectas: quo sensu liber ipse uti Apologeticus non Pamphili Martyris, sed Eusebii sine dubio partus fuit; ut vero *detruncatus*, ac prioris libri partibus sociatus, vel Didymi, vel cujuslibet alterius, aut certe Ruffini, quemadmodum enucleabimus, adulterinum *Opusculum* erat: hinc librum illum S. Pamphilo falsè attributum fuisse comprobatur. Nam si a Pamphilo Martyre scriptus fuerat; cur *detruncato capite* ferebatur? sane nullam aliam ob causam, nisi ut non Eusebii, cujus nomen illi operi iidem homines detruncarant, sed Martyris Pamphili, cujus titulum ipsi affinxerant, parvus liber appareret; quam quidem simulationem per se ipsa amputatio pandebat. Hæc igitur argumenta non imaginaria, non levia, non dubia, non dissimilia, sed sibi consona sunt atque firmissima: a quibus Hieronymi animus persuasus, iisdem ita fidit, ut *nunquam crediderit*, eum Apologeticum S. Pamphili esse, ac propositis illis rationibus hance apertissimam declarationem subjunxerit. Quum itaque S. Doctor paulo post ait, *sed concedamus ex superfluo, ut Pamphili sit*: id profecto *nunquam credidit*: ac sic non ex vero, sed ex superfluo, aut ex inani, quod non credebat, quo & hypothesim, non rem ipsam, exprimebat, illud concessit, ut patefaceret, in libris Periarcon errores, de quibus disceptabatur, ab Origene collocatos fuisse: quos si Pamphilus Apologia inconsulto fovisset; culpa

haud vacasset; quam deinde Martyrio, in quo cæsus *sanguinem effudit*, diluisset: de quo Martyrio completo, non de vinculis, non de quibusdam tormentis, non de carcere, in quibus Pamphilus adhuc in *peccata labi* poterat, Hieronymus est loquutus; eum Martyrem protulit; perque adductum contextum excusavit. Quare qui vincula, verbera, & carceres pro Christo passi, iisque postea liberi, sancte mortui sunt: iidem quadantenus Martyres antiquitus nuncupabantur; at, priusquam supremum diem obirent, culpis, uti patet, erant obnoxii. Si ergo Pamphilus verberibus affectus, & in carcere vinctus, ante mortem eum Apologeticum elucubrasset, noxæ utique succubuisset, ob eumque defectum Martyr ante obitum appellandus non foret: quem tamen defectum quum completo Martyrio purgasset, post mortem vocandum fuisse Martyrem constat; quo nomine propter illam hypothesim ab Hieronymo post idem Martyrium donatus est. Reapse autem Pamphilus carcere detentus & compede illam Apologiam nequaquam composuit; id quod commonstrant rationes ex Hieronymo adlatæ: qui quamvis, nondum ea quæstione excitata, ad producta suppositionis argumenta animo minime attenderit: tamen hæc postea expendit illa epistola, illisque rationibus *celeri* quidem *sermone dictatis*, sed ad idem evincendum valde pollentibus: tum libris, quos commemoravimus, quique eandem rem magis, magisque declarant, concinnatis; suum certum judicium ostendit; quo illum Apologeticum a Pamphilo Martyre conscriptum fuisse nunquam censuit, nunquam credidit, nunquam sibi suasit.

Atenim quidam ipsi Hieronymo eum librum a S. Pamphilo exaratum esse nequaquam credenti, ab eoque opere ut Apologetico *accusationem* errorum Origenis indicari, in laudatis unis litteris perhibenti respondet; æquum esse omnino non credere, virum doctum, immo & sanctum, primos ingenii sui fructus quæstionibus, & infamiæ dedicasse. Minime hoc fecit Sanctus Pamphilus, minime gentium. Sed hoc potius citra omnem dubitationem credendum est; Virum doctum, & Sanctum, & Origenis tam amantem, ut eodem Hieronymo Teste *maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit*, calumnias adversariorum ejus ab homine innocente propulsasse. Atque etiam fatendum est, ab eo Apologetici nomine accusationem quidem, sed non ut justam, ostendi: alioquin & ipsius Hieronymi Apologia contra Ruffinum sibi adversantem scripta monstraret, eum vere, justeque accusatum. Quare Apologia pro Origene a Pamphilo exarata fuit adversum errores illi falso objectos, non autem quod idem ille in aliquo vero crimine fuerit.

Omitto ea, quæ ab Hieronymo exploduntur; qui propter adductas rationes *nunquam credidit*, illum Apologeticum a Martyre Pamphilo exaratum: atque adeo haud obscure proposuit, nusquam vel citra dubitationem omnem, vel aliquo pacto credendum esse, quod ipse Martyr eundem librum, quo Origenis errores præsertim in libris Periarchon existentes tegeret, eumque ab infamia vindicaret, effecit: qui quidem ex eodem Hieronymo non Origenis, sed *Divinæ Bibliothecæ amore flagrans*, Origenianas sacrarum Scriptura-

pturarum versiones ; ac duodecim Prophetarum expositiones, non libros de principiis, sua manu descripsit: quos ab illo exscriptos fuisse nullibi legitur: ac si id alicubi reperiretur: nihilominus Origenis errationes in ipsis exstantes ab eodem Martyre, utpote sancto, atque docto, aut defensæ, aut propulsatæ tanquam calumniæ neutiquam censerentur. Sane quis crediderit, Origenem innocentem, sive erratis purum fuisse? ipse loquatur; qui in epistola, quam ad Fabianum Romanum Pontificem misit, quamque eruditi omnes ex Eusebio, (*a*) & Hieronymo illius esse fœtum cognoscunt, *pœnitentiam agit*, quod *talia scripserit*. Non ergo innocens fuit, quem eorum errorum *pœnituit:* neque errata illi falso adscripta sunt, qui ab se *talia scripta* esse summo Pontifici aperte fassus est. Quam ob retractationem formali quidem sensu Origenes Hæreticus appellandus non est, quippe in erroribus defendendis minime pertinax: sed tamen ante pœnitentiam veri criminis, errorisve macula haud caruit: ac proinde nullo modo credendum, quod S. Pamphilus errationes ipsi illi falsæ attributas fuisse defenderit. Hinc illud Apologetici Origenis nomen justam *ostendit accusationem;* quoniam is errorum culpam reapse commiserat. Et vero quandoque Apologiæ contra calumnias editæ sunt, ut quædam a Patribus adversus Ethnicos scriptæ, ut Apologetici libri contra Ruffinum ab Hieronymo ipso exarati: qui non S. Doctorem juste, vereque accusatum, sed falsas Ruffini criminationes, quas commendatus Hieronymus diluit, monstrabant. Quandoque autem Apologia justam accusationem ostendebat, sicut illa ipsius Ruffini ad Anastasium Romanum Pontificem missa arguebat, eundem Ruffinum juste accusatum, quod & eos Origenis libros translatione sua corrupisset, & ipsum haud errasse perperam tuitus esset. Quas justæ accusationis rationes Hieronymus in libro 1. adversus Ruffinum, qui errores in Periarchon libris non ab Origene exaratos, sed ab Hæreticis additos pertendebat, ex illius Præfatione in eosdem libros sic attulit: (*b*) *si propter simplices noxia quæque detruncas, & ea, quæ ab Hæreticis addita simulas, ad peregrinum non vis transferre sermonem; cedo quicquid est noxium. Sin autem veritatis fidem in translatione conservas, cur alia mutas, & alia dimittis intacta? quamquam aperta confessio est in eodem Prologo, emendasse te prava, & optima reliquisse: ex quo non interpretis libertate, sed Scriptoris authoritate tenebris, si quid in his, quæ vertisti, Hæreticum comprobetur, & manifesti criminis argueris, idcirco te veneni calicem circumlinire voluisse, ut simulata dulcedo virus pessimum tegeret:* quibus Sanctus Doctor in libro tertio contra ipsum Ruffinum Anastasii Romani Pontificis judicium, quod hic in epistola ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum eadem de re protulerat, ita demum adjecit: (*c*) *Anastasii dicta contemnis. Quid enim tibi, ut ais, officere potest, quod, te ignorante, aut scripsit, aut forte non scripsit? Et si scri-*

[a] *Eus. lib. vi. Histor. Eccl. cap. 36. Hieron. loc. cit.*

[b] *S. Hier. lib. 1. cont. Ruff. num. 7.*
[c] *S. Hier. lib. 3. contr. Ruf. num. 21.*

scripsit, sufficit tibi totius orbis testimonium, quod nulli verum videtur, ut tantæ urbis sacerdos vel innocenti injuriam facere potuerit, vel absenti. Innocentem te vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit: absentem, qui accusatus respondere non audes; & tantum Romanæ urbis judicium fugis, ut magis obsidionem barbaricam, quam pacatæ urbis velis sententiam sustinere. Hæc omnia demonstrant, a Ruffino conditam suam illam Apologiam, quia de *manifesto crimine* & depravatæ translationis eorum librorum, & defensionis Origenis juste accusatus fuerat, itaut ipsam violatam interpretationem fateretur, atque *accusatus respondere non auderet*; ac *fugeret* supremum Anastasii *judicium*. Illis ergo de causis ea, quæ Hieronymus in sua Epistola posuit, quibusque prædictum apologeticum S. Pamphili haud esse probavit, justa sunt, atque vera.

Rursus autem ajunt, illius Apologetici, qui hodieque exstat, caput omni reliquo corpori convenire; & ita ejus libri principium non aliunde assumptum, sed inibi natum fuisse, atque compositum: de libro autem sexto Eusebii, quum perierit, nihil certo censeri posse: attamen ex illa Hieronymi Epistola, ubi is concordiam morum Pamphili, & Eusebii, ac doctrinæ diversitatem in duobus illis libris apparentem exhibet, colligi, unum, eundemque illorum auctorem, utpote qui difficulter a seipso dissentire potuisset, non esse; ac sic multo probabilius videri, eosdem duos libros valde inter se doctrina discordes duorum esse hominum, quam unius auctoris: ideoque librum primum Apologiæ pro Origene ob discrepantiam a sexto, quem Eusebio omnes attribuunt, non esse Eusebii, sed Pamphili.

Frustra latini illius Apologetici perfectio, sive partium ejus consensio, eaque doctrinæ diversitas efferuntur; quum liber ipse defectu, & adulterina translatione redundet; quod ex commemoratis Hieronymi libris probatur; quorum in primo hic ista, quæ sæpe collaudanda sunt, scripsit; *in ipso volumine, quod tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est*; quam S. Doctor Ruffino non objecisset, si in græco ejusdem archetypi voluminis contextu neutiquam extitisset: (*a*) quæ quum in latina ipsius scripti versione, quam censores suggerunt, quamque nunc dumtaxat habemus, nequaquam compareat; & aliunde ad pernoscendum operis auctorem, qui *sex libros* Apologiæ pro Origene composuerat, magni momenti sit: certe ejus *mentionis* defectus Apologeticum latinum imperfectum esse, ac subdole a Ruffino vitiatum ostendit. Quare ipsius libri uti imperfecte, ac vafre translati caput suo defectui congruere videtur; at omni reliquo, & vero corpori, sive græco volumini partem illam gravissimam comprehendenti haudquaquam respondet: cujus quoque initium non ex aliis sequentibus libris decerptum, sed inibi græce ita natum est, ut *reliquorum*, & maxime *sexti principium* a primo libro sumptum sit, ac repetitum; ut sic non Pamphili martyris, sed Eusebii, a quo reliqui

(*a*) Vide hanc Apologiam in tomo IX. Hieronymi operum a Mariano Victorio editorum.

qui omnes cum aliqua præfationis primæ repetitione exarati sunt, opus palam appareat. Ejusdem vero prioris Apologetici non ut incorrupti, sed ut adulterati doctrina idcirco a sexto diffidebat; quia Ruffinus ipsius scripti violator *Primum librum vertit sub nomine martyris; paucisque testimoniis de Filio* Dei; ac *Spiritu Sancto commutatis, quæ sciebat displicitura Romanis*, ac *multis subtractis* plura *emendavit*, ita ut *aliter in græco, aliter in latino* primi Apologetici textus fuerit: quæ ex productis Hieronymi locis prænovimus: ergo inter depravatum, mutatumque librum primum, & sextum, non inter hunc, atque illum sincerum, minimeque permutatum, quem Ruffino S. Doctor opposuit, cujusque textus *græcus* a *latino alius* fuit, inveniebatur doctrinæ diversitas: quod posterius negans argumentum patefacit, utriusque inviolati Libri auctorem non diversum, sed unum, eundemque fuisse; qui sine dubio Eusebius, haud S. Pamphilus, extitit.

Verum impugnatores adjiciunt, Hieronymum de libri suppositione, circa quam disputatur, addubitasse; postquam enim in Apologiis suis adversus Ruffinum tenuit, priorem Apologeticum nullius esse alterius, quam Eusebii; tum id constanter non docuit; at rursum vicit, eum librum a Didymo, vel a quolibet alio potius, quam ab Eusebio, vel a Pamphilo, productum esse hac ratione; quod primus liber Nicænæ Synodo consonus esset, tametsi ante istam conscriptus; reliqui autem libri Arii hæresim redolerent.

Contra Hieronymus in hoc defendendus est; quod hacce ipsa de re duas sententias protulerit: unam certam, qua primum illum librum ab Eusebio compositum, & Pamphilo martyri adfictum omnibus Apologiis suis firmiter ostendit: alteram incertam; qua vel a Didymo, vel a quolibet altero eundem librum non elucubratum quidem, sed ei Martyri primitus subditum, denotavit: interim autem manens in priori haud ancipiti sententia, dubium non habuit, quin Ruffinus in sua primi libri Apologetici transcriptione illam suppositionem posuerit, atque importarit: quæ tria enuntiata particulatim evincenda sunt. Enimvero Hieronymus nunquam in eo, quod prior ille liber & ab Eusebio concinnatus, & S. Pamphilo suppositus fuerit, vel paululum hæsitavit: siquidem non modo in commendata epistola, atque in priori apologiæ suæ libro res istas edocuit; verum etiam in altero libro, cujus, & aliorum quoque aliqua ad expugnandas responsiones denuo adducemus, Ruffino dixit, se *perspicue*, atque adeo evidenter, ac sine ulla dubitatione, *deprehendisse, quod Primus liber sex voluminum Eusebii ipse esset, qui unus sub nomine Pamphili a Te editus est tam græce, quam latine*. Idem porro certum judicium S. Doctor in libro tertio, ex quo eam ambiguitatem censores perperam eruunt, comprobavit: ubi illum Apologiæ Origenis codicem, qui sex voluminum Eusebii inscriptionem gerebat, sicque ab adulterino Ruffini scripto secernebatur, adlegavit; in eoque codice integro *primum librum* esse *Eusebii* plane *deprehendit*: ac propterea noluit, a Didymo, aut ab alio incerto eundem librum effectum: sed tantummodo ab horum uno, vel altero ejus libri *titulum*, pluresque *blas-*

blasphemias in bonam partem commutatas fuisse, S. Pater claris antecedentibus suis, & consequentibus significavit: quibus de primo earum *mutationum* artifice, non de relato prioris libri auctore, nec de suppositione ipsa ambegit; quia eum *primum librum* non S. Pamphili, sed illius *hominis* olim *Ariani* esse *volumen* sic indubitanter asseruit: *quis e duobus calumniator est Martyris; ego, qui illum dico hæreticum non fuisse, nec scripsisse librum, qui ab omnibus reprehenditur; an Tu, qui volumen hominis Ariani Titulo Commutato sub nomine Martyris edidisti?* Cujus assertionis firmitudinem Hieronymus commonstravit non solum ex prædicto Eusebii testimonio, atque syntagmate; sed quoque ex græco intemerato priori volumine, quod *apertam de Filio* Dei, & *Spiritu Sancto blasphemiam præseferebat*, atque adeo quod Nicænæ fidei, a qua etiam reliqui libri diffidebant, minime conformabatur, & ita Eusebii Ariani, non celebrati Martyris fœtus erat; ut eluceat, rationem, quæ a Censoribus subjicitur, irritam esse. Neque enim primus liber ut incorruptus ipsius Eusebii partus, sed ut *paucorum testimoniorum commutatione* depravatus, Nicænæ Synodo quadantenus conveniebat; quæ mutatio quum commentitia sit, eam libri fictionem confirmat. Quare si in epistola inculcata S. Doctor id scripsit; *Eusebius, & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes .., quomodo igitur inter se dissentire potuerunt, ut Eusebius in toto opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicænæ Synodi . . Defensorem?* profecto hæc de ejusdem operis suppositione nullam ferunt hæsitationem; quoniam ibidem Hieronymus animo certo prædixerat, *se nunquam crediturum*, ab eo Martyre Apologiam illam compositam esse. Ob istud ergo, ac propter cæteros textus jam prolatos eadem dicta nihil aliud exhibent, quam ut credibile nequaquam appareat, quod simul & Eusebius S. Pamphili amicus *in toto suo* utique *sex voluminum opere*, sicque in primo libro integro *Origenem Ariani probet dogmatis*; & Pamphilus in Apologetico, cui *caput detruncatum*, ac plura *detracta* fuerant, illum *Nicænæ Synodi* efferat *defensorem*: quarum caussarum dissensus eatenus tollitur; qua earum prior nec S. Pamphilum, sed Eusebium prioris libri inviolati compositorem, ut qui Arianam hæresim quondam sectaretur, ostendit: nec etiam posterior eum Martyrem, a quo Eusebius minime dissensisset; verum alium incertum illarum immutationum sutorem primarium demonstrat: quæ dubitatio ei certæ sententiæ neque contradicit, neque ipsam demolitur; quia & ambæ Fictorem ab indubitato prioris Apologetici Authore diversum repræsentant; & non paucis exemplis, quæ referre longum esset, constat, unum aliquod opus cuipiam certe suppositum esse, & ab alio scriptore, cujus & stylum oppido exhibet, & nomen sincero in Codice præfert, sane productum; verumtamen suppositionis artificem explorate nesciri: quæ crises quum distinguantur, nec semet, nec fictionem convellunt. Ea igitur hæsitatio certum illud Hieronymi judicium neutiquam aufert; eoque magis, quod is dehinc absolute pronuntiarit, *primum*: ipsum Apologeticum *Eusebii Cæsareensis* fuisse *librum*, & a *Ruffino*, uti monuimus, temere *prænotatum*

rum nomine Pamphili Martyris: quod S. Doctor pluribus post annis, quam suos Apologeticos exaraverat, declaravit epistola, quam anno 415. ad Ctesiphontem scripsit: in qua simul atque Ruffinum ipsum coarguit, quod aliud opus S. Martyri Sixto, de quo postea loquemur, affinxisset: continuo de illa Ruffini confictione hæc minime ambigua verba diserte habuit: (*a*) *Fecerat hoc & in sancti Pamphili Martyris nomine, ut librum primum sex librorum defensionis Origenis Eusebii Cæsareensis, quem fuisse Arianum nemo est, qui nesciat, Nomine Pamphili Martyris prænotaret.*

Exinde Recentiores adlatam Eusebii authoritatem, quam Hieronymus in priori suo Apologetico adhibuit, diluere conantur; dum in eo disputant, non absolute Historicum ipsum dixisse, a Pamphilo *nihil omnino operis* conditum: sed restrictim illum pronuntiasse, ab hocce *nihil proprii operis scriptum* fuisse: cui arcto enuntiato idem Eusebius hanc exceptionem adjecit, *exceptis epistolis*. Atqui primus ille Apologiæ liber nihil est aliud, quam epistola ad Amicos scripta pro Origene, adductis ex isto contra ejus adversarios testimoniis; quorum quidem conquisitorum, & in ordinem digestorum quoddam opus est illud volumen; at minime proprium, nempe ex vi ingenii, ac propriæ eruditionis compositum; itaut aliquam inde doctrinæ laudem quispiam consequi valeat. Pamphili autem Apologia nihil propriæ doctrinæ, sed multum alienæ, nimirum Origenis, habet.

Ast ille Apologeticus haudquaquam epistola, sed liber est ei Martyri adfictus; velut hoc deducitur ex Eusebio testificante, quod Pamphilus *proprii operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis:* ea porro inficiatione, *proprium opus*, sive librum ab epistolis, quæ proprie libri non sunt, ille *omnino* distinxit; quippe qui non aliquod opus, sed *epistolas* statim *exceperit*; atque ita absolute denotarit, nullum opus proprie dictum, aut librum a S. Pamphilo conditum, & solummodo epistolas ad amicos missas esse. Ipsa autem Apologia non fuit epistola ad Amicos directa, sed liber; quia non modo Hieronymus eam *librum* vocavit, atque ab *epistolis* secrevit; verum etiam Ruffinus, cui impugnatores velificantur, eandem haud in epistolas, sed in Pamphili libros, quamvis fallaciter, reposuit his verbis supramemoratis; *causam in Apologetico, quem Pamphilus in libris suis scripsit, edidimus:* qui Apologeticus proinde S. Pamphilo subditus est; quoniam multo ante Ruffinum Eusebius nuntiavit, eundem Martyrem *nihil proprii operis*, sive libri, *omnino scripsisse*. Ecquid modo dicam de ea Ruffini locutione? qua prætexuit, quod *Pamphilus libris suis*, ac sic propriis Apologiam illam adscripserit: contra quem prætextum Recentiores Eusebii verba minus recte arctantes, eandem non propriam Pamphili, cui aliunde ab ipsis affingitur, vocant ob testimoniorum Origenis collectionem: quasi vero in alicujus scriptoris authoritatibus vestigandis, & ordinandis non requiratur peculiaris vis ingenii, ac facultas; aut in iisdem percensitis non appa-

Dissert. II. Ii

(a) S. Hier. epist. 133. ad Ctes. tom. 1.

appareat propria colligentis eruditio; ac non, si iis iste bene utatur, laudem; sin male, vituperationem mereatur. Tum cernuntur vel in illo apologetico græce primitus edito, atque intemerato non tantum Origenianorum dictorum congestus, sed quoque infirma, & probrosa quorumdam errorum Origenis propugnatio: vel in eodem latinitate donato, & corrupto longior præfatio, ac multiplex ipsorum testimoniorum recensitorum expositio: vel maxime in utriusque editionis opere propria Apologiæ, sive defensionis doctrina, sine qua illud neutiquam esset Apologeticum scriptum. Quæ profecto præter Origenis documenta etiam propriam Defensoris doctrinam in eo contineri, ac propterea librum hujus esse proprium declarant. Quod si opus ipsum in Propugnationibus non aliud, quam Origenis doctrinam exhibebat; inde perperam infertur, Propugnatoris proprium non esse; nam sextus ejusdem Apologiæ liber nihil aliud, quam Origenis monumenta spectabat, & tamen Eusebii proprius erat. Quapropter si is *proprii* vocem eo restrinxit, ut signaret opus proprium illud esse, quod dumtaxat proprii scriptoris, non alterius doctrinam habet; sane liber ille sextus ejus proprius minime foret; quod cum ea Apologetici proprietate liquido pugnat. Non igitur eo modo vocabulum ipsum ille Historicus coarctavit; sed *proprium opus* ab *epistolis* absolute distinctum voluit. Et quoniam ipse Apologeticus non epistola, sed proprie liber fuit, aut opus; ac S. Pamphilus *nihil* hujusmodi *omnino* composuit; consequens est, ut & idem Martyr illum Apologeticum neutiquam concinnarit, & subinde eidem liber isce suppositus fuerit.

Hoc autem loco Censores nobis Eusebium ipsum objiciunt, qui in libri VI. Historiæ Ecclesiasticæ capite XXXIII. Apologiam illam ab semet, & a Pamphilo Martyre conscriptam esse narrat his verbis: *de Origene quamplurima memoriæ tradita sunt a senioribus nostræ ætatis Presbyteris . . . quæcumque vero necesse est de illo cognoscere; ea peti possunt ex Apologetico; qui a nobis, & a sacro Sancto nostri temporis Martyre Pamphilo pro illius defensione conscriptus est: quem quidem nos propter malevolos quosdam accusatores communi studio, atque opera junctim elaboravimus.*

Profecto quanto magis, magisque cogito; nimirum constabit, Apologiam illam a S. Pamphilo, sed ab Eusebio scriptam fuisse; cujus græca verba, quæ tum illo in capite, tum in subsequenti exaravit, secus, ac valesius, aliique latine reddiderunt, transferre debemus & promere. ille namque priore in loco agit de errore Berylli Bostrorum in Arabia Episcopi; a quo aliqua Catholicæ fidei contraria inducta fuere; quibus impudenter asseruit, Christum Jesum, antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriæ personæ differentia; nec propriam, sed paternam dumtaxat Divinitatem in se residentem habere; quas hæreses Origenes coarguit, errantem hominem convicit, atque ad veritatis viam perduxit. Quæ postquam Eusebius narravit: (*a*) ita fatus est; καὶ ἄλλα μὲν σῦν μυρία Ωριγένες.

[a] *Euseb. lib. VI. Histor. Eccl. Cap. XXXIII. pag. 258.*

πυς περὶ μνήμη παραδιδόασι των καθ' ἡμᾶς οἱ πρεσβυτέροι ... ὅσα δὲ ἀναγκαῖα τ περὶ αὐτὸν διαγνῶναι ιω, ταῦτα καὶ γη τῆς ὑπὲρ αὐτοῦ πεπολημένης ἡμῖν π καὶ τῷ καθ' ἡμᾶς ἱερῶ μάρτυρι παμφίλω απολογίας παρεστιν αναλεξασθαι. ὦ φιλαι πων ἕνεκα συμπονησαντες αλλήλοις, δια σπουδῆς πεποίημεθα: quæ sic vertenda sunt: *Sed & alia quamplurima de Origene memoriæ tradita sunt a nostræ ætatis Præsbyteris ... quæcumque vero necesse est de illo cognoscere; ea peti queunt ex Apologia agitata a nobis, & a sacro nostri temporis Martyre Pamphilo; quam nos propter contentiosos mutuo exercentes, studiose effecimus*. Quo ipsius Apologiæ scriptionem ille sibi tribuit in ejusdem VI. libri capite XXXVI. quod, quum nonnullos Origenis libros, litteras, ac præcipue jam memoratam *epistolam ad Fabianum Romanæ urbis Episcopum* exhibeat, ei capiti XXXIII. continuo jungendum videtur, (*a*) post quod Eusebius ait ἔχεις καὶ τούτων τὰς ἀποδείξεις ἐν ἕκτω τῆς γραφείσης ἡμῖν περὶ του ἀνδρός ἀπολογίας: quæ tali pacto traduci debent; *harum etiam rerum documenta habes in sexto Apologiæ scriptæ a nobis pro eo homine*. Equidem in superiori capite haud recte opposito cernimus, ab Eusebio verbum ποιέω bis adhibitum esse; quod vel ex Homero, (*b*) aliisque agere, aut laborare; vel ex Aristotele exercere, ac sic tractare, significat: priori autem sensu illud Eusebius minime accepit, ut qui adstituerit, συμπονήσαντες; quæ vox ex συμ, & eodem ποιέω composita si laborem, quo quidpiam efficitur, aut scribitur, denotaret: Tautologiæ, qua res eadem pluribus verbis idem significantibus exponitur, vitium eo in loco, cui idem scriptor apposuit πεποίημεθα, appareret, *quam nos una elaborantes elaboravimus, aut simul efficientes effecimus, aut conscribentes conscripsimus*: a quo tamen vitio Eusebii elocutionem abesse, eruditi fatebuntur. Qua de causa τὸ συμπονήσαντες non illam Apologiam *communi opera junctim elaboratam*, seu scriptam præfert; sed simplicem ejusdem exercitationem, aut tractationem sonat; ac rectam esse versionem, qua usi sumus, & qua aliam reprobamus, ostendit. Proindeque idem verbum paulo ante ab Eusebio positum haudquaquam significat, eam Apologiam a *S. Pamphilo conscriptam*; verum designat, ipsam ab eodem Martyre *agitatam*; quatenus iste de Origenis defensione cum ipso Eusebio dumtaxat colloquutus fuit, pertractavit, disseruit. Nec vero illud verbum, *effecimus*, significare potest, quod S. Pamphilus cum Eusebio eam Apologiam effecerit, sive conscripserit: quia Eusebius ipse & propiori antecedente enuntiato illam ab eo Martyre non effectam, neve exaratam, sed *agitatam* adstruxit; & postea S. Pamphilum minime nominando subjecit, a se eandem *scriptam* fuisse: quod non modo translationem a nobis productam communit; verum etiam eorum, qui præsertim non primum, sed solum sextum ejusdem operis librum ab Eusebio compositum arbitrantur, opinationem exagitat; quandoquidem Eusebius ait, *harum rerum documen-*

I 2 *ta*

(a) *Euseb. lib. VI. Histor. Eccles. cap. XXXVI. pag. 260.*

(b) *Homil. 12. a. Arist. v. Pol.*

ta habes in sexto Apologiæ scriptæ a nobis; quæ ex laudato textu græco clarius, & significantius in ipsum *Apologiæ* nomen, quam in *Apologetici* vocabulum, quod Valesius usurpavit, utique vertitur: qua in Versione plane intelligitur, non tantum *sextum* librum, sed & *Apologiam* ipsam a solo Eusebio *scriptam*. Illa autem *Apologia sex libris*, uti Hieronymus monstravit, constabat: ergo & primum ejus librum, & reliquos solus Eusebius, non Pamphilus, scripsit. Sed quid hic Martyr ore tenus egit? ex allato prioris capitis argumento conjicitur, S. Pamphilum denotasse; ab Origene contra Beryllum veram Christi Divinitatem fuisse defensam: a quo tamen certissimo Christianæ antiquitatis documento idem Origenes, qui hoc propugnarat, desciscens, contraria, & errantia, de quibus, deque aliis erratis epistola ad celebratum Fabianum fassus est, in Periarchon libris conscripsit: quæ Eusebius, ut Arium quandoque complecteretur, sequutus, eique, antiquiori traditioni interdum adversatus; errores suos in primo Apologetico & reliquis exaravit, illis, aliisque ipsam Apologiam refersit, sicque eam suam effecit; propterea quod & operis denominatio a majori parte desumitur, & illius totius Apologiæ scriptio a solo Eusebio, quemadmodum ipse posteriori loco ingenue significat, professa est, atque eas omnes ob causas S. Pamphilo, qui errores illos sustinuisse non creditur, dubio procul adficta. Quod si eodem in Apologetico solus Eusebius ea repugnantia volubilis Origenis monumenta reposuit, id minime mirum videri debet; quoniam ille pravo Ariani erroris affectu sacrarum Scripturarum de Filio Dei doctrinas in libris Præparationis, ac Demonstrationis Evangelicæ, & Ecclesiasticæ Theologiæ perperam varie interpretatus; atque in libro I. Ecclesiasticæ Historiæ cap. II. de eodem Dei Verbo proloquutus; ipsum *secundam omnium rerum causam post Patrem* nequiter appellavit; aliaque ei errori consona distortis scripturæ Divinæ enarrationibus protulit: sed tamen in libro V. ejusdem Historiæ cap. XXVIII. veram Christi Divinitatem diffiteri nequiit; quum isto loco quendam vetustum scriptorem celebrarit; qui contra Artemonis Christum merum hominem effutientis hæresim adlegavit non modo S. Justinum Martyrem, aliosque, *in quorum omnium libris Christi Divinitas adstruitur*; verum etiam S. Irenæi, Melitonis, ac reliquorum *scripta*, *in quibus hi Christum Deum simul atque hominem prædicarunt*. Denique Historicus idem, mutato consilio, Ariique hæresi rejecta, eundem Dei Filium Patri *Consubstantialem*, atque ita verum, summumque Deum esse, ex veteribus supra commendatis agnovit, & credidit. Sic illa inconstantis Origenis contraria, quorum unum eam Catholicam fidem ex vetustiori traditione probat, atque erratum alterum demolitur, ipsemet Eusebius *scripsit* in illa Apologia Pamphilo Martyri adficta.

Tum vero adversæ partis patroni sibi advocant Socratem, Prædestinatum, ac Photium; quorum prior in libro IV. Historiæ Ecclesiasticæ capit. XXVII. alter in libro I. de Hæresibus hæresi XXII. & XLIII. & postremus in Bibliothecæ codice CXVIII. eam Apologiam S. Pamphilo tribuunt.

Primum ii Scriptores nihil promovent; quibus S. Hieronymus antepo-

teponendus est, ut qui ipsis antiquior fuerit, & graviores rationes inquirendi in errores Origenis, & in causas suppositionis illius Apologetici speciatim habuerit.

Exinde mihi Socrates, qui circa Christianæ æræ annum 440. Ecclesiæ historiam instruebat, Codice additamentum habente deceptus videtur; qui ut eo loci quem opponentes proferunt, plura de S. Gregorio Thaumaturgo narravit: (*a*) *Hujus*, inquit, *mentionem facit etiam Pamphilus Martyr in libris, quos pro Origenis defensione scripsit; quibus etiam* παράκειται *adjuncta est Gregorii Oratio; quam ille ab Origene discedens, in ejus laudem composuit*: qua narratione duo Socrates distinguit; unum, quod eorum Apologeticorum author ipsis *in libris* Thaumaturgi *mentionem fecerit*; alterum, quod iisdem illa Gregorii *Oratio adjuncta* fuerit; quorum posterius a priori admodum differt; aliud namque est mentionem facere, aliud orationem adjungere. Eadem igitur Oratio in ipsorum librorum corpore, in quo ea mentio facta est, minime continebatur, ut quæ illi alienis utique manibus apposita esset: qua ex re intelligi potest, idcirco a quopiam illis libris, quorum multa Origenem minus bene tutabantur, eam Orationem additam esse, ut iste tanquam a Gregorio Thaumaturgo laudatus defensitaretur. Id enim librorum compositor voluit; id ergo spectavit adjunctor, qui sicut iisdem Orationem ipsam subdole apposuit; ita eorum librorum, quos solus Eusebius perscripserat, quique hujusce nomen in relato scripto antiquiore dumtaxat gestabat, titulum mutavit, illos Pamphilo Martyri subdidit, atque ita Socratem illa adjunctione, quam iste fatetur, plane fefellit.

Tum Prædestinati liber S. Augustino Hipponensi Episcopo temere adfingitur: sub cujusdam autem Hygini nomine ab Hincmaro Remensi Præsule falso allegatur: Arnobio vero juniori post medium sæculum quintum florenti propter quandam styli, dictorumque similitudinem, quam cum ejus operibus habet, a Sirmondo attribuitur: ab aliis tamen Primasio Afro circa medium sæculum sextum Episcopo Adrumeti ob S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem ipsius ferme æqualem, qui ei tres libros de Hæresibus tribuit, ac propter Bibliothecæ Augiensis Codicem IX. sæculo exaratum, in quo ejusdem Primasii nomen prænotatum fuit, adscribitur: denique a nonnullis ob eruditos ea de re discrepantes incerti authoris fœtus existimatur: qui, hæresi XXII. Apellitarum exhibita, Origenis libros ab his Heterodoxis violatos falso describit, dum eosdem Hæreticos ab illo victos sic repræsentat: (*b*) *Hos Origenes ita perfecte superavit, ut eorum causa Periodeutes fieret, & per singulas quasque urbes per Orientem eundo prædicaret. Et quia innumerabilia sunt Tractatorum ejus volumina: Hæretici superati libros ejus ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt, ut quos vellent decipere, dicerent, ita Origenem suis expositionibus definisse. Unde quicumque usque hodie Origenem legit, si prudenti eum novit recitatione distinguere, deprehendit loca ab Hæreticis maculata*; quod

[a] *Socr. lib. IV. Hist. Eccl. cap. XXVII.*

[b] *Prædest. apud Sirm. tom. I.*

quod ita esse S. Pamphilus Martyr in suo Apologetico declaravit. Ac propemodum eadem de prædictis *Periarchon libris* Hæresi XLIII. Origenianorum ita habet : *Martyr Pamphilus .. antequam ad martyrii coronam attingeret*, *irreprehensibiliter Cathedram episcopatus obtinuit*, *& sanam doctrinam Dei populis administravit: hic edidit Apologeticum*, *& omnia*, *quæ de Origene Catholici*, al. *Catholico*, *ignorantes mentiuntur*, *exclusit*, *ostendens ea*, *quæ reprehensibilia inveniuntur in ejus opusculis*, *Origenis non esse*, *sed eorum*, *quos ipse superaverat*. Porro etsi Origenes in Genesim homilia II. in Hieremiam homilia II. & libro v. contra Celsum Epicureum Apellis incredulitatem arguerit: tamen falsum est, illum adversus Apellianos per *singulas quasque Orientis urbes prædicasse*; ab illo istos speciatim *superatos* fuisse; *eorum causa* illum Eunuchum; qui barbara græca voce *Periodeutes* ab eo nuncupatur, esse *factum*; ab istisque plures ejusdem *libros mutatos* esse, & *maculatos*. Hoc enim Prædestinati commenta sunt. Nam Eusebius libri v. Historiæ Ecclesiasticæ capite XIII. exposuit, a Rhodone Asiatico inter Ecclesiasticos Tractatores celeberrimo in quadam Disputatione Apellem Marcionis Hæresiarchæ auditorem, qui & a Catholicæ Fidei doctrina, & a sui perversi Magistri deliramentis dissentiebat, *convictum* fuisse : qua occasione data Eusebius publicas illas Origenis concertationes, quibus Apellitas exciderat, neutiquam præteriisset, si veræ fuissent, maxime quod Historicus ille nedum Berillum, atque Hæreticos Arabes ab Origene victos lib. VI. ipsius Historiæ cap. XXXIII. & XXXVII. percensuit; verum etiam ejusdem Origenis extitit sectator, laudator, defensor. Quum autem habita opportunitate Eusebius ea gesta nequaquam descripserit : sane ipsa, quæ neque ullus alius pervetus scriptor commemoravit, ab eo incerto, & sequioris ætatis authore ficta videntur. Quid vero evirationis illius causam ex eo libro VI. proferam? cujus capite VI. Eusebius declaravit, se de *Severi Augusti*, qui persecutionem adversus Christi Ecclesiam excitarat, temporibus locuturum: & capite VIII. retulit, *interea Origenem*, quum *Fœminæ* juventute florentes ad ejus scholam confluerent, semet Eunuchum fecisse, *ut omnem obscæni rumoris*, *& calumniæ occasionem infidelibus adimeret*. Non igitur, ut Prædestinatus fingit, Apellitæ, sed *Fœminæ*, neque ipsorum Hæreticorum, sed *Infidelium rumor*, & *calumniæ*, quæ ea de causa potissimum persecutionis tempore timebantur, Origeni ad illud acerbum facinus perpetrandum occasionem dederunt. Atque etiam idem Historicus illius libri capite XXXI. celebrem Origenis ad Africanum epistolam : capite XXXII. ipsius in sacras Scripturas *Commentarios*, ac *libros*, aliaque *opera*: & capite XXXVI. *conciones* a *Notariis exceptas*, *octo libros contra Celsum*, *quinque*, *& viginti volumina in Evangelium Matthæi*, *diversas* præterea *epistolas* enumeravit ; nec tamen tot opera prodidit depravata. Prædestinatus ergo, præmissis *innumerabilibus*, aut plurimis Origenis *voluminibus*, statim indefinite, & falso conscribit, quod prædicti Heterodoxi ejusdem *libros*, & quidem multos antecedenti enuntiato designatos *mutarint*: id quippe ante Eusebium ipsi Hæretici, utpote ab Origene *superati* fecissent, ac subinde Euse-

Eusebio publica eorum fraus non ignota fuisset, quam tamen isce nequaquam aut expressit, aut innuit; qui quidem sicuti capite XXXIII. Origenis accusatores notavit; ita aliis capitibus ejus libros recensendo, horum violatores, si vere exstitissent, nuntiasset: quod cum minime adverterit, a Prædestinato conficta est eorumdem librorum corruptio; quæ neque hanc ob rationem, ac propter aliam supra redditam ab ipsis illis Heterodoxis effecta est in græcis Periarchon *opusculis*, quæ incertus ille scriptor altero loco postmodum nominavit, ubi etiam Pamphilum Martyrem *Episcopatus cathedram obtinuisse* confinxit; quum Eusebius, S. Hieronymus, & Ruffinus quoque eum *Presbyteri*, non Episcopi nomine donarint. Quemadmodum igitur Prædestinatus, quo Origenem tueretur, tot, ac tanta figmenta excogitavit; ita eadem mente ei Martyri Apologeticum illum adfinxit.

Ad Photium veniamus; qui prius Origenis Apologiam sic tractat: *legimus librum pro Origene, ejusque Deo invisis dogmatibus. Libris quinque opus absolvitur*, (*a*) *quod nec scriptoris nomen in Titulo exhibet. Dictio neque clara est, neque pura, nec laudandum quid præferens. Scriptor autem ipse pro Origene, ejusque sententiis hos fere Testes laudat, Dionysium Alexandrinum, Demetrium quoque, Clementem, aliosque plurimos: præ cæteris vero Pamphilo Martyri innititur, atque Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo. Cæterum hæc Apologia non solutio est ut plurimum eorum, quæ Origeni objiciuntur, sed accusationis potius adstipulatio*. Quibus ista deinceps adnectit: (*b*) *lecti sunt Pamphili Martyris, & Eusebii pro Origene libri sex; ὧν μεν πεντε, παμφίλω τὸ δεσμωτηριον οἰκοντι, συμπαντος κ̀ Ευσεβιυ εξεπονηθησαν quorum quinque a Pamphilo in carcere habitante, & ab Eusebio præsente elaborati sunt. Sextus vero, postquam jam Martyr ferro privatus vita, ad unice desideratum Deum migravit, ab Eusebio est absolutus*. Prior ergo notha Apologia, ut quæ *scriptoris nomen in Titulo non exhibebat, absoluta* est *quinque libris*, & *præsertim innixa Pamphilo*, & *Eusebio*; quæ illi, quam in *græco Codice* Hieronymus vidit, partim respondebat, cum *potius* esset errorum Origenis *accusatio*; quam utique alii *quinque Pamphili, & Eusebii pro Origene libri* a Photio adducti comprehenderunt; secus non essent ii, de quibus Hieronymus, & Ruffinus disceptarunt, nosque disserimus. Atqui eosdem libros Pamphilus solum tractavit, & Eusebius conscripsit adjunctis Origenis erroribus. Ergo hocce sensu vult Photius ipsos libros a Pamphilo, & Eusebio elaboratos: qui proinde non Pamphili, sed Eusebii scripta erant aut Opera.

Itaque ut aliquando hanc disputationem definiamus, certum videtur, quod antiquior Bibliothecæ Cæsareensis Codex ab Hieronymo adlatus soli Eusebio, non Pamphilo martyri, primum, & reliquos Apologiæ Origenis libros adscribat; ac monstret, non omnia vetera illius Apologiæ conscripta Pamphili Martyris nomine, quo illud aliud scriptum

(a) *Phot. BB Cod.* 117. *pag.* 294. *August. edit.* ann. 1612.

[b] *Cod.* 118. *pag.* 295.

ptum caruit, prænotata esse; quorum si aliqua relata ejus titulum gerebant, tamen aut temerata erant, ut Hieronymus ostendit; aut ex ea violatione veniebant, ac sic ejus Martyris proles non fuerant: nam & hic nullum proprium opus condidit, & Codices, in quibus ipsius nomen præfixum fuit, fere a cunctis Hieronymo coævis non, uti Dallæus obtendit, admissi, sed culpati fuere.

Licet deinc pertransire ad sexti Philosophi Pythagorici librum, quem idem Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem discutit: ubi istius rogatu inter alia reprobat Pelagianos, qui affirmabant, fideles pervenire posse ad omnium humanorum affectuum vacationem, & cunctarum animi perturbationum, passionumque immunitatem: quod errans virus illi hauserant non modo a Pythagora, & Zenone, profanis, stoicisque Philosophis, sed etiam ab Origene, atque Ruffino. Hinc Hieronymus inibi censorium Tertulliani dictum, quod is de Ethnicis Philosophis protulit, adfert; arguitque Ruffinum, qui sexti Pythagorici, & Ethnici librum ea errata redolentem e græco in Latinum vertens, illius titulum *immutavit*, eique Sixti Romani Pontificis, & martyris nomen fallaciter indidit. Fracta igitur est Dallæi confusio; fracta & illa vox, qua clamitat, tunc fere minimam extitisse copiam sapientum, qui suppostitios auctores a legitimis discriminarent. Nam Ruffinus illud quidem subdole fecit, ut liber ipse acceptior esset & gratior: verumtamen eruditissimus Hieronymus aut sapientes, aut minus perspicaces admonuit, ne idem opus adulteratum amplecterentur; quoniam *Sexti Philosophi*, non Sixti Martyris, fuit *volumen*, atque adeo alteri subdititio inconfusum; ac stylum veterum Ecclesiasticorum, qui scriptis suis aut Prophetas, aut Apostolos, aut Christum celebrabant, minime habuit: quæ argumenta quendam recentiorem exagitant, qui librum ipsum Sixto Martyri adscribendum pertendit; nec tamen obsistere valet S. Hieronymi testimonio, & rationi, quibus auctoris *nomen* a Ruffino *mutatum*, opusque ipsum Ecclesiastici Scriptoris non esse confirmat; cujus hæc verba sunt: (a) *illam autem temeritatem ejus* (Ruffini)... *quis digno possit explicare sermone? quod librum Sixti Pythagorici, hominis absque Christo, atque Ethnici, immutato nomine Sixti Martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit: in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur, ut qui volumen Philosophi nesciant, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine, nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio: unde & vos plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia*.

Quis autem non obstupescat, quod Dallæus Epistolam, quam quidam sub Hieronymi nomine finxit, quamque supra explosimus, afferat! laudatus enim S. Doctoris locus adversarii excogitationes refellit, nam impostor ille, etsi *disertissimus*, figmento tamen suo Hieronymi *stylum*, & elo-

(a) S. Hier. epist. 133. ad Ctes. tom. 1.

eloquii formam exprimere non potuit. Non ergo *fælicius*, nec *infælicius* eum expressit; quia illa impotentia æqualem Hieronymi elocutioni, & ea quoque minorem abnuit expressionem; ac sic magna styli dissimilitudine Epistola illa a genuinis Hieronymi scripturis distinguebatur: quam viri plures quinti sæculi initiis, sub quæ figmentum illud comparuit, illustres nullo discrimine non exceperunt; neque ipsa Bibliothecas replevere universas: quandoquidem *multi ex urbe Fratres* dubitarunt, *an ea res ita se haberet*; qua dubitatione eam Epistolam ut incertam a certis Hieronymi operibus distinctam voluerunt; atque aliquo discrimine repudiarunt; immo eandem in imperitum *vulgus disseminari lachrymis* ita indicarunt: ut id sibimet minime arriserit, ut eam non foverint, ut nec proinde ipsa Bibliothecas omnes infarserint. Sed displicentia sua repellendam signarint, quas res Hieronymus, quo superstite ficta est Epistola, testificatus; illamque ab *universis* suis operibus secretam esse argumentatus, vicit, & confusionem, quam Dallæus obtrudit; & cæteras ejus commentationes, quas subjicit, falsas esse.

Quis deinceps minime adspicit, a Dallæo sinistre opponi S. Gregorii Magni, qui anno 690. ad summum Pontificatum evectus, postea anno 604. obiit, epistolam ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum missam? in qua Gregorius ipse adfirmavit, ejusdem Eusebii epistolam, quam ei scripserat, a quodam Andrea Monacho adulteratam, (*a*) & *aliquos sermones* græce scriptos sibi ab isto suppositos esse. Num autem hacce ex suppositione conficitur, omnia genuina S. Gregorii magni opera ab eo impostore conficta? num igitur ea ipsa epistola, qua illius Andreæ figmenta Gregorius redarguit, ab eodem Fictore supposita est? Ecquis ista neutiquam repudiarit? Ex illa igitur fictione sequitur, neque eam Gregorii epistolam ab eodem Andrea fictam, neque omnia legitima ipsius Sancti Pontificis scripta subdita esse: maxime quod uti Gregorius eadem epistola illos *aliquos sermones* græcos ab Andrea illo sibi adfictos fuisse testificatus est: ita ex adverso epistola (*b*) ad Leandrum Hispalensem Episcopum latinos suos moralium libros; (*c*) epistola ad Marianum Episcopum latinas suas Homilias in Ezechielem Prophetam; epistola ad (*d*) Secundinum Episcopum latinas homilias suas in (*e*) Evangelia retulit; & Joanni Ravennæ Episcopo suum *Regulæ Pastoralis* librum, multas latinas epistolas ab se exaratas, (*f*) hæcque adeo omnia (*g*) latine scripta ipsis spuriis sermonibus græcis haud confusa, significavit, ac prompsit; cujus Sancti Pontificis plura vera opera falsis haud mixta S. Patritius ejus discipulus, (*h*) S. Isid. Hispal. (*i*) Episc. ipsi coævus, Joannes Diaconus (*k*) ei suppar, (*l*) ac Photius numerarunt.

[a] *Libr. xx. indiction. v. epist. 74. pag. 1174. Tom. 2. Ven. edit. an. 1744.*
[b] *S. Greg. M. epist. ad Leand. Episc. pag. 1. Tom. 1.*
[c] *Epist. ad Mar. Episc. pag. 1173. Tom. 1.*
[d] *Epist. ad Secund. Episc. pag. 1435. T. 2.*
[e] *Pag. 1. Tom. 11.*
[f] *Ibid. pag. 486. & seq.*
[g] Lege S. Gregorii epistolam prius citatam: ubi monstrat, se non græce, sed latine scripsisse.
[h] *S. Patr. in Prol. lib. de testim.*
[i] *S. Isid. Hisp. de ill. Eccl. Scripț. cap. 27.*
[k] *Joan. Diac. in lib. 1. de Vita S. Greg. cap. 17.*
[l] *Phot. in BB. Cod. 252.*

Quis tandem hisce perſpectis illos Dallæi ſtupores infirmos eſſe non ſentit? nam & Hieronymo *omnia* ſua opera a nothis illis unis litteris diſtincta teſtanti, & Gregorio cuncta ſua ſcripta ſuppoſitis illis ſermonibus inconfuſa diſerte innuenti credendum. Nulla igitur utrorumque Operum confuſio in autographis, in priſcis exemplaribus, inque genuinis voluminibus fuit.

§. IV.

Sibyllina Vaticinia adverſus Dallæum, aliosque Novatores pertractantur.

JOannes Dallæus, ut ſiniſtre vetuſtos Patres exagitet; utque eos iiſdem ſtudiis, quibus nonnuli jam relati quædam ſcripta finxerunt, ductos venditet: exinde Sibyllina vaticinia de Chriſto, ejuſque regno ab antiquiſſimis Chriſtianis excogitata, & in vulgus a veteribus ſparſa prætexit: quod Elies Dupin, Samuel Baſnagius Hæreticus, aliique defendere non dubitarunt.

Contra quos hoc aſſevero, Sibyllina oracula de Chriſto Deo, & Homine, antequam is naſceretur, palam edita, ac non adeo vetuſtiſſimis Chriſtianis, & Patribus ficta, ac diſſeminata fuiſſe. Quam aſſertionem, multis prænotatis, ex prophanorum authorum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtificatione oſtendam, ac deinceps objecta infirmabo.

Ac primum ex M. Varrone, qui anno 1. Olympiadis 166. natus eſt, & anno 1. Olympiadis 188. ante Chriſti nativitatem anno 26. obiit, Sibyllæ nomen Lactantius Firmianus aliquanto poſt medium ſæculum tertium exortus, & quarto ineunte clarus ſic explicat: (*a*) *M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Græcos quidem, nedum apud latinos, in libris rerum Divinarum .. quum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuiſſe unius Sibyllæ, ſed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes fœminæ vates Sibyllæ ſunt a veteribus nuncupatæ vel ab unius Delphidis nomine, vel a conſiliis Deorum denunciandis; σιὰς enim Deos, non θεὰς, & conſilium non Βυλὴν*, ſed Βυλὴν *appellant Æolico ſermonis genere: itaque Sibyllam dictam eſſe quaſi Θεοβυλὴν.*

Tum S. Hieronymus Joviniano Hæreſiarchæ, qui Virgines a ſæculo nunquam probatas fuiſſe deblaterabat, oppoſuit Sibyllas his verbis: *Quid referam Sibyllas Erithræam, atque Cumanam, & octo reliquas:* (*b*) *nam Varro decem fuiſſe autumat, quarum inſigne virginitas eſt, & Virginitatis præmium Divinatio. Quod ſi Æolici genere ſermonis Sibylla θεοβυλὴ appellatur; recte* Conſilium Dei *ſola ſcribitur noſſe Virginitas.*

Recte igitur ex Varrone Lactantius edocet, Sibyllam græce σιυλλαν vel *vatem* nuncupari ab *unius Delphidis nomine*, vel a σιῶ, & Βυλῆς Æolicis nominibus duci, & ita *Dei conſilium*, quod ex aliorum Græcorum locutione θεοβυλὴς dicitur, appellari. Contra quam Sibyllæ etymologiam dicit Salmaſius, (*c*) Sibyllæ nomen ſimplex, non compoſitum; videri; nec σιὸν Æolicum eſſe,

[a] *Lact. de fal. Relig. lib. 1. num. VI. pag. 43. Lipſ. edit. an. 1715.*

[b] *S. Hier. lib. 1. adv. Jovin. num. 41. p. 306. Tom. II.* [c] *In ſol.*

ſe, nec ullam Sibyllam Æolicam. Quis autem Salmaſio conceſſerit, ſimplex eſſe illud vocabulum? nam ex pluribus, nimirum ex σι, & Βυλῆς, liquido conſtat: ergo ex illis æolicis vocibus oritur. Tum vero Heſiodus ait: σιὸς θεὸς λάκωνες: proinde *Lacones* Deum σιὸν nominarunt; quod nomen Dorici, ut notum eſt, proſecuti ſunt. Non igitur vox illa Laconibus peculiaris fuit; neque Heſiodus alias græcas regiones, quæ eo vocabulo utebantur, excludit; ſed ſolummodo nomen illud prout ab aliquibus Græcis uſurpatum notavit: quod etiam ab Æolidis adhibitum eſt, Lactantio, & S. Hieronymo Teſtibus græcæ linguæ peritis; qui idem nomen non a particulari Sibylla, ſed ab *Æolico ſermonis Genere* diſertius traxerunt.

Deinceps operæ pretium eſt, diligentius recordari plura Lactantii documenta: qui poſteaquam illa ſcripſiſſet, iſta ſubjunxit: (*a*) „ Cæterum Sibyllas decem numero fuiſſe; eaſque omnes *Varro* enumeravit ſub auctoribus, qui de ſingulis ſcriptitarunt: primam fuiſſe de Perſis, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit: ſecundam Libicam, cujus meminit Euripides in Lamiæ Prologo: Tertiam Delphicam, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem de Divinatione compoſuit: Quartam Cumæam in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piſo in Annalibus nominat: Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe Civem; eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum: ſextam Samiam, de qua ſcribit Eratoſthenes in antiquis Annalibus Samiorum reperiſſe ſe ſcriptum: ſeptimam Cumanam nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur, eamque novem libros attuliſſe ad Regem Tarquinium. Priſcum, ac pro eis trecentos Philippos poſtulaſſe; Regemque aſpernatum pretii magnitudinem, deriſiſſe mulieris inſaniam: illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium popoſciſſe, Tarquinium multo magis inſanire mulierem putaſſe: quæ denuo tribus aliis exuſtis; quum in eodem pretio perſeveraret; motum eſſe Regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe: quorum poſtea numerus ſit auctus capitolio refecto; quod ex omnibus Civitatibus & Italicis, & Græcis, & præcipue Erythræis coacti, allatique ſunt Romam, cujuſcumque Sibyllæ, nomine fuerunt: Octavam Helleſponticam in agro Trojano natam, Vico Marpeſſo circa oppidum Gergithium: quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis, & Cyri temporibus fuiſſe: Nonam Phrygiam, quæ vaticinata ſit Ancyræ: Decimam Tiburtem, nomine Albuneam . . . Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ: cujus libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, niſi a quindecim viris, inſpici fas habent. Et ſunt ſingularum ſinguli libri: qui quia

Kk 2 Si-

[a] *Lib.* ib. *pag.* 44. *& ſeq.*

„ Sibyllæ nomine inscribuntur, unius „ esse creduntur, suntque confusi, „ nec discerni, ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ „ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat, „ ubi præloquuta est, cum esset ortha Babyloniæ. Sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. „ Omnes igitur hæ Sibyllæ unum „ Deum prædicant; maxime tamen „ Erythræa, quæ celebrior inter cæteras, ac nobilior habetur: siquidem Fenestella diligentissimus Scriptor de xv. viris dicens, ait, restituto capitolio retulisse ad senatum C. Curionem Cos; ut legati „ Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent: itaque missos esse P. „ Gabinium, M. Octacilium, L. „ Valerium: qui descriptos a Privatis versus circa mille Romam „ deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem. (a) *Rursus de Sibyllis sic egit:* Sibyllas multas fuisse plurimi, & maximi auctores tradiderunt: Græcorum Aristo Chius, & Apollodorus Erythræus: nostrorum Varro, & Fenestella: Hi omnes præcipuam & „ nobilem præter cæteras Erythreæm „ fuisse commemorant. Apollodorus quidem ut de Civi, ac populari sua gloriatur. Fenestella vero „ etiam legatos Erythras a Senatu „ esse missos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea consules Curio, & Octavius in capitolio, quod tunc „ erat, curante Q. Catulo, restitutum, ponenda curarent.

Hæc omnia maxime adverti debent; quorum aliqua ad conjecturam revocantur, ut sunt dicta de Sibylla *Erythræa Babyloniæ* orta, & de altera *Cyri* temporibus clara: quarum prior a sanctis Prophetis, qui eodem *Cyro* regnante Babyloniam incolebant, oracula de Deo uno, ejusque Filio, qui de Virgine humanam carnem sumpturus erat, & Idolorum vanitatem destructurus audisse videtur: quæ Dei unitati, Messiæque mysteriis credens, ac deinceps Erythras profecta; aliquas Gentes de iisdem oraculis docuit; quæ ab aliis Virginibus excepta, magisque propagata fuere, qua ratione *multæ* Sibyllæ factæ sunt, aut dictæ; sive decem fuerint, sive minus, quam decem; quo de numero disputandum minime censeo; quum plures Sibyllas extitisse constet: quas ita prælocutas Dominus voluit, non eas speciali inspiratione, ut sanctos Prophetas, donavit: quoniam ex sola eorumdem Prophetarum auditione Sibylla Erythræa, ut modo conjiciebam, ea vaticinia patefecit: cui Divinationem, aut prædictionem Deus ob Virginitatem eatenus dedit; quatenus ex eo auditu ipsa Gentibus Christi adventum, ac Deorum inanium ejectionem prædiceret: quo pacto furens, ut Ethnici more suo augurabantur, oracula haud fudit.

Subinde Sibyllina vaticinia simplici locutionis genere prolata a versibus, quibus ea postmodum exposita fuere, distinguimus: quippe quos versus non Sibyllæ ipsæ, sed aliqui homines eis posteriores disposuerunt, testante Lactantio, quod *restituto capitolio*, ac Sibyllæ Erythrææ *testimoniis*

(a) *Lactant. in lib. de ira Dei num. xxii. pag. 956. & seq.*

moniis Romæ haud exſtantibus, atque adeo poſt illius Sibyllæ tempora *P. Gabinius*, *M. Octacilius*, *P. Valerius* Erythras *miſſi deſcriptos* a *Privatis verſus circa mille Romam deportarunt*: non igitur hi *mille verſus* a Sibylla Erythræa, ſed a *Privatis deſcripti* fuere; qui etiam ejuſdem Sibyllæ *teſtimonia*, quæ a *Carminibus* Lactantius ſecernit, *privatim*, ac non ita, ut publice edita fuerant, *deſcripſerunt*, ſive diſpoſuerunt. Ac proinde ejuſdem Sibyllæ *teſtimonia* a *Carminibus* poſtea effectis ſecernebantur: quandoquidem *privati* illi poſt *Cyri* ætatem, quæ *reſtitutum Capitolium* præceſſerat, vitam incoluere: qui non ipſius quidem Sibyllæ vaticinia, ſed *verſus* illos, quibus iſta exprimerent, effinxerunt.

Exceptis autem Sibyllæ Erythrææ, atque Cumanæ *teſtimoniis*, ſingularum aliarum *libri* Lactantii ævo *confuſi* ſic erant, ut *ſuum cuique aſſignari* non poſſet; quo factum eſt, ut octo Sibyllarum libri in Patrum Bibliotheca exiſtentes *confuſi* ſint ac depravati. Nam quum *ſuum*, nomen ſcilicet, ac vaticinium, illis a Lactantio adductis *aſſignari* nequiret; ex hoc colligitur, eorumdem *librorum* titulos, & aliquot voces, quæ erant unius Sibyllæ, alteri eſſe *aſſignatas*, atque ex parte corruptas: quæ confuſio in hiſce octo libris extantibus reperitur. Ob quod non de hiſce libris, ſed de ſinceris Sibyllarum, Erythrææ, & Cumanæ, oraculis agimus; quarum priorem de ea confuſione Lactantius exemit; ac poſteriorem nos excipiendam cenſemus. Quamvis enim utriuſque vaticinia in iiſdem libris confuſa videantur: tamen earum oracula ab antiquiſſimis ſcriptoribus ſeparatim exhibentur, ob idque legitima exiſtimantur.

Sed hæc in promptu fuerunt: nunc aſſertionem ex Ethnicis Authoribus primitus evincamus: inter quos numeratur M. Tullius Cicero, anno fere 43. ante Chriſti ortum interfectus: qui libro 11. de Divinatione id, quod propoſuimus, his verbis tractat, & innuit: (*a*) „ quid vero „ habet auctoritatis furor iſte, quem „ Divinum vocatis ut, quæ ſapiens „ non videat, ea videat inſanus, & „ is, qui humanos ſenſus amiſerit, „ Divinos aſſecutus ſit? Sibyllæ „ verſus obſervamus; quos illa furens fudiſſe dicitur: quorum interpres nuper falſa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum, quem re vera Regem habebamus, appellandum „ quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe „ vellemus. Hoc ſi eſt in libris, „ in quem hominem, & in quod „ tempus eſt? Callide enim qui illa compoſuit, perfecit, ut, quodcumque accidiſſet, prædictum videretur, hominum, & temporum „ definitione ſublata. Adhibuit etiam „ latebram obſcuritatis, ut iidem „ verſus alias in aliam rem poſſe „ accommodari viderentur, non eſſe „ autem illud carmen furentis, cum „ ipſum poema declarat. Eſt enim „ magis artis, & diligentiæ, quam „ incitationis, & motus: tum vero „ ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, ex primis verſus litteris aliquid connectitur, ut in quibuſdam Ennianis, „ *Q. Ennius fecit*: id certe magis „ eſt attenti animi, quam furentis.

At-

[*a*] *Cic. lib. 2. de Divin. num. 54. pag. 106.*

„ Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque Sententiæ, primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis: adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam, & conditam habeamus, ut id, quod proditum est a majoribus, injussu Senatus ne legantur quidem libri; valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones: & cum antistitibus agamus, ut quidvis potius, ex illis libris, quam Regem proferant: quem Romæ posthæc nec Dii, nec homines esse patientur. „

P. Virgilius Maro Eclogam IV. concinnavit anno VI. Juliano, Augusti IV., ante Christianam æram ferme XL., Domitio Calvino, & Asinio Pollione Coss. quorum posterior quum esset Germanici exercitus Ductor, ac Salonas Dalmatiæ civitatem cœpisset, & propterea lauream primum promeritus, ac dehinc consulatum adeptus fuisset: illo ipso anno Filium suscepit, ab eaque capta urbe Saloninum vocavit: ad quem puerum Virgilius id, quod Sibylla Cumana de futura fælicitate prædixerat, sic Ecloga illa detorsit: (*a*)

Sicelides musæ paulo majora canamus.
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.
Si canimus Sylvas, Sylvæ sint Consule dignæ.
Ultima cumæi venit jam Carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam Nova progenies Cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, cui ferrea primum,
Desinet, ac toto surget Gens aurea mundo,
Casta fave lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc Ævi, te Consule, inibit.
Pollio, & incipient magni procedere menses,
Te Duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos Heroas, & ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima Puer nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.

Sed inter Ecclesiasticos Scriptores, Patresque S. Justinus martyr secundo sæculo fuit unus excellens: qui Græcos Ethnicos veram Christianam religionem docuit his verbis: (*b*) „ erit autem vobis perfacile veram religionem aliqua ex parte ex antiqua Sibylla discere, cujus vaticinia ex potenti adflatu edita

(*a*) *Virg. Ecl.* IV. *pag.* 16. *& sequ. Patav. edit. an.* 1745.

(*b*) *S. Just. Mart. in Cohort. ad Græc. num.* 37. *pag.* 33. *& sequ.*

„ edita ad Prophetarum doctrinam „ prope accedere videntur. Hanc „ Babylone ortam dicunt, Berosi „ Chaldaicæ Historiæ scriptoris filiam; &, quum in Campaniæ oras „ delata nescio quo pacto fuisset, „ ibi oracula edidisse in urbe, quæ „ Cumæ dicitur, Bais, ubi sunt „ Thermæ Campanæ, sex lapidibus „ distans... Hujus Sibyllæ ut vatis „ cum multi alii scriptores meminere, tum etiam Plato in Phædro. Videtur autem mihi, cum in „ illius oracula incidisset, vates pro „ Divinis hominibus habuisse. Videbat enim, quæ ab illa olim „ prædicta fuerant, opere compleri; & idcirco admirans in Menone... manifeste, & aperte ad Sibyllæ respicit versus.... Sed quia „ nec in poeticis numeris, o Græci, vera Religio sita est, nec in „ ea, quæ apud vos in pretio est, „ eruditione: omissa deinceps numerorum, & verborum exquisita „ ratione, citra contentionis studium „ quid a Sibylla dicatur, animadvertite, & quanta vobis allatura „ sit bona, perspicite, clare & aperte Salvatoris nostri Jesu Christi „ adventum prænuntians; qui cum „ sit Dei verbum, virtute, & potentia ab eo inseparabile, hominem ad imaginem, & similitudinem Dei creatum assumens, revocavit nobis in memoriam priscorum parentum religionem, qua relicta eorum posteri, invidi Dæmonis monitis, & „ doctrina ad Deos, qui nulli sunt, „ colendos deflexerunt. Si qua autem vobis obstrepit dubitatio, „ quominus fidem hominis creationi adhibeatis, iis credite, quos „ adhuc audiendos putatis: & scitote, Oraculum vestrum, quum „ a quodam rogatum esset, ut hymnum in Deum omnipotentem „ ederet, sic in medio hymno dixisse,

Qui primum mortalem effinxit:
Adamum vocavit.

„ atque hunc hymnum a multis, „ quos novimus, servari contingit „ ad eos arguendos, qui veritati „ omnium testimonio confirmatæ „ assentiri nolunt. Vestram igitur „ salutem, o Græci, si falso de Diis, „ qui nulli sunt, commento potiorem ducitis, credite, ut jam dixi, Sibyllæ antiquissimæ, & vetustissimæ, cujus libri per totum „ orbem servantur, quæque ex potenti quodam adflatu Deos, qui „ dicuntur, nullos esse per oracula „ nos docet, ac de futuro Salvatoris nostri Jesu Christi adventu, „ ac rebus omnibus, quas gesturus „ erat, clare & aperte prænuntiat. „ Erit enim vobis harum rerum cognitio necessaria quædam ad Sanctorum hominum vaticinia præmeditatio.

Lactantius Firmianus jam commendatus posteaquam libro IV. ex sacris litteris, exque Sibyllarum carminibus evicit, Christum Dei filium esse ac Deum; subinde istud adjecit: (a) „ His testimoniis quidam „ revicti solent eo confugere, ut „ ajant, non esse illa carmina Sibyllina, sed a nostris ficta, atque „ composita; quod profecto non „ putabit, qui Ciceronem, Varronem-

(a) Lact. lib. IV. de vera Sap. num. XV. pag. 419.

„ nemque legerit, aliosque veteres, „ qui Erythræam Sibyllam, cæterasque commemorant. Quarum „ exempla proferimus; qui auctores ante obierunt, quam Christus „ secundum carnem nasceretur. Verum non dubito, quin illa carmina prioribus temporibus pro „ deliramentis habita sint; quum „ ea nemo intelligeret, denuntiabant enim monstruosa quædam „ miracula, quorum nec ratio, nec „ auctor, nec tempus designabantur... latuerunt igitur multis sæculis; postea vero animadversa „ sunt, quæ Christi nativitas, & „ passio patefecit arcana: sicut etiam „ voces Prophetarum, quæ cum per „ annos mille quingentos, & eo amplius, lectæ fuissent a populo Judæorum, nec tamen intellectæ „ sunt, nisi postquam illas Christus „ & verbo, & operibus interpretatus est; illum enim Prophetæ annuntiaverunt, nec ullo modo poterant, quæ illi loquebantur, intelligi, nisi fuissent universa completa.

Constantinus Imperator tertio, & quarto sæculo celebris, in oratione ad Sanctorum Cætum, sive ad Ecclesiam Dei quum Christi Divinitatem ex Divina scriptura probasset: eandem Sybillæ Erithrææ testimoniis ita adfirmavit: (a) „ libet „ etiam aliud testimonium de Christi Divinitate ab extraneis desumptum commemorare: sic enim „ ii, qui probris illum, ac maledictis incessere solent, illum Deum, „ Deique Filium esse cognoscent; „ si quidem suorum sermonibus fidem velint adstruere. Sibylla igitur Erythræa, quæ sexta post diluvium ætate se vixisse dicit, Sacerdos fuit Apollinis: quæ coronam capite gestans, non secus ac „ Deus ille, quem colebat, ac tripodem, cui serpens circumvolutus erat, custodiens, oracula edebat interrogantibus: a stultis parentibus huic cultui mancipata, „ ex quo nihil honestum, ac probum, sed furor pudoris expers ingeneratur; cujusmodi sunt ea, „ quæ de Daphne memorantur. „ Hæc igitur cum aliquando in adyta importunæ superstitionis irrupisset, Divino plane spiritu impulsa, cuncta, quæ ventura erant „ de Deo, vaticinari versibus cœpit; primis versuum elementis „ (quod genus Acrostichis vocatur) historiam adventus Jesu „ Christi apertissime declarans: est „ autem Acrostichis ejusmodi: „ Jesus Christus Dei Filius, servator, Crux. *versus autem hi sunt:*

Judicii signum Tellus sudore madescet.
E Cœlo tunc Rex veniet per sæcla futurus,
Scilicet ut totum præsens dijudicet orbem;
Visurique Deum infidi sunt, atque fideles.
Sublimem in carne humana, sancta caterva.
Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.
Horrida tunc tellus dumis Silvescet acutis.
Rejicient simulacra homines, aurique metalla.

Infer-

(a) *Constant. Imper. Orat. ad Sanct. cœt. cap. 18. & 19. apud Eus. Hist. Eccl. & Vit. Const. Imp. pag. 635., & sequ.*

Inferni portas facto simul impetu rumpent
Squallentes manes, & pura luce fruentur.
Tetros, atque bonos vindex tum flamma probabit
Voce latens facinus, quod gessit, quisque loquetur.
Subdolaque humani pandentur pectoris antra.
Dentum stridor erit, gemitusque & luctus ubique.
Et sol, astrorumque chorus percurrere Cœlum
Insimul absistent: lunæ quoque flamma peribit.
Fundo cernentur valles consurgere ab imo...
Regnabit late pascentis ferrea virga.
Unus & æternus Deus hic servator & idem
Christus pro nobis passus, quem carmina signant...

„ Multi tamen huic prædictioni „ fidem derogant, quamvis Sibyllam Erythræam revera vatem fuisse fateantur. Suspicantur autem a „ quodam ex nostræ religionis hominibus, poeticæ artis non ignaro, eos versus esse confictos, & „ falso, ac suppostitio titulo Sibyllæ adscribi; quum sententias contineant vitæ humanæ admodum „ utiles, quibus & voluptatum effrænata licentia comprimitur, & „ via sternitur ad modestiam, ac „ temperantiam. Sed veritas ipsa in „ propatulo est omnibus, cum hominum nostrorum diligentia temporum seriem adeo accurate collegerit, ut jam nemo suspicari „ possit, post adventum, & condemnationem Christi carmen illud „ esse compositum, falsoque divulgari, quasi Sibylla hos versus diu „ ante vaticinata profuderit, quippe inter omnes constat, Ciceronem, quum hoc carmen legisset, „ latino sermone illud interpretatum „ esse, ac suis operibus inseruisse; „ hunc postea Antonius summa rerum potitus interfecit. Antonius „ vero post hæc superatus est ab „ Augusto, qui sex & quinquaginta annis imperium obtinuit. Huic „ deinde successit Tiberius: quo tempore Servatoris adventus orbi illuxit, & sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, & nova quædam populi fœtura, ac successio „ instituta est: de qua princeps latinorum Poetarum mihi sensisse videtur. „ &c.

Denique S. Augustinus quarto, & quinto sæculo illustris, libro 1. inchoatæ expositionis epistolæ S. Pauli ad Romanos illa ejusdem Apostoli verba, *segregatus enim in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos*, exponit his verbis: *Fuerunt enim & Prophetæ non ipsius in quibus etiam aliqua inveniuntur, (a) quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur; quod non facile crederem, nisi quod Poetarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri Jesu Christi regnum satis concinere, & convenire videantur, præposuis verbum dicens,*

Ultima Cumæi venit
Jam Carminis ætas.

(a) *S. Aug. in Epistola ad Romanos inchoata expositionis libro pag. 925. tom. 1. Ven. Edit. mss.*

Cumanum autem Carmen Sibyllinum esse nemo dubitaverit. Sciens ergo Apostolus ex in libris Gentium inveniri testimonia veritatis, quæ etiam in actibus Apostolorum (a) *loquens Atheniensibus manifestissime ostendit, non solum ait*, per Prophetas suos, *ne quis a Pseudo-prophetis per quasdam veritatis confessiones in aliquam impietatem seduceretur, sed Addidit etiam* in Scripturis sanctis; *volens utique ostendere litteras Gentium superstitiosæ idololatriæ plenissimas, non ideo sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid, quod ad Christum pertinet, invenitur.*

Postremo etiam idem Augustinus libro x. de Civitate Dei Porphyrium Philosophum Ethnicum, qui hominum vitia, atque facinora *Theurgorum* sive *Dæmonum arte* purgari impie autumabat, exagitat; & adversus illum scelera a Christo sanari sic vincit: (b) „ non audit ista hominum multitudo, propter quos a „ Dæmonum dominatu liberandos „ Christus advenit. In illo enim habent misericordissimam purgationem & mentis, & spiritus, & corporis sui. Propterea quippe totum „ hominem sine peccato ille suscepit, ut totum, quo constat homo, „ a peccatorum peste sanaret. Quem „ Tu quoque utinam cognovisses, „ eique Te potius, quam vel tuæ „ virtuti, quæ humana, fragilis, & „ infirma est, vel perniciosissimæ curiositati sanandum tutius commisisses. Non enim te decepisset, „ quem vestra, ut Tu ipse scribis, „ oracula sanctum, immortalemque „ confessa sunt: de quo etiam poeta nobilissimus, poetice quidem, „ quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad ipsum „ referas, dixit;

Te Duce, si qua manent
Sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent
Formidine Terras:

„ ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute justitiæ possunt, propter hujus vitæ „ infirmitatem, etsi non scelera, scelerum tamen manere vestigia, quæ „ nonnisi ab illo Salvatore sanantur, „ de quo iste versus expressus est. „ Nam hoc utique non a seipso se „ dixisse Virgilius in Eclogæ ipsius „ quarto ferme versu indicat, ubi „ ait:

Ultima Cumæi venit
Jam Carminis ætas.

„ Unde hoc a Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet. „ Theurgi vero illi, vel potius Dæmones Deorum species, figurasque fingentes, inquinant potius, „ quam purgant humanum spiritum „ falsitate phantasmatum, & deceptoria humanarum ludificatione „ formarum. Quomodo enim purgent hominis spiritum, qui immundum habent proprium? alioquin nullo modo Carminibus invidi „ hominis ligarentur, ipsumque inane beneficium, quod præstaturi „ videbantur, aut metu præmerent, „ aut simili invidentia denegarent.

Quorsum hæc affero? quorsum? ut quisque intelligere possit, neminem un-

(a) *Act.* 17.
(b) *S. Aug. lib. x. de Civit. Dei cap.* 27. *pag.* 162. *Tom.* 7.

unquam vetustissimorum & Christianorum & Patrum tanto simulato amore captum, neque tam incredibili fingendi arte instructum fuisse; qui Sibyllarum oracula, quæ *sæculi innovatione*, *Christum*, ejusque *regnum*, atque idololatriæ eversionem prædixerunt, confingeret, ac promulgaret. A sanctis *Prophetis* ea *audita cecinerunt* Sibyllæ; quarum voces Cicero, & Virgilius, ante Christi exortum mortui, exhibuerunt; quas proinde nec Christianorum, nec Patrum ullus effinxit, ac primitus sparsit.

Atenim Samuel Basnagius argumento, quod ex Ciceronis testimonio Constantinus Imperator elicuit, respondet, (*a*) nec illud carmen Ciceronem interpretatum esse, nec suis „ sane operibus inseruisse, nec in „ sibyllinorum versione versatum. „ *Hoc si est in libris*, inquit, quæ „ ignorantis verba sunt. Insuper negat Acrostichidem a furente Si„ bylla condi potuisse. Potuitne di„ sertius a Cicerone negari, nullam „ a Sibylla Acrostichidem esse conditam? acta enim a spiritu exter„ no, eam adhibere diligentiam non „ potuit, quæ scribendis Acrostichi„ dibus est necessaria. Sed & Te„ rentius Varro ex Acrostichidibus, „ quæ in Sibyllinis Carminibus re„ periebantur, colligit, in illis falsa „ addita esse: (*b*) *carminibus Sibyl*„ *linis inserta reperiuntur, quæ de*„ *prehenduntur ex iis, quæ Acrosti*„ *chides nuncupantur*. Itaque nesci„ mus ubi Constantinus legerit, „ quam laudat, Acrostichidem a Ci„ cerone ex Græco in latinum esse „ transfusam, cum nullas Acrosti„ chides Sibyllis adscribi voluerit, „ optima ratione ductus: *Hoc scri*„ *ptoris est*, *non furentis*, *adhibentis* „ *diligentiam*, *non insani*. Illud et„ iam prorsus fit incredibile, Cice„ ronem animum admovisse verten„ dæ Acrostichidi, in qua Crux cum „ Filio Dei conjungebatur. Scilicet „ Crux, quæ odio Ethnicis erat, „ videbatur Ciceroni cum insigni & „ pulchro Filii Dei titulo apte con„ jugi. Immo ludibrium potius de„ disset summo Oratori. Præterea „ quam memorat Acrostichidem Ci„ cero, ea prorsus a Constantiniana „ illa discrepat. Ad Cæsarem quip„ pe, qui titulum Regis ambiebat, „ non ad Servatorem pertinebat. „ Non nobis credatur, sed Sveto„ nio: (*c*) *percrebuit fama L. Cottam* „ *quindecim virum sententiam dictu*„ *rum*, *ut*, *quoniam libris fatalibus* „ *contineretur Parthos nisi a Rege* „ *non posse vinci*, *Cæsar Rex appel*„ *laretur*. Vocales, aut muti etiam „ libri fatidici, ajebant, aut negabant ex quindecim virorum affe„ ctu, quos nemo falsi convincere „ poterat, quia soli ipsorum pote„ stati permittebantur. Constanti„ nianam Acrostichiadem quod spe„ ctat, ea sine dubio Christiano„ rum, non Sibyllarum, opus est. „ Ac primum animo custodiendam „ eam Acrostichidem a *Flaviano* „ fuisse Augustino exhibitum: (*d*) „ *Erythræa Sibylla quædam de Chri*„ *sto manifesta conscripsit*, *quæ etiam* „ *nos in latina lingua*, *versibus ma*„ *le latinis*, *&* *non stantibus*, legi„ mus, per *nescio cujusdam interpre*-

 „ *tis*

[a] *Sam. Basnag. anno ante Dom. xv. num. xv. pag. 154. Tom. 1. Annal. Polit.*
„ (b) *Dion. Halic. lib. iv. cap. 8.*
(c) *Svet. Cæs. cap. 79.*
(d) *Aug. de Civ. lib. 18. cap. 23.*

„ *tis imperitiam*, *sicut post cognovimus*. *Nam vir clarissimus Flavianus*, *qui etiam Proconsul fuit*, *homo facillimæ facundiæ*, *multæque doctrinæ*, *cum de Christo colloqueremur*, *græcum nobis codicem protulit*, *carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ*, *ubi ostendit*, *quodam loco in capitibus*, *versum ordine litterarum ita se se habentem*, *ut hæc in eo verba legerentur*, Ἰησοῦς χρειστὸς θεοῦ Υἱὸς σωτήρ, *quod est latine*, *Jesus Christus Dei Filius Salvator*. Eo tantum a Constantiniana discrepabat, quod voce σταυρὸς *Crux* caruit. Porro id Carminis, quod a Constantino, Flaviano, aliisque, Erythrææ Sibyllæ vindicabatur, a nonnullis Cumææ tribuebatur, teste laudato Augustino: (a) *hæc autem Sibylla sive Erythræa*, *sive*, *ut quidam magis credunt*, *Cumana*, *ita nil habet in toto carmine suo*, *cujus exigua illa particula est*, *quod ad Deorum falsorum*, *sive fictorum cultum pertineat*. *Quinimo ita etiam contra eos*, & *contra cultores eorum loquitur*, *ut in eorum numero deputanda videantur*, *qui pertinent ad Civitatem Dei*. Quod si Acrostichis Cumææ sit vati adscribendum; hinc figmentum deprehenditur, cum Cumana Carmina, fatente vel Lactantio, solis Quindecimvirorum oculis subjicerentur. Proindeque Christianorum in notitiam venire non potuerunt. Id etiam monet nos Augustinus Sibyllinum Carmen, sive Erithrææ, sive Cumanæ vatis esse dicatur, tam castum, tam purum, tam ab omni impietate, & idololatria alienum fuisse, ut sanctorum alicui assignandum videretur. Sic Sorex suo se indicio prodidit, cum compertum habeamus, Carmina Sibyllarum infandam sonare superstitionem, utpote quæ mactanda numinibus sacrificia præciperent. Insuper Constantinianam Acrostichidem subditam esse, eo demonstratur, quod inter infinita propemodum oracula, quæ a Deo sunt edita, nullum sane reperiatur, quod sit Acrostichidibus apponendum. Sunt Psalmi quidem nonnulli ea industria conditi, ut primus a prima Alphabeti littera versus incipiat, secundus a secunda usque ad ultimam Hebræorum litteram; sed in ea methodo nihil est Acrostichidis, cum ex conjunctis primus horum versuum litteris nullus sensus eruatur. Aliunde Constantiniana, de Christo tam *manifesta* continet, ut vel eo solo nomine falsi arguatur: cum in tota Scriptura nullum sit de servatore vaticinium tam clarum, tamque perspicuum, ac illud est, quod fertur esse Sibyllæ. Hoc vero omnem utique absurditatem superare videtur, quod Deus Sibyllis clarius, quam Sanctis se Prophetis manifestarit. Denique si quæ Sibyllarum nomine Patres Ethnicis objiciebant, ex ipsarum libris petebatur, quid causæ fuit, cur imperante Constantino M. libri illi omnium ante oculos non exponerentur, ut & Christianorum innocentia falsi Criminis liberaretur, & potissimum ad stabiliendam Christi religionem argumentum afferretur? Hoc non fa-
„ ctum.

(a) *Aug. de Civ. lib. 18. cap. 23.*

„ ctum est, quia Carmina Sibylli-„ na tanta fane mysteria non doce-„ bant.„

Ad ista Nicolaus Herminier hæc (a) adjungit, „ Constantinum dubio „ procul præ manibus, & in pote-„ state sua non habuisse versus il-„ los Sibyllinos antiquiores Tarqui-„ nio a Sibylla divenditos, qui vi-„ delicet dudum fuerant cum Ca-„ pitolio combusti, & in quibus „ fata solum Romanorum, resque „ mere prophanæ continebantur. „ Siquidem qui ex antiquis Scripto-„ ribus Sibyllarum oracula citarunt „ ante Christi adventum, de ista „ Imperatoris Acrostichide nullam „ injecerunt mentionem. Quum au-„ tem eam testatur Imperator Ci-„ ceronem in Romanam Dialectum „ transtulisse; manifeste deceptus „ est ob ista ejusdem Ciceronis ver-„ ba, quæ leguntur libro de Divi-„ natione, *non esse autem illud car-„ men furentis quum ipsum poema „ declarat, est enim magis artis, „ & diligentiæ, quam incitationis, „ & motus; cum vero ea, quæ Acro-„ stichis dicitur*; unde sequitur, a „ Cicerone visam quidem fuisse ali-„ quam Acrostichidem Sibyllinam, „ non autem eam, de qua loqui-„ mur, & quæ nunc extat in ho-„ dierna versuum Sibillynorum col-„ lectiones, quia hanc Acrostichi-„ dem sibi videlicet incognitam nun-„ quam laudarunt antiqui Patres, „ ceteroquin Carminum Sibyllino-„ rum fautores, non Justinus, non „ Theophylus Alexandrinus, non „ Clemens, non Lactantius. III. quia „ Cicero, qui cujusdam meminit „ Acrostichidis, testatur omnia Si-„ byllarum oracula fuisse Acrosti-„ chidibus expressa; sed in colle-„ ctione nostra non reperitur nisi „ una Acrostichis. III. Non debuis-„ set Imperator testem hac in par-„ te advocare Ciceronem, qui ta-„ metsi Ethnicus, hæc Sibyllarum „ vaticinia nihili faciebat, ut patet „ ex eodem libro 2. de Divinatio-„ ne: *quid vero*, inquit, *habet au-„ ctoritatis furor iste, quem Divi-„ num vocatis, ut quæ sapiens non „ videat, ea videat insanus, & is, „ qui humanos sensus amiserit, Di-„ vinos assecutus sit?*

Ast ille Basnagii sorex suo perit indicio, dum ejus argumentatio Sibyllæ vel Erithrææ, vel etiam Cumanæ vaticinium a Cicerone edissertum commonstrat; cujus vaticinii dictum „ tam castum, tam purum, tam ab omni impietate, & „ idololatria alienum “ agnitum est, ut istas eversum iri Sibylla a Constantino laudata prænuntiarit his verbis, *rejicient simulachra homines*. Hoc igitur oraculum declatum fuit a Cicerone, qui addidit, quod Sibylliani *libri valeant ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones*; quæ aliæ non erant, quam aut falsorum *Deorum*, quos Tullius subjunxit, aut *simulachrorum*, quæ Orator ipse amplexus est, impurus cultus. Proinde certum esse debet, a Cicerone illud idem vaticinium significari, quo *deponendas*, sive *rejiciendas* falsorum *Deorum*, vel *simulachrorum* perversas *Religiones* Sibylla prædixerat: atque ita impietatem omnem, & idololatriam *rejectum* iri haud obscure denuntiarat.

Hoc

[a] *Hermin. in sum. Theol. Tom.* VIII. *pag.* 549. & *seqq.*

Hoc firmant ea Sibyllæ verba, quibus ait, quod *e Cœlo tunc Rex veniet per sæcla futurus*; e quo quidem versu Cicero *Regem*, ut Sibyllæ vocem attulit; cujus *Interpres falsa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum, quem revera Regem*, scilicet Cæsarem, *habebamus, appellandum quoque esse Regem, si salvi esse vellemus*: quem tamen appellandum non esse Regem, Cicero inde probavit, quod illud *prædictum videretur hominum & temporum definitione sublata*: quæ ratio denotat illum *Regem per sæcla futurum*, ac minime eo versu determinatum: præsertim quum ea *sæcla* careant *temporum definitione*. Ex toto igitur eo versu contra *interpretem* argumentatus est Cicero; atque ita eumdem totum versum indicavit; qui quum aliqua pars Acrostichidis, quam Tullius ipse allegat, esset: partim ex littera è Jesu nomen præferebat, partim etiam Servatoris vocabulum; quod indicant illa, *si salvi esse vellemus*. Quapropter illud Sibyllæ vaticinium subobscure Christi regnum æternum spectabat: *sæcla* enim indefinite posita æternitatem indigitant, atque etiam Cicero illa nomina, ipsius Acrostichidis versibus præfixa fuisse innuit, asseverans, *ex primis litteris cujusque sententiæ*, quæ *salvi*, & *Regis* oracula complectebatur; *Sibyllinum carmen omne prætexi*; quod proinde, antequam Christus nasceretur, prodiit in publicum.

Unde autem Tullius eam latinam Regis vocem, nisi e latina ejusdem *Carminis omnis* interpretatione desumpsit? Nam uti græcum idem vocabulum in græco textu; ita latinum extitit in latina versione; quam facile ipse Cicero effecit: qui cum illam vocem ex *versu* adduxerit; profecto illi loco eamdem versionem inseruisse censendus est; (*a*) quemadmodum subsequentibus locis Cassandræ, & Ennii versus apposuit, quapropter Constantinus Magnus testificatus est, quod *inter omnes constat, Ciceronem, quum hoc Carmen legisset, latino Sermone illud interpretatum esse, ac suis operibus inseruisse*: quod nisi verum esset, sane Imperator ille haudquaquam dixisset, idem *inter omnes*, quos alloquebatur, *constare*. Tullius igitur *Carmen illud* latine vertit, *suisque inseruit operibus*: in quibus quum modo ea Carminis Sibyllini versio non appareat; id sequiorum Amanuensium, ac librariorum incuriæ tribuendum est, ut qui *Carmen* ipsum, quod Constantini ætate in Ciceronis operibus extabat, omnibusque patebat, haudquaquam exscripserint.

Sed Tullius ait, *hoc si esset in libris*; quæ vox est non ignorantis *carmen* illud, sed nescientis, an-ne *in libris Sibyllinis*, qui dumtaxat a quindecimviris legi poterant, idem extaret: *hoc* namque e vestigio refertur *ad Regem appellandum*, si *salvi esse vellemus*: hujus igitur Oraculi versus Cicero non ignoravit, sed vidit, solumque de ejusdem extantia in iisdem libris dubitavit, qui etiam Acrostichidem a Sibylla conditam esse inficiatus est non eo dimidiato argumento, quod Basnagius affert, sed hacce omni ratione, quod in *Sibyllinis ex primo versu*

[a] *Cic. Lib. 2. de Div. num. 55. & 58. pag. 107. & seqq. Tom. 3.*

su cujusque sententiæ, *primis litteris illius sententiæ*, *carmen omne prætexitur : hoc Scriptoris est*, *non furentis ; adhibentis diligentiam*, *non insani* : non ergo Tullius nesciit Sibyllæ *carmen omne* ea oracula comprehendens; quia & *primas* versuum *litteras*, & *quamque sententiam* perspexit: quam Acrostichidem a Sibylla productam noluit; quod summo Oratori concedimus; quum ipsius Acrostichidis versus a *privatis hominibus descripti* fuerint, narrantibus Fenestella, atque Lactantio; quorum testimonium Varro confirmat; qui non, ut idem Basnagius comminiscitur, ex Acrostichidibus, quæ in Sibyllinis carminibus reperiebantur, collegit, illis falsa addita esse: sed, ut ipse censor refert, dixit, quod *carminibus Sibyllinis Inserta reperiebantur*, *quæ deprehenduntur ex iis*, *quæ Acrostichides nuncupantur*. *Inserta* igitur illis ea fuisse, non falsa esse, protulit Varro; qui nihil aliud voluit, quam quod Sibyllinis libris Acrostichides insertæ sint ab iis, qui *restituto Capitolio*, Erythras *missi Sibyllæ* Erithrææ *carmina conquisita*, ut Fenestella loquitur, *Romam deportatunt*; quæ proinde ab ipsis *legatis* palam sparsa, & Sibyllino carmini *inserta*, non a Christianis ficta *deprehenduntur*: quoniam vel paulo ante Varronis ætatem, vel eo vivo, antequam Christus oriretur, *Romam* illa *deportata* fuere, ac Sibyllinis libris *inserta*. Itaque eos Acrostichidis versus in publicum proditos Cicero legit, ac latine vertit: cui non tam Crux, quam *Regis* appellatio, & falsorum Numinum depositio, odio erant; qui tamen ad *Regem appellandum*, atque etiam ad *deponendas* fictorum *Deorum religiones* Sibyllina carmina valere interpretatus est partim *falsa hominum fama*, partim suo nomine: quæ interpretatio ei Ethnico Oratori ludibrio non fuit. Ac propterea illi Acrostichidi vertendæ, in qua Crux cum Dei filio conjungebatur, animum admovisse Cicero existimandus est, odio, ac ludibrio minime obstantibus. Nec vero Acrostichis, quam Cicero memoravit, a Constantiniana eo discrepat, quia Svetonius narrat, illam ad Cæsarem, qui Regis titulum ambiebat, spectasse. Nam Cicero Svetonio antiquior eandem Acrostichidem ad Cæsarem non pertinuisse inde probavit, quod ab ipsa *hominum & temporum definitio sublata* fuit; quodque *interpres adhibuit etiam latebram obscuritatis*, *ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur*: cui posteriori rationi Svetonius, cujus plena verba Basnagius prætermisit, assentiri videtur, dum de Julio Cæsare hæc scribit: *quin etiam Varia fama percrebuit* .., *proximo* .. *Senatu* L.(a) *Cottam quindecimvirum sententiam dicturum; ut, quoniam libris fatalibus contineretur*, Parthos, nisi a Rege, non posse vinci, *Cæsar Rex appellaretur*. *Varia* igitur, atque adeo discrepans, & dubia *fama*, quæ a Tullio *falsa* nuncupatur, *percrebuit*, Julium *Cæsarem ex libris fatalibus Regem appellandum* fuisse: quare, ad eundem Cæsarem illud oraculum pertinere, Svetonius certo haud novit: atque etiam L. *Cotta* idem vaticinium *alias* in *aliam* rem,

[a] *Suet. de Julio* 1. *num.* 79. *pag.* 54. *Ven. Edit. anni* 1714.

rem, nimirum in *Parthos vincendos*, *accommodare videbatur*; quam accommodationem *obscuritatis*, & falsitatis Cicero arguit; quippe quia in Acrostichide *hominum definitio* nulla erat. Cumque in illa nec *temporum Regis* definitio eluceret, idcirco ipsa Acrostichis Servatori *Regi saeclorum*, quae indefinite Sibylla posuit, convenientius aptatur: ac sic a Ciceronis Acrostichide constantiniana minime distat. Quo circa Svetonii, qui Tullio posterior fuit, temporibus vocales, aut etiam muti libri fatidici ajebant, & negabant ex quindecimvirorum adsectu; quos nemo falsi convincere poterat, non solum quia soli ipsorum potestati iidem libri permittebantur, verum etiam quod Svetonius ipse nullam Sibyllae Acrostichidem, nullos versus, nullas sententias collaudet: quas tamen Cicero attulit, atque aliquibus versuum sententiis *interpretem* quindecimvirum falsi convicit. Ergo Tullii aevo soli quindecimvirorum potestati non acrostichis relata, cujus aliqua dicta idem Cicero interpretatus est, sed Sibyllini plures Libri permissi fuere: proinde Ciceronis Acrostichis, cujus sententiae Constantinianis respondent, non ait, & inficiata est ex quindecimvirorum adsectu, sed ex seipsa *Regem* saeclorum venturum asseruit, & falsorum Deorum simulacra colenda negavit, atque ita ad falsas eorum *religiones deponendas* plurimum valuit, & christianorum opus non fuit.

Atque ut argumentum istud, quod Basnagius interrumpit, persequar, ac veteres S. Augustino anteriores primitus celebrem: id affirmo, vatis Erythraeae carmina, non esse Christianorum commenta, tametsi illa Cumanae versibus admixta fuere: propterea quod istius oracula ante Christi natale non modo quindecimvirorum, verum etiam aliorum oculis subjiciebantur, Virgilio haec referente: cujus rei contrarium non, uti Elies Dupin, & Basnagius objiciunt, asseruit Lactantius; qui, ut supra vidimus, ait, *septimam* Sibyllam fuisse *Cumanam*, *eamque novem libros attulisse ad Regem Tarquinium Priscum*, atque *in conspectu Regis tres combusisse*, & *denuo tribus aliis exustis motum esse Regem*, *ac residuos trecentis aureis emisse: quorum postea numerus sit auctus Capitolio refecto: quod ex omnibus Civitatibus & Italicis, & Graecis, & praecipue Erythraeis coacti*, *allatique sunt Romam; cujuscumque Sibyllae nomine fuerunt*. Itaque posteaquam capitolium refectum fuit, tunc Librorum, quos Cumana vates produxerat, numerus eo auctus est, quod iidem libri ex *omnibus* illis *Civitatibus coacti* fuerint: qui quidem fetus *fuere cujuscumque* Sibyllae, nimirum & Erythraeae, cujus vaticinia in *graecis* urbibus extabant, & Cumanae, cujus oracula in *Italicis Civitatibus* reperiebantur. Uti ergo Erythraeae dicta in graecis Urbibus, ita Cumanae Carmina in *Italicis* cuicumque patebant; e quibus Cicero, Virgilius, & Patres illa sciverunt. Postquam vero ipsi libri *allati sunt Romam*, tum demum cum aliis *confusi* sunt; & *a Romanis*, non a *Graecis*, non ab *Italicis*, quos Lactantius proxime nominarat, *occuluntur*, *nec eos ab ullo*, *nisi a quindecim Viris*, *inspici fas est*. Sive igitur Sibylla Erythraea putata fuerit Cumana; sive illius oracula hujus Carminibus inserta sint: sane earum libri in aliis *Civitatibus* servati, non solis quindecim-

cimvirorum oculis subjecti fuerunt. Et proinde S. Justinus, Lactantius, Constantinus Magnus, aliique veteres illarum oracula non confinxerunt, sed ea noverunt ex *Græcarum*, & *Italicarum* Urbium Libris, exque Ciceronis, & Virgilii operibus. Jam vero alii Libri cum Vatis Erithrææ, & Cumanæ oraculis *confusi* insandam superstitionem, & mactanda fictis numinibus sacrificia impie sonarunt; quam tamen impietatem Carmina Sibyllina a Tullio adducta non repræsentarunt; sed ad oppositum adstruendum, videlicet ad falsorum Deorum *religiones deponendas* optime *valuerunt*: quippe quia isthæc cum illis aliis confusa non fuerant. Quod si Sancti Prophetæ oracula Dei Acrostichidibus minime exhibuerunt: non idcirco Constantiniana Acrostichis Christianorum fictio est; ea namque a *privatis* hominibus Sibyllarum oracula exprimentibus descripta fuit, & Ciceronis *Acrostichidem* citantis ætate comparuit.

At Basnagius Constantinianæ Acrostichidis mirator, hanc sui argumenti rationem suggerit, quod illa de Christo sic manifesta oracula continet; ut in tota Sacra Scriptura nullum sit de eodem Servatore Vaticinium tam apertum, tamque perspicuum, atque illud est, quod fertur esse Sibyllæ.

Mira vero opponenti quæ placeant, nam a tota Scriptura Divina Christi *Dei*, & *hominis generatio* cum æterna, tum temporalis designantur; cujus posterioris series ex semine Abrahæ, ac speciatim ex Davidis stirpe prætexitur. Et vero ab eadem Scriptura Messiæ adventus, quum sceptrum ab Juda ablatum esset, innuitur: itidemque ejus natalis locus Bethleem prædicatur: atque etiam ipsius Domini passionis circumstantiæ, ac definita tempora a Sanctis Prophetis liquido prænotantur: quæ prædictiones sacræ, insigues, singulares, & planæ in tota Constantiniana Acrostichide nequaquam apparent: itaut Cicero dicat, *hoc si est in libris, in quem hominem, & in quod tempus est?* Quippe quia in ista ejusdem *hominis stirps*, locus, ac tempus determinatum minime perspiciuntur. Non igitur Acrostichis de Christo multa ita clare prædicit, ut nullum sacrum Vaticinium ei simile videatur, quam ob causam a Christianis ipsa conficta non fuit; qui profecto illas circumstantias, quas compertas habebant, eadem in Acrostichide depinxissent, si eam concinnassent. *Omnium* ante oculos quoque Acrostichidem, prout hæc in Ciceronis libris extabant, expositam Constantinus testatus est, ut & christiani falsi criminis liberarentur, & ea ad Ethnicos revincendos valeret. Ita novitas, absurditas, ac fictio, quas Basnagius obtrudit, penitus corruunt.

Atque etiam Elminierii argumenta eo labuntur, quod quidem scripti versus, quos de Sibylla Tarquinius emit, fuere cum Capitolio combusti: sed, isto *refecto*, in *Italicis*, *Græcisque Urbibus cujuscumque Sibyllæ*, præsertim *Erythrææ Carmina* reperta sunt; quæ quum in plurium *privatorum* hominum potestate essent; inde ad Patrum, & Constantini Magni potestatem venerunt, hinc oracula Sibyllæ Erithrææ, aut etiam Cumanæ, ea non erant, quæ in recenti collectione leguntur cum aliis confusa: nihil enim prophani in illis contentum esse ex adlata Ciceronis ratione liquido constat; qui Con-

Constantinianam Acrostichidem, quæ *Regis* sæculorum adventum, & prophanarum Religionum *depositionem* prædicebat, vidit, ac latine retulit: alioquin nequaquam dixisset, quod, *non esse illud Carmen furentis, ipsum Poema declarat*: quam rem *Poema* Ciceroni incognitum neutiquam *declarasset*: apud quem sane ipsius Acrostichidis auctoritas nihil valuit, cum ipse Ethnicorum more putaverit, idem *poema* a Sibylla *furente* productum non esse. At hoc ipsum uti a Cicerone adlatum Constantinus adlegavit, & adducere debuit, non ut a Cicerone ipso æstimatum, sed ut a Christianis non fictum: id namque posterius imperator ille probatum voluit ac monitum; quippe quia hic orator maximus ante Christi Natale attulit illud *poema*; quod etiam S. Justinus Martyr indigitavit, dum ex ipsius Carminibus Christum advenisse, & *Deos nullos* esse ostendit; quam rem Cicero significarat; ex quo diserte Lactantius Sibyllæ *versus* adduxit, commostrans, eos a christianis haud confictos fuisse: qui versus si a S. Theophylo Antiocheno Episcopo, atque a Clemente Alexandrino, qui tamen abeunte memoria aliquod Sibyllæ oraculum ab Apostolo Paulo significatum cupiit, minime afferuntur: non idcirco a Christianis suppositi sunt; & quia scriptores isti quædam Sibyllarum vaticinia Sibyllæ Erythrææ oraculis similia referunt; & quoniam hujusce Carmina Tullius, Lactantius, & Constantinus Magnus adducunt.

Nonne autem S. Augustinus S. Pauli Apostoli Epistolam ad Romanos edisserens, expresse adprobavit *Cumæum Carmen de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri Jesu Christi regnum concinere, & convenire videtur*, quamque *Virgilius* ex Cumæa *Sibylla* ante ipsius Servatoris adventum descripsit? Nonne etiam idem S. Doctor iisdem in libris de civitate Dei, quos Basnagius, aliique immerito objiciunt, pronuntiavit, ejusdem *Sibyllæ* carmen *de Salvatore expressum* fuisse, & a *Virgilio* relatum? clara sunt sensa Augustini: qui proinde quum altero in loco, quem Basnagius adfert, protulerit, Sybillam *Erythræam* existimatam esse *Cumanam*: tamen hujusce oracula a Christianis subdita neutiquam censuit; quoniam ab ipso *Virgilio* ante Christi ortum eadem illa exhibita fuisse probavit: quæ etiam *sanctorum alicui adsignanda* non dixit: sed ea pertractando ita locutus est: (a) *Cumæa... nihil habet in toto Carmine suo..., quod ad Deorum falsorum, sive fictorum cultum pertineat: quinimmo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videantur, qui pertinent ad civitatem Dei*. Quos versus ad Civitatem Dei pertinere S. Doctor haud pronuntiasset; si iidem a sanctorum aliquo ficti fuissent; nihil enim fictum ad eandem *pertinet Civitatem*.

Verum quidam reponunt, S. Augustinum eodem in opere postea scripsisse, quod (b) „ Judæi ... *cum* scri„ pturis nostris non credunt; com„ plentur in eis suæ, quas cæci le„ gunt: nisi forte quis dixerit, illas pro-

[a] *S. Aug. de Civit. Dei libro* 18. *cap.* 23. *pag.* 506. *Tom.* VII.

[b] *S. Aug. de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 46. *pag.* 529.

„ prophetias Christianos finxisse de „ Christo, quæ Sibyllæ nomine, „ vel aliorum proferuntur, siquæ „ sunt, quæ non pertinent ad po- „ pulum Judæorum. Nobis quidem „ illæ sufficiunt, quæ de nostrorum „ inimicorum codicibus proferuntur, „ quos agnoscimus propter hoc te- „ stimonium, quod nobis inviti per- „ hibent, eosdem codices habendo, „ atque servando, per omnes gen- „ tes etiam ipsos esse dispersos, qua- „ quaversum Christi Ecclesia dilata- „ tur. Nam prophetia in Psalmis, „ quos etiam legunt, de hac re præ- „ missa est, ubi scriptum est: „ Deus meus, misericordia ejus præveniet me. (a) Deus meus demonstravit mihi de inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam: disperge eos in virtute tua. *Demonstravit ergo Deus Ecclesiæ in ejus inimicis Judæis gratiam misericordiæ suæ: Quoniam, sicut dicit Apostolus*, delictum illorum, salus gentium. (b) *Et ideo non eos occidit, id est non in eis perdidit, quod sunt Judæi, quamvis a Romanis fuerint devicti, & oppressi; ne obliti legem Dei, ad hoc, de quo agimus, testimonium nihil valerent. Ideo parum fuit, ut diceret*, ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam; *nisi etiam adderet*, disperge eos: *Quoniam si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent; profecto Ecclesia, quæ ubique est, eos Prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset*.

Sed iis Augustinus hæc alia, quæ oppositionem diluunt, statim adnexuit: (c) „ quapropter quisquis alie- „ nigena, id est, non ex Israel pro- „ genitus, nec ab illo populo in ca- „ nonem sacrarum scripturarum re- „ ceptus, legitur aliquid prophetas- „ se de Christo, si in nostram noti- „ tiam venit, aut venerit, ad cu- „ mulum a nobis commemorari po- „ test non quo necessarius sit, etiamsi „ desit, sed quia non incongrue cre- „ ditur fuisse & in aliis gentibus „ homines, quibus hoc mysterium „ revelatum est, & qui hoc etiam „ prædicere impulsi sunt, sive par- „ ticipes ejusdem gratiæ fuerint, si- „ ve expertes: sed per malos Ange- „ los docti sunt, quos etiam præ- „ sentem Christum, quem Judæi „ non agnoscebant, scimus fuisse „ confessos. Nec ipsos Judæos exi- „ stimo audere contendere, nemi- „ nem pertinuisse ad Deum, præter „ Israelitas, ex quo propago Israel „ esse cœpit, reprobato ejus Fratre „ majore. Populus enim revera, qui „ proprie Dei populus diceretur, nul- „ lus alius fuit: homines autem quos- „ dam non terrena, sed cœlesti so- „ cietate ad veros Israelitas supernæ „ cives patriæ pertinentes etiam in „ aliis gentibus fuisse, negare non „ possunt: quia si negant, facillime „ convincuntur de sancto & mira- „ bili viro Job, qui nec indigena, „ nec proselythus, id est, adve... „ populi Israel fuit: sed ex gente „ Idumæa genus ducens, ibi ortus, „ ibidem mortuus est... Divinitus „ autem provisum fuisse non dubi- „ to, ut ex hoc uno sciremus etiam „ per alias gentes esse potuisse, qui

Mm 2 secun-

[a] Psal. 58. v. 12.
[b] Rom. 11. 11.

[c] S. Aug. in sequenti capite 47. ejusdem libri 18. de Civit. Dei pag. 530. Tom. 7.

„ secundum Deum vixerunt, eique „ placuerunt, pertinentes ad spiritalem Jerusalem, quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi „ cui divinitus revelatus est unus „ mediator Dei & hominum homo „ Christus Jesus: qui venturus in „ carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis „ venisse nuntiatus est; ut una, eademque per ipsum fides omnes in „ Dei Civitatem, Dei domum, Dei „ templum prædestinatos perducat ad „ Deum: sed quæcumque aliorum „ prophetiæ de Dei per Christum „ Jesum gratia proferuntur, possunt „ putari a Christianis, esse conficta. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de „ hac re contenderint, nostrosque „ fulciendos, si recte sapuerint, quam „ ut Divina prædicta de Christo ea „ proferantur, quæ in Judæorum „ scripta sunt codicibus: quibus avulsis de sedibus propriis, & propter „ hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi usquequaque crevit „ Ecclesia. „

Itaque Augustinus istis in locis docet, sacras *prophetias*, quæ Christi ortum spectant, *completas*; & *Judæos per omnes gentes dispersos* esse; atque *homines quosdam ex gentibus ad Deum*, ac *veros Israelitas supernæ Patriæ cives pertinuisse:* quæ ex Divinis veteris Testamenti litteris præcipue adversus Judæos incredulos, qui Apostolicis *scripturis nostris non credunt*, *firmius* evincit. Hi igitur *non credentes Judæi putare possunt*, eas *prophetias de Christo a Christianis esse confictas*, quæ indiscriminatim *Sibillæ, vel aliorum nomine proferuntur*. Cæterum S. Doctor de seipso, ac de cordatis hominibus adfirmat, quod *quisquis alienigena*, sive *non ex Israel progenitus*, *nec ab illo populo in canonem sacrarum litterarum receptus*, *legitur aliquid prophetasse de Christo*, *ad cumulum a nobis commemorari potest*; ac *non incongrue creditur*, *fuisse & in aliis gentibus homines*, *quibus hoc mysterium revelatum est*, & *qui hoc prædicere impulsi sunt*, *sive participes ejusdem gratiæ fuerint*, *sive expertes*. Putent ergo homines increduli, relata Sibyllæ oracula a christianis ficta fuisse: hæc tamen ab iisdem conficta non sunt: secus ab Augustino ad *cumulum commemorari* non potuissent, & *incongrue crederetur*, ab *hominibus* etiam Divinæ *gratiæ expertibus* Christi *mysterium* esse *prædictum*: quæ pugnant contra Augustini sententiam. Jam vero adversus Hebræos, qui Christo *non credunt*, producenda sunt non Sybillarum dicta, sed sanctorum Prophetarum oracula; utpote qui a Deo speciatim inspirati, illis, ac nobis accepti, & Sibyllis sint anteriores; e quibus *audita* aliqua Christi mysteria *prædicere impulsæ* sunt istæ: quibus de causis Augustinus quidem adstruit, *nihil esse firmius ad convincendos quoslibet alienos*, *quam ut Divina prædicta de Christo in Judæorum scripta codicibus proferantur*: verumtamen non infirma, nec ficta esse, & valere contra Ethnicos Sibyllæ *Cumanæ* vaticinia significat; præsertim quum in eodem opere de Civitate Dei ejusdem Sibyllæ prædictiones a Virgilio relatas adversus Porphyrium, ut vidimus, afferat.

Quoniam de Ciceronis monumento dixi; nunc de Virgilii versibus loquar; in quibus Samuel Basnagius maxime laborat, ut eos eludat: etenim ante illa, quæ oppugnavimus, ait:

uit: (a) „ Ecloga quarta Maronis anno „ V. G. DCCXIV., Juliano VI., Augusti IV. condita est Domitio Calvino, & Asinio Pollione Coss. ante natale Christi circiter XXXV. ex quo colligi videtur, Carmina hæc a Christianis subdita non fuisse, qui nondum exorti erant. Ea igitur ex fatidicis Sibyllarum libris deprompta sunt. Christi vero & nativitatem, & gloriam accuratissime depingunt.

Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.

„ antequam Eclogæ Virgilianæ ineamus explicationem; etiam atque etiam observandum, in Sibyllina Carmina Virgilium non conjecisse oculos, cum de quindecimviris unus non fuerit, quibus solis Sibyllinos evolvere libros licuit. Præterea Cumana Carmina diligenter occultata fuisse, solis quindecimviris inspicienda, monuit nos Lactantius lib. I. cap. 6. quidquid ergo de Sibylla Cumana lusit Virgilius, ex fama hauserit necesse est, quippe certis de caussis oracula Sibyllina, jubente Senatu, quandoque spargebantur, quomodo illud de Rege Ægypti: (b) *Si Rex Ægypti auxilii alicujus indigens venerit, amicitiam ei ne denegaveritis; sin secus feceritis, labores, & pericula habebitis. Atque idipsum oraculum in populum evulgatum est, Catonis opera. Non enim licebat Sibyllinum ullum Carmen populo enuntiare, nisi Senatus id decrevisset. Nam ut primum oraculi sententia vulgo innotuit, veritus Cato, ne id supprimeretur, Pontifices ad plebem produxit; ac priusquam Senatus quidpiam statueret, eos coegit oraculum exponere.* Est vero creditu difficillimum, Patres Consc. imperasse, ut a Romanis nova proles Cœlo delapsa expectaretur. Ea vulgabant, quorum manifestatio in Reip. commodum cedebat. Præterea concesso, versus maronianos in Sibyllinis carminibus contineri, non tamen consequens est, Sibyllas fuisse actas a Spiritu Sancto. Ex Scriptura vaticinia hæc desumi potuere, sive ab Judæo aliquo, sive ab Ethnico, Sibyllinis Carminibus apposita. Neque vana conjectura hæc est. Narrat enim Dionysius Halicarnassus, (c) *quædam supposititia, & carminibus Sibyllinis inserta repeniuntur, quæ deprehenduntur ex iis, quæ Acrostichides nuncupantur.* Et Sibyllinorum delectum ab Augusto habitum esse, monuit nos Svetonius. Quin etiam anno Dom. XIX. Sibyllina Tiberius Carmina emendavit, teste Dione: (d) *libros, qui vaticiniorum aliquid continerent, inspexit, & ex iis alios seu nullius momenti reprobavit, alios in probatorum numerum recepit.* Quæ corruptio jam Carmina Sibyllina invaserat, cum exusto post sociale bellum capitolio, legati Senatus ex variis orbis locis libros fatidicos colligerent. Atque hæc ex abundanti dicimus, concesso, fatidicis libris versus eos includi, qui exhibentur Maronis in Ecloga. Verum enim vero ea stat infixa ani-

[a] *Samuel Basn. in annal. anno Dom.* XV. *num.* XIII. *pag.* 152. *& seq. Tom.* I.
[b] *Dio lib.* 39. 38.
[c] *Dion. lib.* 4. *cap.* 8.
[d] *Dio lib.* 57. 615.

„ animo nostro sententiæ, Maronis „ Carmina, quæ novam prolem Cœ„ lo delapsam pollicentur, non va„ tis fatidicæ quidem, sed poetæ es„ se, qui ultimæ ætati, quam a Si„ bylla cum ea audierat esse præsi„ gnificatam, Eclogam suam accom„ modavit. Hæc vero in eam deri„ vavit & Stoicorum opinione, ut „ Pollionis honori velificaretur:.

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

„ Quid rei sit magnus ille sæclorum „ ordo: ex Balbo stoico facillime „ sciri potest: (*a*) *quarum stellarum „ ex disparibus motionibus magnum „ annum Mathematici nominaverunt, „ qui tum efficitur, cum solis & lu„ næ, & quinque errantium ad ean„ dem inter se comparationem con„ fectis omnibus spatiis, est facta „ conversio, quæ quam longa sit, ma„ gna quæstio est*. Ex Ægyptiorum „ sententia Sol ad easdem metas re„ vertebatur post annos MCCCCLXI., „ quibus Juliani MCCCCLX conficiun„ tur, teste Censorino: (*b*) *ad Ægy„ ptiorum magnum annum luna non „ pertinet, quem græce* Κυνικὸν, *la„ tine canicularem vocamus: propte„ rea quod initium ejus sumitur, „ cum primo die ejus mensis*, quem „ vocant Ægyptii Θωθ, *caniculæ si„ dus exoritur. Nam eorum annus Ci„ vilis solos habet dies* CCCLXV. *sine „ ullo intercalari. Itaque quadrien„ nium apud eos uno die circiter mi„ nus est, quam naturale quadrien„ nium, eoque fit, ut anno* MCCCCLXI. „ *ad idem revolvatur principium*. Ea

[a] *Cic. de nat. Deor. lib. 2. num. 51.*
[b] *Censor. de die natal. cap. 18.*
[c] *P... de plac. Philos. lib. 2. cap. 32.*

„ tamen κατασασις a Marone non „ intelligitur, utpote quæ diu ante „ *nata* fuerat. Heracliti ergo senten„ tiam Poeta sequitur; quippe (*c*) „ *Heraclitus magnum annum definie„ bat annorum solarium millibus octo„ decim, Diogenes* CCCLXV. *annis* „ *tantus quantus est Heraclito. Alii* „ VII. CIↃIↃCCCLXXVII.

„ *Jam redit & Virgo, redeunt Sa„ turnia regna.*

„ hoc carmen mutavit Constantinus, „ ut consilio suo inserviret: H'xει „ παρθενος αὖθις ἄγουσα ἐρατον Βα„ σιλῆα.

„ *Venit rursum virgo, ducens ama„ bilem Regem.*

„ quæ virgiliano in carmine non le„ guntur; sed Christus in Saturnio „ regno deprehendi non poterat. „ Quænam porro Virgilio illa virgo „ sit, quæ jam redibat, monet Ovi„ dius: (*d*).

„ *Et virgo cæde madentes*
„ *Ultima Cœlestum terras Astræa*
„ *relinquit.*

„ Hæc est illa virgo, non, uti opi„ nabatur Constantinus, beata Ma„ ria, quæ in terras, quas necdum „ reliquerat, redire haud poterat. „ Saturnia vero regna auream illam „ ætatem significant a Poetis canta„ tam, cujus reditum Cumæa Si„ bylla apud Virgilium pollicetur: (*e*)
„ *Aurea prima sata est ætas, quæ*
„ *vindice nullo,*

Spon-

[d] *Ovid. Metam. lib. 1. fab. 4.*
[e] *Metam. lib. 1. fab. 3.*

„ *Sponte sua sine lege fidem, re-*
„ *ctumque colebat.*

„ Quam similibus & coloribus æta-
„ tem Poeta pingit: (a)

„ *Ante Jovem nulli subigebant ar-*
„ *va coloni:*
„ *Nec signare quidem, aut partiri*
„ *limite campum*
„ *fas erat: in medium quærebant:*
„ *ipsaque tellus*
„ *omnia liberius, nullo poscente,*
„ *ferebat.*

„ addit Virgilius in Ecloga:

„ *Jam nova progenies Cœlo demit-*
„ *titur alto.*

„ in quo Carmine complures Christum Cœlo delapsum videre sibi videntur; nostro tamen judicio perperam: neque enim in veteri testamento phrasis ea usurpatur significandæ Redemptoris nativitati: & de Salonino Pollionis Filio Virgilium hæc lusisse, certum, exploratumque est. Stoicorum igitur opinionem Poeta persequitur, uti ex Balbo didicimus: (b) *intelligi debet, calidum illud atque igneum ita in omni fusum esse natura, ut in eo insit procreandi vis, & causa gignendi, a quo & animantia omnia, & ea, quorum stirpes terra continentur, & nasci necesse est & augere.* De Stoicis similia docet Plutarchus: (c) *stoici communius Deum pronuntiant esse ignem artificiosum, vix ingredientem ad mundi procreationem; qui mundus in se contineat omnes seminales formas, ex quibus singula fato nascantur.* Maronis versus:

„ *Esse apibus partem Divinæ men-*
„ *tis & haustus*
„ *Æthereos dixere: Deum namque*
„ *ire per omnes*
„ *Terrasque, tractusque Maris,*
„ *Cœlumque profundum:*
„ *Hinc pecudes, armenta, viros,*
„ *genus omne ferarum*
„ *Quemque sibi tenues nascendo ar-*
„ *cessere vitas.*
„ *Scilicet huc reddi deinde, ac re-*
„ *soluta referri.*
„ *Omnia, nec morti esse locum,*
„ *sed viva volare*
„ *Sideris in numerum, atque alto*
„ *succedere cœlo.*

„ Nova igitur illa progenies Cœlo demissa nil aliud est Maroni, quam post magnam illam astrorum κατὰ-στασιν semen de Cœlo cadens, quo ex Stoicorum disciplina filius Pollionis procreatus erat. Firmat adhuc explicationem ipse Virgilius, qui de animalibus canit:

„ *Igneus est ollis vigor,*
„ *Et cælestis origo seminibus.*

„ Ex eadem Stoicorum Philosophia, ut apparet, fusa sunt sequentia de Pollionis Filio Carmina:

„ *Ille Deum vitam accipiet, Di-*
„ *visque videbit*
„ *Permixtos Heroas; & ipse vide-*
„ *bitur illis.*

„ Etenim Stoici, teste Laertio, quosdam

(a) Georg. lib. 1. 125.
(b) Cic. de Nat. Deor. lib. 2. num. 28.

(c) Plut. de plac. Philos. lib. 1. c. 7.

„ dam item esse Dæmones dicunt, „ quibus insit hominum miseratio, „ inspectores humanarum rerum, (a) „ *Hervas quoque, solutas corporibus* „ *sapientum animas*. Sed & viros il- „ lustres Ethnici Deorum in nume- „ rum referebant. De Ænea Ovi- „ dius: (b)

„ *Ambrosia dulci cum nectare mi-*
„ *sta*
„ *Contigit os, fecitque Deum, quem*
„ *turba Quirini*
„ *Nuncupat indigetem,*
„ *Temploque, arisque recepit.*

„ Et apud Ciceronem Balbus: (c) *Su-* „ *scepit autem vita hominis, consue-* „ *tudoque communis, ut beneficiis ex-* „ *cellentes viros in Cœlum fama, &* „ *voluntate tollerent. Hinc Hercules,* „ *hinc Castor, & Pollux, hinc Æscu-* „ *lapius, hinc Liber*. In hoc igitur „ summa Eclogæ Maronianæ, mens- „ que tota consistit, ut Pollionis, „ cui blanditur, filio ætatem porten- „ dat auream, virtutesque dignas „ Apotheosi, quæ poetica licentia a „ SibyllaCumæa fingit esse præsigni- „ ficata: quomodo Sileno vincula a „ pueris injecta fuisse fingit:

Quo vincula nectitis?
inquit
Solvite me pueri, satis est, potuis-
se videri. (d)

„ aut quomodo Horatiùs canit:

Bachum vidimus docentem, credite
posteri.

„ Quid hæc ad Christi nativitatem „ veluti a Sibyllis prædictam? „

Pudeat nominasse Bachum, quem ne Virgilius quidem illa in Ecloga nuncupavit: qui quamvis unus e quindecim viris haud esset; tamen non modo Sibyllina Carmina scivisse ex sola fama, verum etiam in illa conjecisse oculos censendus est: siquidem capitolio refecto eadem Carmina in *Italicis urbibus*, & *Græcis* reperta fuere, testibus Fenestella, Lactantio, & Dionysio Halicarnasseo; cujus prophani Historici aliqua græca verba a latino interprete minus bene versa Basnagius adducit. Quamobrem afferamus necesse est græcum contextum ejusdem Dionysii; qui anno Augusti XXIV. ante Christi ortum VIII. antiquitatum Romanarum scribebat historiam: in qua ubi *Sibyllinos libros* cum capitolio combustos retulit; actutum de illis Sibyllinis libris, qui eo tempore extabant, ista narravit: (e) *οἱ δὲ νυνὶ ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσὶ σύμφοροι τόπων· οἱ μὲν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες· οἱ δὲ ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ, κατὰ δόγμα Βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν· οἱ δὲ ἐξ ἄλλων πόλεων, καὶ παρ᾽ ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες· ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι· λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάρρων ἱστόρηκεν ἐν τῇ Θεολογικῇ πραγματείᾳ*. Ea vero *ἐμπεποιημένοι* *suppositia* latinus Dionysii interpres, & Basnagius perperam vertunt: neque enim supponere, sed *indere*, *inducere*, *inserore* verbum *ἐμποιέω*, a cujus passivo *ἐμπεποιημένος* fit, ex veteribus Græcis significat. Quare græcus

(a) *Laert. lib. 7. pag. 315.*
(b) *Metam. lib. 14. fab. 25.*
(c) *Cic. lib. 2. de nat. Deor. num. 62.*

(d) *Ecl. VI.*
(e) *Dion. Halic. lib. IV. antiqu. Roman. pag. 260. Edit. Lips. an. 1691.*

tus ille Dionysii Halicarnessei textus latine sic redditur : *qui autem nunc extant, e multis locis comportati sunt ; partim allati ex Italiæ urbibus, partim ex Erythræa Asiæ, ex S. C. legatis illinc ad transcribendum missis ; partim ex aliis urbibus, & a privatis hominibus descripti ; in quibus inveniuntur quædam inserta Sibyllinis, quæ deprehenduntur ex iis, quæ vocatæ sunt Acrostichides : Dico sane, quæ Terentius Varro narravit in re Theologica.*

Solum igitur quindecimviris licuit, ea Sibyllarum oracula, quæ Romæ erant, inspicere : idque ex Fenestella retulit Lactantius; qui tamen adjunxit, Sibyllarum vaticinia in *Italicis urbibus* & *Græcis* reperta, atque adeo disseminata fuisse: quod ipsum Dionysius Halicarnasseus ante Lactantium, immo ante Christi natale memoriæ prodiderat. Sit ergo creditu difficillimum, Romanum Senatum, qui certis de causis aliqua earumdem vatum dicta ponebat in medio, imperasse, ut *nova proles* e Cœlo delapsura nuntiaretur populo, atque expectaretur : certe Virgilius, quamvis unus e quindecimviris non fuerit, e proximis *Italiæ urbibus* Sibyllæ Cumææ Carmina novisse putandus est : quibus acrostichides *insertæ* sunt, non a Christianis *suppositæ*, ut qui *Terentii Varronis* tempore nequaquam extarent. Itaque Acrostichides Christi adventum narrantes a *privatis hominibus descriptæ* fuerunt ante ejusdem Domini nativitatem; quam Sibyllæ aut e Sanctis Prophetis, aut etiam ex nonnullis Hebræis audierant, atque prædixerant, non speciatim actæ a Spiritu sancto, sed *impulsæ*, quemadmodum S. Augustinus declarat.

Ac proinde prius, quam Christus oriretur, & Tiberius, qui Sibyllarum versus corrupit, existeret, Sibyllina vaticinia suppositio, vel corruptio minime invasit.

Subinde falsam Basnagii opinionem evellit ipsa Virgilii Ecloga; ubi is *Cumæum Carmen* distincte citavit : non solum igitur ultimam ætatem a Sibylla Cumana præsignificatam audiit, verum etiam illius *Carmen* adspexit, hujusque partes aliquas eidem Eclogæ inseruit Poeta: qui si magnum stellarum annum aut a Cicerone, aut ab Ægyptiis, aut ab Heraclito notatum ex illo versu intelligi voluit: cur non ita cecinit: *magnus ab integro stellarum nascitur annus?* an non erat integer hic versus ? Verum Virgilius non stellas, sed *sæcla*, non annum, sed *ordinem* posuit : qui *Ordo* non unum illum stellarum annum, sed *integrorum sæclorum* spatia complectitur. Proinde Virgilius non stellarum κατάστασιν, sive constitutionem, nec magnum stellarum annum, sed alium *magnum sæclorum ordinem*, seu istorum innovationem e *Nova Progenie nascentem* intelligit.

Quantum vero spectat ad alterum ejusdem Poetæ versum a Constantino Magno græce redditum: jam Βασιλῆα a Basnagio minus bene ita translatum est, ut iste *Regem* latine interpretatus sit: nam ex Sophocle Βασιλὴ denotat *regnum*. Tum αὖθις Jonice pro αὖθι accipitur, quod vel *huc*, vel *inde*, vel *rursum* significat. Et ante ab eo imperatore positum est Ἥκει, quod idem est, atque *venit : redire* autem, quod Virgilius assumpsit, interdum pro simplici venire a latinis antiquioribus capitur: ἄγατα quoque participium est ver-

bi ἄγω., (*a*) quod etiam pro *ciere*, (*b*) sive *excitare* improprie usurpatur. Quas ob res Græca Constantini a Basnagio relata in latinum ita sunt transferenda: *inde venit Virgo ciens amabile regnum:* quæ quidem Virgiliani versus interpretatio paulo liberior apparet, quum aliæ græcæ voces ad illud Carmen græce vertendum aptæ Constantini animo nequaquam occurrerint: qui tamen sua versione Virgiliani versus sensum haud mutavit, ut consilio suo inserviret. Quænam enim illa Virgo sit, quæ a Virgilio, & a Constantino memoratur, non monet Ovidius; qui neque *Cumæum Carmen*, neque *magnum sæclorum ordinem*, neque *novam progeniem* eo loci, in quo *Astræam Virginem* dixerat, commendavit: quæ omnia, & alia etiam Virgilius laudibus extulit: alia igitur Virgo ab Ovidio, alia a Virgilio significata est. Ob idque Virgo, quæ a Virgilio *rediens* dicitur, est beata Maria, non quod hæc in terras, quas necdum incoluerat, atque reliquerat, rediret; sed quia e *Cumæi Carminis* memoria, ac prædictione ad *novam progeniem* reditura erat: quod idem valet, ac *Virgo* a *Cumæo Carmine* antea prædicta jam *redit*, aut *venit;* quem sensum ex illis Virgilii antecedentibus, & consequentibus ductum Constantinus indicavit.

Quid vero sit saturnium regnum: ex iisdem Ovidii verbis, quæ Basnagius exhibet, exque eadem Virgilii Ecloga explicandum est, & Christi regno adscribendum. Siquidem quum ex Ovidio Saturnii regnum fuerit *aurea prima ætas*, quæ *fidem*, *rectumque colebat:* tum Virgilius in Ecloga addidit, quod *toto surget gens aurea mundo;* quæ videlicet *priscæ fraudis*, quam hic Poeta inibi adstituit, *scelere* soluta, & *suavi pratorum*, de quibus in priori Georgicorum libro egit perfruita; *fidem colet* ac *rectum*: Ecce *suave*, atque adeo *amabile* Christi regnum, quod in Saturnio Constantinus deprehendit, atque a *Virgine ciendum*, sive excitandum posuit; ob idque a sensu Virgilii, qui *Saturnia regna redire*, excitarive adverterat, haudquaquam discessit.

Perperam autem Basnagius ait, quod phrasis novam progeniem Cœlo demissam complectens, in veteri Testamento minime adhibeatur ad significandam Redemptoris nativitatem: quam tamen Isaias Propheta pene iisdem verbis præsignificavit. Qui quum monuisset Regem Achaz, ut signum a Domino peteret: ei hoc nequaquam poscenti ille primitus dixit: *propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet*, (*c*) *& pariet Filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Rursus idem Propheta ut populum Judaicum e captivitate Babylonica liberandum nuntiavit: repente ad ortum Messiæ, qui humanum genus a peccato liberaturus erat, (*d*) sic transiit: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem; & justitia oriatur simul*. Quibus omnibus Propheta *Salvatorem* e *Virgine* nasciturum, e *Cœlis* manaturum, & in terra oriturum prædixit: quæ phrases Christi *Cœlo* mittendi novam progeniem, quam Virgo conceptura erat, & pa-

(*a*) *Terent. Phorm. 1. 2. Cæsar. lib. 3. Gal. c.41.*
(*b*) *V. Diosc.*

(*c*) *Is. cap. VII. v. 14.*
(*d*) *Is. cap. 45. v. 8.*

& paritura, contra quam Basnagius argutatur, plane adsignificant.

Cumana igitur Sibylla, cujus plures voces Virgilius exhibet, Sanctorum Prophetarum aliqua oracula audiit; ac *novam progeniem*, quæ *Cælo mitteretur*, quæque a *Virgine* ortum haberet, expressit; cujus in vaticinio mirabilem Christi nativitatem, quam Prophetæ apertius prædixerant, eruditi conspiciunt.

Quid autem pluribus illis Stoicorum opinationibus Basnagius consequitur? nihil. Nam & illi asserebant, in igneo, & *Calido*, quod in *omni natura* corporea *fusum* esset, inesse *vim procreandi*, ab eaque *animantia omnia nasci*, atque *stirpes*: & errore magno affirmabant, *Deum esse ignem artificiosum*, inque mundo *omnes seminales formas*, e *quibus omnia fato nascerentur*, contentas: & Virgilius errore putabat, *esse Apibus partem Divinæ mentis*, atque *omnia* animantia *non mori*, sed *sideris in locum omnia volare*: & idem poeta canebat, *igneum* esse *ollis vigorem*, ac *seminibus Cælestem Originem*, quatenus ipsis Deus, qui it per *omnes terras*, *tractusque maris*, *Cælumque profundum*, tribuerit seminandi vim, atque nascendi. In his porro quis minime advertit commune, atque usitatum gignendi, nascendique institutum ordinaria illa Origine Cœlesti proveniens? atqui Poetarum Princeps ea in Ecloga *Novam* dixit *progeniem Cælo mittendam*: quæ propterea non ex communi, & usitata procreandi potentia, ac non adeo ex ordinaria feminis vi, sed ex *Nova* virtute *Cælo demissa*, atque indita *Virgini*, quam ille proxime celebrarat, concipi debebat & exoriri.

Quod si ista Ethnicus Virgilius Divinorum Mysteriorum nescius de Salonino Pollionis Consulis Filio lusit: non idcirco eadem de Servatore accommodate intelligenda non sunt: nam etiam ipse Poeta de eodem Salonino per ludum hæc scripsit:

„ Te Duce si qua manent
„ Sceleris vestigia nostri,
„ Irrita perpetua solvent
„ Formidine terras:

quæ Divinæ Servatoris personæ, sive Dei Filio, qui assumpta humana natura communis *sceleris vestigia irrita* facturus erat, apte conveniunt: Cui proinde *nova progenies* prius a Virgilio commendata apposite congruit.

Atenim hæc idem Poeta, uti Basnagius affirmat, de Salonino lusit: vere autem huic *ultimam Cumæi Carminis ætatem*, in qua *Nova progenies Cælo demittenda* erat, dumtaxat adsignavit. Postquam enim ipsi Pollionis filio *laudes Heroum*, quos in *Deorum* numero, hocoque Ethnici errando ponebant, ac Dæmones esse fingebant, auguratus est: tum eidem dixit:

Adgredere o magnos, aderit jam tempus, honores:

quod quidem *tempus* illi *ultimæ ætati*, quam antea Virgilius posuerat, & in qua magnum illud ac Cœleste *Novæ progeniei* e *Virgine* nasciture prodigium evenire debebat, plane respondet, ac serio. Serio itaque eidem Salonino non *Virginem* Matrem, non *Novam progeniem*, non *nostri sceleris* abolitionem, sed *ultimam ætatem*, sive *tempus*, in quo ea obventura erant, Virgilius attribuit.

Quapropter illa, quæ fictorum *Deorum*

rum vitam Puero deputant, ille Poeta non de *Nova Progenie*, sed de ipso Pollionis Filio protulit: quippe cui uti eorum *Deorum*, sive Heroum, *soboli* deinceps dixit, ut *magnos honores adgrederetur* eodem *tempore*, eademve *ætate*, quæ *Novam Progeniem Cœlo* delapsuram, ac *sæculorum* mutationem ferebat.

Hæc vero ætas non fuit *unus* ille magnus annus κατας̃ασις astrorum; quoniam ea multos humanæ *vitæ* a Virgilio expressæ annos, immo plura *sæcula* complectebatur. Non igitur *Nova* progenies nihil aliud est Maroni, quam post eandem astrorum κατας̃ασιν, sive post magnum illum anum, semen de Cœlo cadens: & quia ex Virgilio post *sæcula integra* proles illa nascebatur; & quoniam semen de Cœlo cadens non erat novum, utpote communem, & ordinariam naturæ vim cœlesti origine *seminibus* datam involvens; qua nascendi ratione caruit illa *Progenies*; alioquin nova haud fuisset. Quæ res etiam declaratur ea enuntiatione, quam adversarius adfert ex Balbo; qui ait, quod *suscepit Consuetudo communis*, ut *excellentes Viros in Cœlum fama tolleret*. Ergo ex *communi consuetudine* semen de Cœlo cadens esse illam *progeniem* non intellexit Virgilius, quippe qui eam *Novam*, atque adeo a *communi* oriendi *consuetudine*, quæ ex semine est, remotam adstruxerit.

Ac mihi tandem repetenda est Virgilii mens non sane satis a Basnagio explicata, sed, uti censeo, opposita ei, quod iste falso requirit, ut cognoscat, quæ Poetarum clarissimus senserit de Cumææ Sibyllæ vaticinio. Etenim in hoc summa Eclogæ Maronianæ, mensque tota consistit, ut ipsi Salonino, cui blanditur, ætatem auream, virtutes apotheosi dignas, *magnosque honores* portendat futuros in ea *ultima Cumæi Carminis ætate*; cujus *ævi decus*, *Te Consule*, *inibit*, *Pollio*, *& incipient magni procedere menses*; quod *tempus*, quemque scopum suum *Pollioni*, uti retulimus, Maro fatius nuntiavit: qui proinde sicut ejusdem *ævi* initium, ac *decus*, & *Pollionis Consulatum*, a quo *magni* ipsius *ætatis menses procedere incipiebant*, Poetica libertate neutiquam commentus est: ita eam *ultimam ætatem*, eam *Virginem*, eam *novam progeniem*, a *Cumæa* Sibylla prædictas fuisse, poetica licentia non finxit. Præterea *priscæ fraudis*, ac *sceleris nostri vestigia*, quæ originariam culpam exprimunt, effingere haud potuit Ethnicus Poeta, utpote illius culpæ, aut *priscæ fraudis* prorsus ignarus. Illam igitur ex *Cumæo* Carmine, quod citat, scivit, non autem confinxit.

Quid ergo adversus Sibyllæ Cumææ Vaticinium, aut vincula, quæ Sileno a pueris injecta Virgilius ficte Ecloga sexta cecinit, aut Bachus, quem docentem ab se visum esse Horatius simulavit, faciunt? nulla hæc sunt. Aliud quippe est figmentis loqui, aliud testificari aliqua. Quare Maro vinculorum fictione, & Horatius Bacchi commento nihil testatum voluere. At vero Virgilius Ecloga IV. *Cumæum Carmen*, *ultimam* ejus *ætatem*, ac *Pollionis Consulatum*, quæ quidem ficta non sunt, attestatus est. Non igitur *Cumæi Carminis oracula*, quæ *Novam progeniem* e *Virgine* nascituram, futuramque *nostri sceleris* dissolutionem prænuntiabant, Maro figmentis descripsit.

Hisce perspectis evertenda est oppo-

pcsi-

positítio Dallæi: qui postquam plura opera ab iis, qui quorumdam hominum, ac sententiarum studio tenerentur, efficta, quæ repulimus, objectavit: protinus ait: „ iisdem „ studiis ducebantur (licet minus „ iniquis) antiquissimi illi Christiani, (*a*) qui Sibyllina vaticinia de „ Christo, ejusque regno primi in „ vulgus sparserunt, ut facilius fidem „ ab Ethnicis impetrarent; quod & „ ipsis probro vertere non neglexit „ (*b*) Celsus apud Origenem. „

Ecquis autem fictorum *Deorum deponendas religiones*, *novam progeniem cœlo demittendam*, *priscam fraudem*, *nostrumve scelus* oblitterandum, ac *magnum ab integro sæculorum ordine nasciturum*, quæ Christi ortum, ac regnum, sive *sæculorum* innovationem significant, primitus sparsit in vulgus? Christianorum ne aliquis? Patrum ne quispiam? num hi Tullio, & Virgilio ævis, eaque ferentibus existebant? Quis id commentus fuerit? non igitur Christiani, neque Patres studiis minus iniquis ducti, Sibyllarum vaticinia de Christo, ejusque regno Primi in vulgus sparserunt, ut facilius impetrarent fidem ab Ethnicis; quos Cicero, ac Virgilius itidem Ethnici iisdem Sibyllarum oraculis, quæ eorum ætate, & ante Christi natale, disseminata erant, convicere.

Nec vero Celsus Christianis idipsum, quod Dallæus propinat, probro vertere haud neglexit apud Origenem: qui tertii sæculi scriptor in Libro VII. contra eumdem Philosophum Ethnicum exarato ejus oppositionem, suumque responsum ita (*c*) descripsit: *subdis*, *nescio quomodo nos melius facturos fuisse*, *si* Sibyllam Dei Filiam appellassemus potius, quam Jesum: *affirmasque*, a Nobis multa, eaque impia in ejus scriptis inserta esse; *nec tamen indicat*, *quid insertum a nobis fuerit; quod fecisset*, *si puriora monstrasset exemplaria*, *ubi non viderentur ea*, *quæ inserta fuisse existimat*. *Immo ne ostendit quidem illa esse impia*.

Celsus igitur Christianis probro non vertit, quod primi Sibyllarum vaticinia de Christo, ejusque regno disseminarint in vulgus: non enim hujusmodi exprobratio hocce in loco, quem Dallæus adlegat, legitur. Quin etiam Origenes refert, Celsum *affirmasse* quidem, *multa impia Sibyllæ scriptis* a Christianis *inserta esse: nec tamen indicasse*, *quid* ab iisdem *insertum fuerit*. Celsus ergo neutiquam innuit ea, quæ Christum, ejusque regnum spectant, Christianorum arte in libris Sibyllinis posita esse. Ob idque Dallæus christianos primos perperam arguit, atque etiam Celsus subdole asseruit, & *Sibyllam Dei Filiam appellandam potius*, *quam Jesum*; & *multa impia* in illius libros a christianis *inserta* fuisse. Nam si christiani *Jesum Dei Filium*, & alia Sibyllæ *scriptis inseruissent*, hæc Celsus indicasset: quæ quum minime indicaverit, proculdubio illa malitiose affirmavit. Quocirca ad *puriora Sibyllæ exemplaria*, quæ ipse Philosophus Ethnicus *non monstrabat*, provocavit Origenes; qui isthæc non appellasset, si vera esse Sibyllæ oracula, quæ Christum prænuntiarunt, haud censuisset; qui etiam non dixit, quod ea, quæ Celsus *inserta existimat*, in illis

[a] *Dall. de usu Patr. lib. 1. cap. 3. pag. 18.*
[b] *Orig. cont. Cel. lib. 7.*

[c] *Orig. lib. VII. cont. Cel. num. 56. pag. 734. tom. 1. Paris. edit. an. 1733.*

lis exemplaribus *non videntur*: sed ait, quod *non viderentur*; quippe quia idem Ethnicus *non indicaverat*, hanc enuntiationem, *Jesum Dei Filium*, insertam esse Sibyllæ *scriptis* Vaticiniis: quæ proinde a christianis efficta fuisse nec Celsus monstravit, nec Origenes sensit.

Restat, ut iis respondeam, quæ (a) Dupinius opponit his verbis: „ ut oracula Sibyllina, quibus Patres usi sunt, falsa pateant, tantum superest, ut ea ab iis, quæ hodie id nominis præseferunt, non multo discrepare demonstretur. Ut id pateat, animadvertatur sufficit, tribus exceptis vel quatuor locis, cætera ab antiquis laudata non parvo numero in libris Sibyllinis, quæ hodie extant, similibus verbis occurrere. Validissima autem ratione probatur opus aliquod antiquum esse, quod in ea loca a veteribus citata legantur. Nonne libros innumeros hac una ratione probamus esse antiquos, quod locus quidam a non-nullo Vetere relatus extet, qui in illis libris occurrit? Quare igitur eadem ratione non probabitur, libros Sibyllinos, quamvis suppositos, eosdem esse, qui extabant antiquorum tempore? & eo validior hæc ratio est, quod non de uno loco, verum de pluribus agatur, a variis relatis auctoribus, & libri Sibyllini etiamnum eadem extent lingua, qua citati sunt. Cæterum non mirum, si quædam in illis non occurrant loca, nec alia totidem verbis, quia nobis perierunt illorum librorum loca quædam, nec Veteres sunt sæpe in locis citandis accurati, sensum potius, quam litteræ, adhærentes. Huic etiamnum addi potest argumento quidquid de libris Sibyllinis a Patribus antiquis fuit memoratum, ad istos referri. Exhortationis ad Ethnicos Auctor ait libros Sibyllinos inelegantes fuisse: isti sunt ejusmodi. Anachronismi vel illo tempore insimulabantur; sic hodie. De Christo, Judicio, inferis agebant; & hæc omnia nunc etiam in iis reperiuntur. Denique isti antiquissimi sunt, & ab antiquissimorum Patrum ætate in iis opiniones occurrunt, quæ in primis dumtaxat viguerunt Ecclesiæ sæculis; quales millenariorum error; Neronem Antichristum esse; mundi finem proximum; Antonini tempore futurum; brevi perituram Romam 448. annis ab ea condita, & plura alia, quæ nunquam a novis christianis tradita forent, qui ab illis opinionibus non parum alieni fuissent, & illorum Vaticiniorum falsitate convicti. Pro certo igitur habendum, in secundo sæculo Sibyllarum libros fuisse suppositos.„

Refutet ista S. Justinus Martyr, Auctor certe illius exhortationis ad Græcos a Dupinio relatæ; qui tamen illi martyri istud opus perperam abjudicat; quum Eusebius, S. Hieronymus, ac Photius, quos suo loco postea laudabimus, hoc idem S. Justini scriptum significarint: quo in opere S. Martyr non, ut Dupinius effingit, dixit, Sibyllinos libros inelegantes fuisse, & Anachronismis notatos: at solum ait, (b) quod *nu*-

me-

[a] *Dup. in BB. auct. Ecclef. De lib. Sibyl. pag. 31. & sequ. tom. 1. Edit. Parif. an. 1692.*

[b] *I. Just. loc. sup. cit. pag. 34.*

merus nonnullis Sibyllæ *versibus desit ....sed quia nec in poeticis numeris...vera religio est*, nec in ... *Eruditione ..quid a Sibylla dicatur*, *animadvertite clare Salvatoris .. adventum denuntiat ; qui..revocavit nobis in memoriam priscorum Parentum religionem, qua relicta ipsorum posteri, invidi Dæmonis monitis ...ad Deos , qui nulli sunt, colendos deflexerunt.. igitur...credite..Sibyllæ.., quæ..Deos nullos esse per oracula nos docet* . Omittat ergo Dupinius versuum numerum, & octo inelegantes Sibyllinos libros , in quibus *vera religio* passim *non est ;* quum in ipsis libris hodie extantibus multa legantur , quæ impio falsorum Deorum cultui aperte favent : quos tamen Sibylla ab Justino commendata *nullos* esse , ac *non colendos* edocuit. Non igitur plura Loca a veteribus citata leguntur in illis octo libris Sibyllinis , sed oracula multis eorum locis opposita a priscis Christianis Scriptoribus celebrantur ; quibus ratio omnis a Dupinio allata brevi refellitur ; quæ quidem ratio in aliorum Veterum operibus, in quibus textus a priscis Scriptoribus laudati reperiuntur , validissima est : verum ad octo Sibyllinos libros exaggerandos, quasi iidem illi sint, quos Patres exhibuerunt, minime valet ; quoniam veteres non multa eorum librorum extantium loca, fed Sibyllarum oracula iis pluribus locis , quæ superstitiosum *nullorum Deorum* cultum improbe docent , contraria adlegarunt.

Præterea constans est cunctorum fere Patrum sententia , nullos ante Moysem Scriptores ; sive sacros, sive prophanos , extitisse : quam sententiam (*a*) S. Justinus eodem in opere , quod a Dupinio adlegatur , ex Ethnicorum historiis ostendit , ut adversus istos *Deum* unum , ab eoque *Mundum creatum* & *hominem* , atque *animæ immortalitatem*, ac *futurum judicium*, *christianamque Religionem* evinceret . Ex adverso autem libri tertii Sibyllini nunc existentis Auctor Mose vetustiorem se facit; dum hujus Prophetæ ortum , & populi Israelitici liberationem prædicit . Quamquam igitur idem Auctor Sibyllinus futurum Judicium, Inferos, & quædam alia, quæ Christiana Religio docet , suis superstitionibus pravis immiscet: nihilominus Justini sententiæ adversatur & menti ; quia ille ipse ut Mose antiquior, istorum aliqua vaticinatur; quæ hic S. Martyr ex oraculis Mosis , ut quocumque Scriptore vetustioris evicit.

Nec vero Justinus in illo scripto, neque in alio suo opere dixit, Romanos Asiaticis servituros ; Josue suscitandum, ut Judæorum Rempublicam instauret ; Neronem esse Antichristum ; Romam anno a conditione sua 448. hoc est, æræ Christianæ anno 195. perituram ; atque Imperatoris Antonini temporibus , in quibus etiam ipse martyr vitam degebat , fore Mundi finem : quæ omnia Sibyllinorum operum existentium Auctor (*b*) tribus in Libris comminiscitur : contra cujus commenta Justinus in Dialogo (*c*) cum Tryphone Judæo plane denuntiavit, sua illa ætate Antichristum nondum appa-

(*a*) *Just. in Cort. ad Græc. n. 7. & 9. pag. 13.*

(*b*) *Auct. lib. Sibyll. Lib. 3. 4. & 8.*

(*c*) *S. Just. in Dial. cum Tryph. Jud. num. 12. pag. 189. & num. 110. pag. 203.*

apparuisse, nec Christianos toto orbe peremptos; ipsumque Antichristum in *temporibus* ultimis a S. Daniele Propheta prædictis futurum.

Hic etiam Dupinius Millenariorum errorem occentat, haud perscrutatus textum supra descriptum Justini: qui erratum illud in eodem Dialogo retulit ex Sectarum Judaicarum, & *Hæreticorum* opinatione: cui S. Martyr opposuit *piam*, & *puram sententiam*, quam *multi Christiani*, & ipse Justinus sequebantur, *hæreditatem*(a) *in infinitum ævum cernentes*. Non igitur novi Christiani, sed antiquissimi, quos Ecclesia sectatur, ab illa opinatione alieni fuerunt; quam tamen Librorum Sibyllinorum depravatorum Auctor obstinato animo tenuit.

Cum igitur non pauci eorumdem librorum loci pravam superstitionem, & opinationes, Justini, ac primorum Christianorum sententiis contrarias exhibeant; certe iidem non sunt, quos Justinus laudavit: quosque proinde nec primi Christiani, nec alii Antonini tempore effinxere; præcipue quod isti fictorum *Deorum religiones deponendas*, ut Cicero ex Libris Sibyllinis attulerat, diserte monstrarint. Quod cum ita sit: profecto declarat, S. Justinum in citandis Sibyllarum oraculis accuratum fuisse; nam & earum sensa, & verba, quibus *Deos nullos esse* ajebant, laudavit: quæ oracula secundo Ecclesiæ sæculo, in quo is martyr occubuit, erant genuina, non corrupta, neque a christianis supposita: quia Tullii testimonio respondent. Proinde octo Sibyllini libri extantes a germanis Sibyllarum oraculis, quæ eorum errorem confutant, distinguuntur; & post Justini ætatem, uti prænotavimus, depravari cœpti sunt atque confundi.

§. VI.

Dallæi oppositio ex iis, quæ Zosimus, & Bonifacius RR. Pontifices ad Africanas Synodos scripserunt, extorta detruditur.

Dallæus, qui de obtrudendorum operum studiis disputavit, quemque nos, correctione adhibita, repulimus, rursum objicit, quod (b) „ ipsi etiam Patres, seu propriæ „ sententiæ studio tenerentur, seu „ affectibus nimis indulgerent suis, „ has artes interdum adhibuerunt. „ Exemplum habemus insigne, & „ quod Latinis ante ducentos annos „ Græci objecerunt. (c) Contendentibus inter se Pontificibus Roma„ nis, & Synodis Africanis, illis „ quidem totius orbis Christiani ad „ suam sedem appellationes sibi vin„ dicantibus; his contra nitentibus; „ Zosimus, & Bonifacius Episcopi „ Romani obtrusere Africanis quos„ dam Canones, quasi Concilii Ni„ cæni: quibus eas ad se pertinere „ confirmarent. Commoti Afri (hæc „ autem ineunte quinto sæculo acta „ sunt) illico Constantinopolim, „ Alexandriam, & Antiochiam mit„ tere, in optima, incorruptissima, „ adeoque authentica Concilii Ni„ cæni exemplaria inquirere, nec la„ bori, nec diligentiæ parcere; Ca„ nones vero isti, Nicæni scilicet, „ nus-

(a) S. Just. in Dial. cum Tryph. Jul. nu. 80. pag. 177. & num. 139. pag. 212.

(b) Dal. lib. 1. de usu Patr. cap. 3. pag. 18. & sequ.

(c) Concil. Or. sess. 20.

„ nusquam comparere. Enim vero „ quamvis Canones, & Acta Nicæna, quæ nunc teruntur, ex illo „ tempore per multas manus transiverint; iis tamen nihil ejusmodi contineretur, ne quidem in editionibus, quas homines dignitatis „ Pontificiæ studiosissimi procurarunt; qualis illa latina est, quam „ collegit, & edidit Dionysius exiguus circa annum Domini 525. „ neque in ullis aliis seu veteribus, „ seu recentibus. Nam quod attinet „ ad illud Concilii Nicæni exemplar, quod nescio quis B. Joannes in Synodo Florentina solum „ illibatum evasisse a corruptelis „ Arianorum, propterea que sub clavi diligenter clausum, & sigillo „ munitum Romæ asservatum contendit, ex quo Canones illi desumpti sunt, ne oportet revera „ arctissime observatum, & obsignatum fuisse: cujus in re tanti momenti ne tribus quidem Pontificibus Romanis, Zosimo, Bonifacio, & Cælestino copia facta est: „ maxime tum laborantibus in asserenda apud Patres Africanos fide „ sua, ut vehementer mirum sit, „ qui Fratri Joanni homini mille „ annis post nato, id in mentem „ venerit, cum illi ipsi, qui illud „ penes se scilicet habebant, ne verbulum quidem de eo unquam fecerunt; quod argumento invicto „ est, exquisiti istius voluminis Sigilla nunquam aperta, aut reserata alibi fuisse, nisi in Fratris „ istius cerebro; in quo uno fabricatum & reconditum, natum & „ mortuum simul esse apparet: maxima quippe pars eorum, qui subsecuti sunt, frivolum istud commentum neglexere, neque eo quisquam in hisce controversiis nunc „ utitur. Sed, si verum amamus, „ ne id quidem, quod ipsi excusandis istis Pontificibus comminiscuntur, hilo est Fr. Joannis mendacio probabilius. Isti scilicet causantur, suos illos Pontifices Nicænam & Sardicensem Synodos „ (in qua postrema habentur canones ab iis citati) pro una, eademque habuisse. Cui enim fidem „ facient pro uno, & eodem Concilio censendos duos cætus Ecclesiasticos, totis viginti duobus annis inter se dissitos, a diversis Imperatoribus convocatos ob causas „ admodum diversas? illum quidem „ ad illustrationem Fidei; hunc vero ad restituendos duos Episcopos, ad hæc in locis remotissimis, „ alterum Nicææ, Sardicæ alterum „ habitos, quorum denique Canones plurimum inter se discrepant, „ argumento, numero, authoritate: „ cum Nicænos quidem semper ab „ omni Ecclesia receptos, Sardicenses vero in Oriente ne notos quidem fuisse constet? id confirmare „ qui queant, qui tam acriter invehuntur in Græcos, quod in multo majori cum rationis specie sextæ Synodo trinodo tribuant CII. „ Canones Constantinopoli decennio „ post in cætu, cui plerique sextæ „ Synodi Patres intererant, conditos? qui in vetere Ecclesia receptum istud fuit, cum in antiquorum istorum Canonum collectione „ græca Sardicenses plane omissi sint, „ & in illa latina, quam Dionysius „ Exiguus ab hinc mille & centum „ annis contexuit Romæ, non cum „ Nicænis, aut proxime post illos, „ quasi unum corpus cum iis constituentes, sed longe infra illos, „ & post omnium, quæ hactenus „ habita fuerunt, Conciliorum Canones

,, nones rejecti sint? (a) Unde quo-
,, que accidit, ut, si ea fuit vete-
,, rum istorum Pontificum sententia,
,, dum eos allegant, prorsus de ea
,, tacent? Negabant constanter Afri-
,, cani Episcopi istos sibi a Roma-
,, nis objectos Canones in suis Co-
,, dicibus haberi. Cur ad hæc non
,, respondebant Romani, eos extare
,, in illa altera, quam Recentiores
,, nunc memorant, Canonum Nicæ-
,, norum parte, inter eos, qui Sar-
,, dicæ conditi sunt? Nonne id in
,, promptu erat, si Nicænam & Sar-
,, dicensem Synodos pro una eadem-
,, que habuere; maxime cum bonos
,, istos Africanæ Synodi Patres, ut
,, se ex his ambagibus expedirent,
,, de mittendo Constantinopolim &
,, Alexandriam censerunt deliberare?
,, Et tamen de ea re ne γρῦ qui-
,, dem. Si Canones Sardicenses pro
,, Concilii Nicæni parte habiti sunt,
,, mirandum est, tot Africanos Præ-
,, sules, tam doctos, adeoque pios,
,, Aurelium Alypium, Sanctumque
,, ipsum Augustinum, clarissimum
,, Africæ, totiusque Ecclesiæ jubar,
,, id prorsus latuisse. Sed portentum
,, plane est, eorum non misertos
,, tres Pontifices Romanos, eorum-
,, que legatos, nec dignatos uno,
,, aut altero verbo, quod perfacile
,, fuit, eos ex tam crassa, tamque
,, suis rebus noxia ignorantia libera-
,, re. Stet ergo immotum, Zosimum,
,, & Bonifacium Pontifices non alia
,, habuisse Canonum Nicænorum e-
,, xemplaria, quam nostra; neque
,, censuisse, Sardicæ decreta Conci-
,, lii Nicæni partem facere, sed scien-
,, ter, & prudenter Synodo Nicæ-
,, næ Canones Sardicenses supposuis-
,, se. Illi nimirum ex quadam vul-
,, gari sententia, & superioribus sæ-
,, culis recepta, & ab horum tem-
,, porum moribus minime aliena,
,, existimarint ad bona, & sancta
,, promovenda Consilia fas interdum
,, esse astu rem gerere, & fraudes
,, illas, quas pias dicunt, adhibere.
,, Cum ergo apud se constituissent,
,, sedis suæ supra omnes alias Pri-
,, matum magni esse momenti, & ad
,, rem Christianam plurimum con-
,, ferre; non est, quod miretur, si
,, ad jura illius confirmanda, paulu-
,, lum de via deflexerint, & Sardicam
,, pro Nicæa subjecerunt, rati futu-
,, rum ut, si voti compotes fierent,
,, rei ipsius utilitas, & secutura ex
,, eo commoda, facile sarcirent quic-
,, quid in re ipsa peccatum esset.
,, Neque enim accepta ab Africanis
,, Patribus repulsa obstitit, quomi-
,, nus aliquot post annis Leo Papa
,, ad Theodosium Imperatorem scri-
,, bens, eadem arte ipsum adorire-
,, tur, & Sardicensem pro vero Ca-
,, none Nicæno supponeret: Unde
,, fit, ut Valentinianus & Galla Pla-
,, cidia ad eumdem Theodosium scri-
,, bentes, extra dubium ponant, ve-
,, teres & Nicænos Canones de Fi-
,, de, & Præsulibus Ecclesiæ judi-
,, candi jus Pontifici Romano con-
,, cessisse, authore scilicet Leone, a
,, quo Sardicense decretum pro Ca-
,, none Nicæno acceperant. Atque
,, ita porro perfectum est in fraude
,, ista pia, ut maxime Christi ip-
,, sum parti persuasum sit, Nicæni
,, Concilii decreto Romanum Prima-
,, tum fuisse constitutum, itaut in
,, hac controversia maxima illius Sy-
,, nodi auctoritas pro hac sententia
pas-

(a) *Cod. can. Eccl. univ. Dionys. Exig.*

„ passim obtrudatur. Ignosce, benigne Lector, quod tandiu, & forsan ultra quam proposito meo conveniebat, te remoratus sim in hoc argumento. Id enim mihi magni omnino momenti esse visum est in hac controversia. Quid enim (inquient Protestantes) expectandum nobis est a reliquis Episcopis, & Doctoribus, quandoquidem Papæ duo, quos omnium Christianorum Pontifices & Coriphæos volunt, falsa supposuerunt? Et quidem in ipsis quinti sæculi initiis, quibus fides, & doctrinæ sinceritas, plurimum viguisse putantur; qui iis temporibus talia ausi sunt, quid non fecerunt in sequentibus: quibus scriptoribus pepercerunt, qui sacro Nicæni Concilii, illustrissimi post verbum Dei in Christianismo monumenti, nomine abuti non sunt veriti? qui in adeo augusti Cætus lare, in ore doctissimorum sanctissimorumque totius Africæ Episcoporum: immo sub magni ipsius Augustini oculis talia comminisci, & usurpare non dubitarunt, quid alias sibi non permiserunt? quid non inceptum, & susceptum est in longis densisque tenebris, quæ per tot post secuta sæcula in totam terram incubuerunt? mihi quidem certe nunc non est propositum, eos vel accusare. Hoc unum volo, non esse adeo proclive, quam prima fronte videatur, veras Patrum sententias ex iis scriptis intelligere, quæ sub eorum nominibus hodie circumferuntur; quandoquidem qui tanto tempore ante nos ea apud se habuerunt, sic se in iis gesserunt. „

Sed istam Dallæi argutationem, ob quam illa antecedentia partim ambigua, partim falsa, ab eo assuta sunt, dissolvit S. Innocentius I., Zosimi Decessor anno 401. supremum Pontificatum consecutus, atque ad summam laudem tum Latinorum, tum Græcorum testimoniis ornatus, qui primum Sardicensibus Canonibus *Nicænarum Regularum*, prout scilicet hæ in suis codicibus descriptæ erant, nomen posuit; ac deinceps istas ab illis distinxit.

Is enim anno 404. ad Toletanum Concilium epistolam scripsit, ut hoc vitiosas ordinationes, a nonnullis antea usurpatas, in posterum minime admitteret: ad quas repellendas Sardicensis Concilii Canonem decimum tertium sub *Nicænarum Regularum* mentionem ita Innocentius adduxit: (a) *Et quamvis Dilectioni vestræ, Fratres carissimi, Regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis: tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est provisa, inserendam putavi, ut secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quæ sunt prohibita, digeruntur: ne quispiam, qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat Clericatus admitti; neque qui causas post acceptum baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administraverint: neque de curialibus aliquem venire ad Ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel Sa-*

Oo 2

(a) S. Innoc. I. Epist. III. cap. VI. pag. 770. Tom. 1. Ep. R. Pont. Edit. Paris. 1721.

Sacerdotium, quod dicitur, sustinuerint, & editiones publicas celebraverint.

Sed & idem Pontifex anno sequenti 405. ad Præsbyteros, Diaconos, & universum Clerum, ac populum Constantinopolitanum, qui S. Joannem Chrysostomum, etsi a Theophilo Alexandrino Præsule injuste depositum, tamen ut suum Episcopum agnoscebant, litteras misit: quibus consolatus eos, & alterum Episcopum in Joannis viventis locum subrogari execratus, præcepit, solis Canonibus Nicænis parendum, aliosque Canones iis oppositos, quibus S. Joannis Chrysostomi hostes abutebantur, recipiendos non esse: qua occasione etiam Sardicenses Canones Nicænorum nomine intellectos, ab istis vero distinctos Innocentius sic voluit: (*a*) *quod autem ad Canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt, quos solos sectari, & agnoscere debet Ecclesia Catholica. Sin autem a quibusdam alii proferantur, qui a Nicænis Canonibus dissentiant, & ab Hæreticis compositi esse arguantur; hi ab Episcopis Catholicis rejiciuntur. Nam quæ ab Hæreticis sunt excogitata, ea catholicis regulis adjungere non licet. Quippe illi per contraria, & illicita placita perpetuo id agunt, ut Nicænorum Patrum sententiam labefactent. Hos igitur Canones nonsolum non sequendos, verum etiam una cum Hæreticis & schismaticis dogmatibus condemnandos esse dicimus, quemadmodum etiam in Sardicensi Synodo jam condemnati sunt ab Episcopis, qui nos præcesserunt.*

Hæc ipsa Zosimus post Innocentii obitum anno 417. Summus Pontifex factus in suo *Commonitorio*, cui litem Dallæus frustra infert, edocuit. Quum enim Urbanus Siccensis in Africa Episcopus Apiarium Præsbyterum, cujus Ordinationem irritam esse putabat, exauctorasset, & communione sua ejecisset; cumque hic interjecta appellatione ad Romanum Pontificem confugisset: tunc Zosimus appellationem jure amplexus, atque Apiario Ecclesiæ communionem impertitus; in Africam legatos, Faustinum Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Piceni, Episcopum, Philippum, & Azellum Præsbyteros misit, iisque Commonitorium dedit, quo Appellantis restitutionem urgerent. Quoniam vero inter hæc Zosimum de vita decedere, ac Bonifacium in supremum Pontificatum evehi contigit: idcirco isto Pontifice illius appellationis causam tractavit Carthaginensis Synodus sexta circa annum 419. coacta: in qua Daniel Notarius legit priorem laudati *Commonitorii* partem, cujus initio Zosimus septimum Concilii Sardicensis Canonem veluti Nicænum attulerat ex suo Codice; quo Innocentium, & Zosimum usos fuisse innuunt vetusti Codices postea recensendi; in quibus Nicæni, & Sardicenses Canones sub uno Nicæni Concilii nomine repræsentantur. Deinceps in ea Carthaginensi Synodo alteram memorati Commonitorii partem idem Notarius recitavit hoc modo: *dictum est ex Sardicensi Concilio*, cæt.: quam particulam exhibent Mscripta Parisiensia, & Vaticana antiquiora Dionysii Exigui, qui sexto sæculo clarus in sua Canonum collectione ipsius

[a] S. Innoc. 1. ibid. Epist. 7. num. 3. p. 405.

ipsius Carthaginensis Concilii acta, quæ primitus latine exarata fuerant, (*a*) scripsit: ex quo illam & Harduinus, Labbæus, aliique Conciliorum editores sumpserunt, (*b*) & in eo legi Tillemontius fatetur. Unde græca, aliaque Synodi Carthaginensis exemplaria, quæ illo enuntiato carent, manca videntur, utpote primariæ latinæ Dionysii scriptioni haud respondentia. Et vero illud Zosimi dictum consonat laudatis Innocentii I. cui proxime ille successit, Epistolis; in quibus hic Sardicenses Canones velut Nicænos, prout in relatis Codicibus legebantur, protulit; illos vero *Sardicensi Concilio* assignavit: & hoc ipsum indigitant Carthaginensis Synodi acta; in quibus cum posterior illa Commonitorii pars *recitaretur*, *S. Augustinus* Hipponensis Episcopus *dixit; & Hoc nos servaturos profitemur:* quod S. Doctor minime pronuntiasset, si non audivisset, illud *dictum* a *Sardicensi Concilio*, non a Nicæno, de quo adhuc dubitatio habebatur, prolatum fuisse: quia nunquam *professus* esset, Canonem dubium ab semet *servatum* iri. Quare cum idem Augustinus *salvam diligentiorem inquisitionem Nicæni Concilii* voluerit: id ad priorem Canonem, qui ex isto Concilio adductus fuerat, solummodo retulit: quibus de rebus Bonifacium Africani Præsules monuerunt; quia in litteris ad eundem Summum Pontificem datis sui Concilii *gesta* attulerunt, illisque Synodi actiones, (*c*) & singillatim Zosimi *Commonitorium* prout in ea *recitatum* expresse inculcarunt, ea nimirum ratione, quod & Zosimus Sardicenses Canones tanquam Nicænos, utique ex laudato suo Codice, adduceret, & tamen illos deinceps ut a *Sardicensi Concilio dictos* proponeret, & ita utrosque distingueret suo Commonitorio; quod in ipsius Synodi Carthaginensis acta hocce modo relatum est: „ Aurelius „ Episcopus dixit, (*d*) proferatur „ Commonitorium, quod Fratres, „ & Consacerdotes nostri in actis nuper allegaverunt, & cætera, quæ „ acta sunt, vel quæ agenda sunt, „ subsequantur: *Daniel Notarius recitavit Commonitorium:* Fratri Fau- „ stino, & Filiis Philippo, & Asel- „ lo presbyteris Zosimus Episcopus: „ Vobis commissa negotia non latent. Vos itaut nostra, immo quia „ nostra ibi in vobis præsentia est, „ cuncta peragite, maxime cum & „ hoc nostrum possitis habere mandatum, verba Canonum, quæ in „ pleniorem firmitatem huic Com- „ monitorio inseruimus: ita enim „ dixerunt dilectissimi Fratres in Con- „ cilio Nicæno, cum de Episcoporum appellatione decernerent: Pla- „ cuit autem, ut si Episcopus accu- „ satus fuerit, & indicaverint con- „ gregati Episcopi regionis ipsius, „ & de gradu suo dejecerint eum, „ & appellasse Episcopus videatur, „ & confugerit ad beatissimum Ec- „ clesiæ Romanæ Episcopum, & vo- „ luerit audiri, & justum putaverit, „ ut renovetur examen; scribere his „ Episcopis dignetur, qui in finitima,

---

[a] *Hard.* [b] *Till. tom.* 8. *nota* LX. *pag* 580. qui tamen ea verba alteri Commonitorii parti addita incassum contendit, cum ipsa antiqui Donysii Exigui Codices exhibeant; ac S. Augustinus inde asserendus eandem appellationem legitimam noverit utique ex Sardicensi Concilio.

[c] *Epist. Conc. Afric. ad Bonif.*

[d] *Concil. Carthag.* VI. *num.* 111. *& seq. pag.* 144. *& seq.*

„ ma, & propinqua Provincia sunt, „ ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum „ Romanum, ut e latere suo Præsbyterum mittat, erit in potestate „ Episcopi Romani, quid velit, & „ quid existimet. Et si decreverit „ mittendum esse, qui præsentes „ cum Episcopis judicent, habentes „ auctoritatem ejus, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si „ vero crediderit, sufficere Episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo „ consilio suo judicaverit. *De* appellationibus autem Clericorum, „ id est, minoris loci, est ipsius Synodi certa responsio. De qua re, „ quid acturi estis, credimus inserendum, quod taliter dictum est „ ex Sardicensi Concilio: (*a*) *Osius* „ Episcopus dixit: quid me adhuc „ moveat, reticere non debeo. Si „ Episcopus forte iracundus, (quod „ esse non debet), cito, aut aspere „ commoveatur adversus Presbyterum, aut Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat Communionem. Et ideo habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet Episcopos, ut causam suam „ audiant, & diligenter tractent; „ quia non oportet negari audientiam roganti; & ille Episcopus, „ qui aut juste, aut injuste eum ejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, aut probetur „ ejus, aut emendetur sententia.

„ *Cumque* recitaretur, Augustinus „ Ecclesiæ Hipponis Regiensis, legatus Provinciæ Numidiæ dixit: „ & Hoc Nos servaturos profitemur, „ salva diligentiori inquisitione Concilii Nicæni.

Ac deinceps eadem, quæ Primatus Apostolicus soli Romano Pontifici competens, Ecclesiastica antiquitas, & *Sardicense Concilium* docent, S. Augustinus *servavit*. Nam posteaquam illa Synodus Carthaginensis nonnullis Orientis Episcopis Legatos misisset petitum aliquod authenticum Nicæni primi Concilii exemplar; istique in exemplaribus, quæ ab iisdem Episcopis acceperunt, eos Sardicenses Canones minime reperissent; idque *Bonifacio* Pontifici, uti in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ narratur, notum fecissent: evenit, ut Antonius Fussalensis in Africa Episcopus a S. Augustino propositus, ac dehinc Ecclesiæ suæ administratione ob scelera a Provinciæ Numidiæ Episcopis privatus, ad ipsum Bonifacium appellarit; qui missa in Africam Epistola Antonium absolvit ea conditione, *si Ordinem rerum fideliter indicavit*. Quum autem Bonifacius mortem obiisset; & circa finem anni 422. Cœlestinus Summus Pontifex electus esset: Huic S. Augustinus sequenti anno scripsit Epistolam: in qua tum adfirmavit, *justam* esse *quærimoniam* Fussalensium, qui eodem tempore apud Cœlestinum expostularant, quod Augustinus Antonium adolescentem, nec satis probatum, ipsis præposuisset: tum *gestis*, quæ minus severum illorum Præsulum de Antonio *judicium* continebant, expositis, ait, quod

[a] *Ibid. pag.* 445.

quod ejusmodi lenitatis *existunt exempla*, *ipsa Sede Apostolica judicante*, vel *aliorum judicata firmante*, dum videlicet appellationis causa, quam hic S. Doctor pertractat, ageretur: tum etiam illud *Bonifacii* rescriptum a *Pastorali vigilique* ejus *cautela* profectum commendavit: demum pro ea re a Cœlestino *opem*, *misericordiam*, & *justitiam* enixe poposcit. Ergo Antonii Episcopi appellationem fuisse legitimam Augustinus agnovit & ex Primatu Apostolico Romani Pontificis *judicantis*, vel *firmantis aliorum* utique Episcoporum *judicata*, & ex illo prius adlegato Canone *Sardicensis Concilii*, cujus statuta se *servaturum professus* fuerat: & quia *Bonifacii*, ad quem illa Canonum controversia relata erat, cuique Afrorum Antistitum Legati Nicænæ Synodi exemplaria authentica declararant, rescriptum commendavit: & quoniam eatenus protulit *justam* Fussalensium *querimoniam*, quatenus illi ad Cælestinum Pontificem Summum de illius Episcopi electione provocarunt, atque hæc S. Doctor in eadem Epistola, quæ inter Epistolas genuinas, quæ S. Augustini stylum, ac temporum circumstantias ipsi congruentes omnino referunt, ab Eruditis Patribus Benedictinis numeratur, indicavit, Cælestino de pacifica ejus electione sic gratulatus: (a) „ primum gratulationem reddo meritis tuis, quod Te „ in illa Sede Dominus Deus noster sine ulla, sicut audivimus, „ plebis suæ discissione constituit. „ Deinde insinuo sanctitati tuæ, „ quæ sint circa nos, ut non solum „ orando pro nobis, verum etiam „ consulendo, & opitulando subvenias, in magna quippe tribulatione positus, hæc ad tuam Beatitudinem scripta direxi, quoniam „ volens prodesse quibusdam in nostra vicinitate membris Christi, „ magnam illis cladem improvidus „ & incautus ingessi. Fussala dicitur Hipponensi territorio confine: „ antea ibi nunquam Episcopus fuit, „ sed simul cum contigua sibi regione ad Parœciam Hipponensis „ Ecclesiæ pertinebat, paucos habebat illa terra Catholicos, cæteras „ plebes. Illic in magna multitudine hominum constitutas Donatistarum error miserabiliter obtinebat... Sed quod ab Hippone memoratum Castellum millibus quadraginta sejungitur..., Episcopum „ ibi ordinandum, constituendumque curavi.... Obtuli non petentibus, quemdam adolescentem Antonium, qui mecum tunc erat, „ in monasterio quidem a nobis a „ parvula ætate nutritum, sed præter Lectionis officium nullis Clericatus gradibus, & laboribus notum. At illi miseri, quod futurum fuerat, ignorantes, offerenti „ eum mihi obedientissime crediderunt. Quid plura? Factum est; „ esse illis Episcopus cœpit. Quid „ faciam? Nolo apud tuam venerationem gravare, quem nutriendum collegi... res quippe ad tantum scandalum venit, ut in eum „ hic apud nos causas dicerent, qui „ de illius Episcopatu suscipiendo, „ tanquam bene sibi consulentibus „ obtemperaverant nobis. In quibus „ causis cum stuprorum crimina capitalia, quæ non ab ipsis, quibus Epis-

(a) S. Aug. Epist. ccix. pag. 777. & sequ. Tom. II. Edit. Monach. Ord. S. Bened. Ven. an. 1729.

„ Episcopus erat, sed ab aliis quibusdam objecta fuerant, probari „ minime potuissent, atque ab iis, „ quæ invidiosissime jactabantur, „ videretur esse purgatus, tam miserandus factus est, & nobis & „ aliis, ut quidquid a Castellanis, „ & illius regionis hominibus de „ intolerabili dominatione, de rapinis & diversis oppressionibus & „ contritionibus objiciebatur, nequaquam nobis tale videbatur, „ ut propter hoc, vel propter simul cuncta congesta Episcopatu „ eum putaremus esse privandum, „ sed restituenda, quæ probarentur „ ablata. Denique sententias nostras „ sic temperavimus, ut salvo Episcopatu, non tamen omnino impunita relinquerentur, quæ non „ deberent vel eidem ipsi deinceps „ iterumque facienda, vel cæteris „ imitanda proponi. Honorem itaque integrum servavimus juveni „ corrigendo, sed corripiendo minuimus potestatem, ne scilicet eis „ præesset ulterius... Sed quid multis morer? Collabora, obsecro, „ nobiscum pietate, venerabilis Domine Beatissime & debita charitate venerande sancte Papa, & „ jube tibi, quæ directa sunt, omnia recitari. Vide Episcopatum „ qualiter gesserit: quemadmodum „ judicio nostro usque adeo consenserit, communione privatus, nisi „ prius Fussalensibus omnia reddentur, jam postea ut re acta æstimatis rebus solidos sepofuerit, ut „ ei communio redderetur: quam „ versuta suasione sanctum senem „ Primatem nostrum, gravissimum „ virum, ut ei cuncta crederet, „ quem velut omni modo inculpatum venerando Papa Bonifacio „ commendaret, induxerit: & cætera, quæ a me quid opus est recoli, cum memoratus venerabilis „ senex ad tuam sanctimoniam universa retulerit. In illis autem multiplicibus gestis, quibus de illo „ nostrum judicium continetur, magis deberem vereri, ne Tibi minus severe, quam oporteret, judicasse videamur, nisi scirem vos „ tam propensos ad misericordiam, „ ut non solum nobis, quia illi pepercimus, verum etiam ipsi existimetis esse parcendum. Sed ille „ quod a nobis aut benigne, aut „ remisse factum est, in præscriptionem vertere, atque usurpare conatur. Clamat, " aut in mea cathedra sedere debui, aut Episcopus esse non debui: *quasi nunc sedeat, nisi in sua. Propter hoc enim loca illa eidem dimissa, atque permissa sunt: in quibus & prius Episcopus erat, ne in alienam cathedram contra statuta Patrum translatus illicite diceretur, aut vero quisquam ita esse debet, sive severitatis, sive lenitatis exactor, ut qui nonnisi fuerint Episcopatus honore privandi, nullo modo in eis aliquid vindicetur, aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum, Episcopatus honore priventur. Existunt exempla, ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos... Quia ergo pastorali, vigilique cautela Beatissimus Papa Bonifacius in Epistola sua posuit, de Antonio loquens Episcopo, & ait*, si ordinem rerum nobis fideliter indicavit: „ accipe nunc ordinem rerum, quem „ ille in suo Libello reticuit; ac deinde quæ post ejus sanctæ memoriæ Viri in Africa lectas litteras „ gesta sunt, & subveni hominibus „ opem

„ opem tuam in Christi misericor-
„ dia multo avidius, quam ille,
„ poscentibus, a cujus inquietudine
„ desiderant liberari.... Ego Fussa-
„ lenses catholicos Filios in Christo
„ meos, & Antonium Episcopum
„ Filium in Christo meum benigni-
„ tati charitatis, Sanctitatis tuæ,
„ quia utrosque diligo, utrosque
„ commendo. Neque Fussalensibus
„ succenseo, quia justam de me que-
„ rimoniam ingerunt auribus tuis,
„ quod eis hominem nondum mi-
„ hi probatum, nondum saltem æta-
„ te firmatum, a quo sic affligeren-
„ tur, inflixi. Neque huic noceri
„ volo.... judicabo meipsum, ut
„ pareat mihi, qui judicaturus est
„ vivos, & mortuos. Si autem &
„ membra Christi, quæ in illa regio-
„ ne sunt, ab exitiabili timore, ac
„ tristitia recreaveris, & meam se-
„ nectutem hac misericordi Justitia
„ fueris consolatus, retribuet tibi,
„ & in præsenti, & in futura Vita,
„ bona pro bonis, qui per te no-
„ bis in ista tribulatione succurre-
„ rit, & qui te in illa Sede consti-
„ tuit. "

Sed hoc infra confirmabitur: nunc redeo ad confutationem objectorum Dallæi. Quod enim longe maximi momenti est: ipsi Patres non adsectibus indulgentes suis, neque adhibentes artificia; sed ad sententiæ communioris, nedum propriæ, studia incumbentes, veterum Canones ex Codicibus, quibus utebantur, adlegarunt, illosque suis auctoribus distincte adscripserunt, confusione sublata. Enimvero habemus exemplum insigne, quod Latinis Græci ante trecentos annos false objecerunt. Siquidem Romani Pontifices non contentionibus factis, sed adlata auctoritate *Apostolica*, qua aliorum *judicata* Præsuum aut *judicarant*, aut *firmaverant*, sibi vindicarunt totius Orbis Christiani ad se appellationes, S. Augustino Africano non contradicente, at comprobante Zosimi commonitorium, & Bonifacii rescriptum; quorum quidem Pontificum alter quosdam Canones tanquam Nicænos ex suo Codice primum attulit; sed deinceps illos a *Sardicensi Concilio dictos* fuisse commonuit. Verum priori adlegatione commoti quidam Episcopi Afri, Constantinopolim, Antiochiam, & Alexandriam sæculo quinto miserunt nonnullos, qui optima, & incorruptissima Nicæni I. Concilii exemplaria perquirerent: in quibus repertis iidem Canones neutiquam apparuere; quos neque sub Nicænorum titulo, sed sub Sardicensium nomine Dionysius Exiguus, merito Dignitatis Pontificiæ studiosissimus, exhibuit in sua Canonum collectione, quam sub Justiniani imperium adornavit, omissis Concilii I. Ephesini Œcumenici Canonibus, qui quamvis ab Orientali Ecclesia recepti fuerint, uti ex ejusdem Imperatoris *Novella* 131. colligitur: nihilominus in græco Canonum Codice, quo Dionysius utebatur, minime extiterunt; qui Codex proinde mutilus fuit, ob idque etiam Sardicenses Canones nequaquam continuit: quos si sub Nicænorum nomine haud retulit Dionysius, variis Codicibus usus: illos tamen sub hocce titulo antiqui Codices repræsentarunt; quorum unus Colbertinus vetustissimus (a) Sardicen-

(a) *Cod. Colber. nor.* 1868.

ses Canones præsefert tum ista inscriptione, *Nicænus Canon*; tum ea clausula, *expliciunt statuta Nicæni, fidei Metropolitani Bythiniæ, Paulino, & Juliano Consul.* XIII. *Kal. Jul.* Alter quoque Codex sæculo IX. exaratus, & in Morbacensi Monasterio Diœceseos Basileensis custoditus, primum exhibet Nicænos Canones ex interpretatione Ruffini; deinceps Sardicensem Canonem XIII. hocce præmisso Titulo: *incipit Capitulum de supra scriptis Canonibus, idest, Nicænis* CCCXVIII. *Episcoporum. Osius Episcopus dixit: Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de Foro, aut ex administratore postulatus fuerit*: & cætera. Parem eorumdem Canonum permixtionem fert vetus Bibliothecæ *San-germanensis* Codex, in quo legitur Canonum compilatio ex conciliorum, Romanorum Præsulum, Patrumque decretis conflata; in qua Nicænorum Canonum nomen Sardicensis constanter præseferunt: quod compilatorum Canonum exemplar ex Romano antiquiori Codice, qui Romanorum Pontificum constitutiones, & Nicænos Canones, ac Sardicensis sub Nicænorum titulo repræsentabat, exscriptum videtur. Quamvis igitur Nicæni Concilii, & Sardicensis Canones ex illo tempore, in quo conditi fuere, per multas manus transierint, & alii alios, alii eosdem Codices habuerint: tamen falsum est, neque in ullis aliis exemplaribus, seu veteribus, seu recentibus, Sardicenses Canones sub Nicænorum titulo exhiberi: quum titulum istum illis, contra quam Dallæus clamitat, aliquot vetusti exscriptores indiderint.

Quare cum Zosimum Synodo Carthaginensi Nicænos Canones *corruptos* misisse Marcus Ephesius in Concilio Florentino obtendisset, ut a proposito S. Basilii Magni loco, cujus depravationem Joannes Theologus supra commendatus urgebat, (*a*) declinaret: illi hic respondit, quod *beatus Athanasius in persecutione illa, quam passus est a Synodo Antiochena, scribens ad Felicem Papam, & Marcum, & Julium, & Liberium.., rogaverit eosdem Pontifices, ut, quoniam in Romana Curia Nicænæ Synodi acta sincera asservabantur, ad ipsum ea mitterent, quod per universum Orientem ab Arianis insequentibus corrupta essent: tunc Pontifices illi responderunt Athanasio, habere se quidem in Patriarchio Romano Acta integra græce, & latine sigillis obsignata, & subscriptionibus Patrum Nicænorum, & magna veneratione servari a se Acta, & Canones; sed nolle mittere ipsa Prototypa; quum satis esset, certa mitti capita, quæ tunc illi essent necessaria; propterea quod Athanasius ad Sedem Romanam provocaverat ex Antiochena Synodo. Hæretici autem objiciebant ex Synodi Antiochenæ sententia, non potuisse illum appellare Sedem Romanam. Ut igitur posset demonstrare, per Nicænos Canones facultate optima potuisse provocare; misit Liberius Athanasio Nicænos Canones, qui Ferrariæ numerati sunt: inter quos est Canon, Romanæ Ecclesiæ esse, ut ad eam fiant appellationes; ex quo Athanasius suam causam defendit.*

Intelligendum est autem, cum in ista

(a) *Joan. in Conc. Florent. sess.* 10. *pag.* 248. *Tom.* XVIII. *Labb. Edit. Ven.*

ista ratiocinatione quædam, non omnia, peccentur, verum videri, quod Nicæni I. Concilii acta scriptis mandata fuerint. Hoc namque (*a*) S. Athanasius nonnullis in locis, in quibus de illis actis locutus est, non inficiatur, sed innuit. Id vel constat non modo ex SS. Ambrosio, (*b*) atque Hieronymo, verum etiam ex Gelasio Cyziceno; (*c*) qui de illius Synodi actis hæc verba facit: *omnia, quæ in præclara illa, & S. Synodo dicta, facta, & constituta fuerant, jam pridem cum in paterna domo vitam degerem, legi, cum illa invenissem in antiquissimo libro, in membranis plane integris descripta, qui fuit Divini, & celebris Dalmatii, in illustri Cyzicenorum Metropoli, Sanctæ atque Catholicæ Ecclesiæ Archiepiscopi*. Et vero præsertim Formulæ Fidei *omnes* ejusdem Concilii Episcopos *subscripsisse*, S. Athanasius testatur. Ut igitur aliqua Nicænæ Synodi acta ab Arianis corrupta fuisse, permittamus: certe in universo Oriente omnia ab iisdem Hæreticis adulterata haud fuere; quandoquidem eadem integra in uno *antiquissimo libro* Gelasius Cyzicenus sexto sæculo invenit: quæ antea in Occidente apud Ambrosium, Hieronymum, & Romanos Pontifices iis coætaneos erant; itaut citatus Joannes Theologus in Florentina Synodo vere dixerit, quod Nicæni Concilii acta, & Canones a summis quarti sæculi Pontificibus *asservabantur*. Videas ergo non Joannis, sed Dallæi *mendacium*, qui ait quod prior „ Concilii Nicæni exemplar „ sub clavi diligenter clausum, & „ Sigillo munitum, Romæ asservatum contendit: „ non enim ea, sed ista Joannes protulit; *tunc Pontifices illi*, quarto scilicet sæculo existentes, *responderunt, habere se in Patriarchio Romano Acta integra græce, & latine Sigillis obsignata, & subscriptionibus Patrum Nicænorum*: quæ *Sigilla* Dallæus mendose vertit in *clavim Patriarchii Romani*, qua Joannem frustra aggrediatur; qui illa non de illius Patriarchii clavi, sed de *Patrum Nicænorum Sigillis*, quibus hi suæ celeberrimæ Synodi acta, & Canones obsignarunt, diserte pronuntiavit; qui ex eo, quod S. Athanasius ab Hæreticis Arianis injuste privatus Alexandrino Episcopatu ad Julium I. Romanum Pontificem (*d*) secundum *consuetudinem*, ut is Pontifex loquitur, confugisset, argumentatus est, S. Athanasium *per Nicænos Canones potuisse provocare*; eique *roganti R. Pontifices respondisse*, se *nolle mittere* Nicæni Concilii *prototypa*; *quum satis esset certa mitti capita & Nicænos Canones*: quos ex ipsis Nicænorum actorum *Prototypis* desumptos esse, Joannes nequaquam perhibuit, quemadmodum Dallæus obgannit. Solum autem ille collegit, eum *Canonem*, qui prædictam appellationem spectabat, *inter Nicænos Canones esse*: sub quorum titulo unus antiquissimus Codex laudatus, & alter, qui e Romano exemplari exscriptus videtur, repræsentat Canones Sardicenses: quorum codicum copia vetustis Romanis Præsulibus facta est; qui ne verbum quidem de ejusmodi codicibus fecerunt; sed cum Sardicenses Canones tanquam Nicæ-

[a] *S. Athan. de Synodis cap. 1. princip. de Syn. Nic. decr. cap. 1.*

(b) *S. Amb. in Epist. ad Vercell. Eccl. S. Hier. cont. Lucif. cap. 7. Tom. 2. pag.*

(c) *Gelas. Cyz.*

[d] *Julius I. Ep. I. pag. 386. Paris. Edit. an. 1721.*

nos adduxerint: cumque eos ita perantiqui Codices exhibeant: argumento invicto est, eorumdem Codicum Sigilla sæpe aperta fuisse, neque in Joannis cerebro fabricata, nec recondita, nec nata, nec mortua esse. Magna enim pars exscriptorum, qui Nicænum Concilium deinde subsecuti sunt, eundem titulum, quo Sardicenses Canones velut Nicæni adlegantur, non neglexere; & illo Romani Pontifices in quibusdam controversiis usi, tamen istos ab illis secreverunt. Quamquam igitur ea Athanasii rogatio, eaque Canonum missio dubiæ sunt; utpote quæ nullis idoneis testimoniis nitantur: attamen, Testibus Julio I., (a) & Liberato, S.Athanasius ad Romanum Præsulem vere confugit: & Joannes de illo appellationis Canone cum Nicænis mixto, prout ipsum aliqui Codices vetusti exhibebant, mendacium non protulit; sed propter eam mixtionem versatus est in puri facti errore: in quem tamen Zosimus minime raptus est; quippe qui ex suo incorrupto Codice Sardicenses Canones uti Nicænos primum adduxit, eumque adeo intemeratum voluit, ac dehinc illos a *Sardicensi Concilio dictos* pronuntiavit; & idcirco Nicænos Canones, sicut Græci minus bene contendebant, haudquaquam corrupit. Hinc posteaquam eum appellationis Canonem e Sardicensi Synodo adlegatum Bonifacius Pontifex intellexisset: nec iste, nec Cælestinus ejus successor in afferenda apud Africanos Episcopos Fide sua laborarunt; propterea quia alterius Pontificis decretum, quod de Antonio ad ipsum provocante fecerat, S. Augustinus amplexus, alterum summum Præsulem deprecatus est, ut ei causæ *misericordi justitia* subveniret: Nisi enim ex *Apostolica* Romani Pontificis auctoritate, exque *Sardicensi Concilio* justam ipsius Antonii appellationem Augustinus novisset; nulla apparet ratio, cur eandem appellationem, de qua Africani Præsules prius dubitarunt, & exinde ipsam in Nicæni Concilii Canonibus haud expressam viderunt, S. Doctor adprobarit, immo eam ipsam causam in Cælestini judicio prosecutus fuerit. Quocirca mirum non est, quod Bonifacius, & Cælestinus de eo Codice, qui Canones Sardicenses velut Nicænos ferebat, quique Joanni Theologo, homini, mille annis post nato, recte in mentem venit, siluerint: quodque Dallæi argumentum ex eo silentio petitum non invictum, sed irritum sit. Primus enim codex vetustissimus jam exhibitus, quinto sæculo extabat; quem isti duo Pontifices prætermierunt, non quo non extaret; sed quia præcipue Episcoporum appellationem ad Summum Pontificem, quam prior Canon a Zosimo productus ferebat, S. Augustinus agnovit, & comprobavit; qui cuidam Africanorum Epistolæ ad Cælestinum ipsum missæ, quæ eandem appellationem errore repudiabat, nequaquam subscripsit.

Quapropter in hisce Controversiis eruditus Christianus Lupus simili codice veteri modo usus: rationem, qua Zosimus Sardicenses Canones Nicænos appellaverit, dictat; & ait, (b) „ Zosimum rectissime, & „ simplicissime scripsisse ex more suorum.

(a) *Jul. cit. Liber in Brev. cap. 18.*

[b] *Chr. Lup. pag. 281. Tom. VIII. nov. Ven. Edit.*

„ rum Anteceſſorum. Scripſit ex Codice Romanæ Eccleſiæ, in quo „ primum caput habet hunc titulum: *Canones Nicæni Concilii ſub* „ *Titulis quadraginta ſex*. Et continet Nicænos, & Sardicenſes Canones ſub eadem conſequentia: „ & ipſos diſtribuit in quadraginta „ ſex numeros. Proinde Codicis auctor utriuſque Synodi Canones „ appellavit Nicænos: nec ſine fundamento. Etenim Conſtantinopolitanum Symbolum Eccleſia ſemper dixit Nicænum, etiam ejus „ auctrix Conſtantinopolitana Synodus dedit ipſi hunc titulum in „ primo ſuo Canone: *Trecentorum* „ *decem, & octo Patrum, qui Nicææ convenerunt; fidem non abrogari, ſed firmam, ac ſtabilem manere oportere*. Ipſam confirmavit, „ & auxit quibuſdam vocibus, quibus graſſantes tunc Hæreſes evertebantur. Hinc edixit ſuum ita „ adauctum Symbolum eſſe ac permanere Nicænum rectiſſime. Eodem modo Sardicenſes Canones „ non ſunt aliud, quam Nicænorum expoſitio, & confirmatio adverſus ſchiſmaticas Novitates Euſebianæ factionis: non ſunt aliud, „ quam quædam ad Nicænos additamenta... Et iſtud judicium ſecutus eſt auctor Codicis... itaque „ Zoſimus ex ipſo ſcripſit; ideoque ab „ omni dolo, aut arte eſt puriſſimus.„

Ecce alter Codex vetuſtus: cui licet novum titulum Paſchaſius Queſnellus (*a*) appoſuerit: tamen faſſus eſt, ipſius Codicis partes priores „ non ejuſdem ætatis eſſe; alias aliis „ antiquiores priorum temporum Codicem compoſuiſſe; & a Nicænæ, „ Sardicenſiſque Synodorum temporibus ad Innocentii, & Zoſimi „ ætatem circumſcriptas eſſe: „ quatenus ſcilicet in primo Codicis capitulo Nicæni, & Sardicenſes Canones ſub una *Nicæni Concilii* inſcriptione exhibentur, in Titulos quadraginta ſex diviſi, quod Paſchaſius recte expoſuit; quum præcedenti Codici vetuſtiſſimo, quem jam laudavimus, apte reſpondeat. Subſequentes igitur Theologi commonſtrant, Dallæum perperam dicere, quod illius prioris Codicis, vel hujus extantia ſit frivolum commendati Joannis commentum, atque mendacium.

Neque autem hujuſmodi adlegatio, ſi verum adamamus, proficit hilum. Nam generale Concilium Conſtantinopolitanum I. per S. Damaſi Romani Pontificis *litteras ad Imperatorem Theodoſium miſſas*, (*b*) ut ipſum in Epiſtola Synodica teſtificatur, anno 381. coactum, atque a Nicæna I. Synodo, quæ anno 325. congregata fuerat, quadraginta ſex annis remotum; attamen ſuum Canonem primum, quo præcipue *Pneumatomachorum hæreſim* protriverat, (*c*) *trecentorum decem octo Patrum*, qui *Nicææ convenerunt*, *fidem* optime appellavit; quæ appellatio & *Nicænæ fidei* appoſitio fuit, & plurimum valuit. Ergo prioris Codicis antea laudati auctor Concilii Sardicenſis, quod a Nicæno viginti duobus annis diſtitit, Canonibus bene Nicænorum nomen impoſuit; quia illi ut horum additamenta multum firmamenti habent, & roboris.

Nihil

[a] *Paſch. Queſ. in calce Operum S. Leonis magni recent Editorum.*

[b] *Vide hanc Epiſtolam apud Theodor. hiſtor. Eccl. lib. v. capit. IX. pag. 181. noviſſ. Taur. Edit.*

[c] *Concil. Conſtant. Can. I.*

Nihil igitur excusandis, ac defendendis Pontificibus iis, qui Sardicenses Canones velut Nicænos ex Codice suo attulerunt, eruditiores Orthodoxi comminiscuntur; neque causantur, a suismet Præsulibus summis, Nicænam, & Sardicensem Synodos, quarum prior annuente Sylvestro Pontifice Maximo, & altera Julio I. indicente, per Imperatorum litteras coactæ fuerunt, pro una, eademque habitas esse. Quamvis enim commendatus Innocentius I. Concilii Sardicensis decreta tanquam Nicæni Canones, sive ut hujus appositiones laudaverit: nihilo secius illud ab hocce apertius distinxit.

Neque etiam unum, & alterum Concilium ob causas admodum diversas in locis utique remotissimis, Nicææ, & Sardicæ, collecta sunt? nec utriusque Synodi Canones inter se authoritate plurimum differunt.

Etenim contra Dallæi opinationem Sardicensis Synodus in epistola Synodica, quæ apud Theodoreti historiam Ecclesiasticam legitur, dicit: „ Sancta Synodus Dei gratia „ Sardicæ congregata ex urbe Roma, (a) Hispania, Gallia, Italia, „ Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Mæsia, Dacia, „ Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaja, utraque „ Epiro, Thracia, Rhodopa, Asia, „ Caria, Bithynia, Hellesponto, „ Phrygia, Pisidia, Cappadocia, „ Ponto, altera Phrygia, Cilicia, „ Pamphylia, Lydia, insulis Cycladibus, Egypto, Thebalde, Lybia, „ Galatia, Palæstina, Arabia, omnibus ubique Episcopis, & comministris Catholicæ, & Apostolicæ „ Ecclesiæ, dilectis Fratribus in Domino salutem. Multa quidem frequenter ausi sunt Ariomanitæ adversus servos Dei, qui rectam fidem custodiunt. Nam quum adulterinam doctrinam supposuissent; „ orthodoxos persequi instituerunt. „ Tantopere denique adversus fidem „ insurrexerunt, ut id latere non „ potuerit aures Deo charissimorum „ Imperatorum. Itaque opitulante „ Dei gratia, ipsi quoque Deo charissimi Principes, nos ex diversis „ Provinciis, & Civitatibus congregarunt, & Sanctam hanc Synodum in Urbe Sardicensi celebrari „ permiserunt: quo tum omnis discordia tolleretur; tum omni κακο- „ πιςίας prava infidelitate expulsa „ sola in Christum pietas apud omnes ubique servaretur. Venerunt „ enim Episcopi ab Orientis partibus, ipsi quoque a plissimis Principibus impulsi, maxime ob ea, „ quæ identidem jactabant de dilectis Fratribus, & Comministris „ nostris, Athanasio scilicet Episcopo Alexandriæ, Marcello Episcopo Ancyræ Galatiæ, & Asclepa „ Gazæ.. Verum vocati, ut jam „ dixi, non adfuerunt; calumniam „ suam his quoque factis prodentes, „ & insidias, ac fraudes, quibus usi „ fuerant, hac tergiversatione tantum non proclamantes. Nam qui „ dictis suis confidunt: ii coram adversariis suis stare in judicio non „ verentur. Cum igitur vocati non „ adfuerint: nemini deinceps obscurum esse arbitramur, eos, etiamsi denuo fraudulenter agere „ ve-

(a) Concil. Sardic. in Ep. Syn. apud Theod. Hist. Eccl. Lib. 2. cap. 8 pag. 65. & seq. nov. Taurin. Edit.

„ velint; tamen cum nihil habeant; „ quod adversus Comministros nostros probare possunt, obtrectare „ quidem absentibus, præsentes autem devitare. Fugerunt enim, „ Fratres dilectissimi, non solum „ propter calumniam, verum etiam „ eo quod advenisse cernerent, qui „ ipsis diversa crimina objiciebant... „ Igitur quoniam silentio involvere, & indictas præterire non oportuit calumnias, Virginum denunciationes, exilia, Ecclesiarum eversiones, incendia, translationes „ a minoribus Civitatibus ad majores Ecclesias; &, quod omnium „ maximum est, infaustam Arii hæresim nunc adversus rectam fidem „ ab ipsis excitatam: idcirco dilectos quidem Fratres, & Collegas „ nostros, Athanasium Episcopum Alexandriæ, Marcellum Episcopum „ Ancyræ Galatiæ, & eos, qui cum „ illis Ministri sunt Domini, innocentes, ac puros esse pronuntiavimus scriptis litteris ad uniuscujusque Ecclesiam, ut cujusque Ecclesiæ populus innocentiam Episcopi sui cognoscat: & hunc quidem habeat, atque expectet Episcopum: eos vero, qui luporum „ instar in eorum Ecclesias invaserunt; Gregorium scilicet Alexandriæ, Basilium Ancyræ, & Quintianum Gazæ, nec Episcopos omnino, nec Christianos appellent; „ nec cum iis ullam habeant communionem: & neque litteras ab „ illis accipiant, neque ad illos scribant. Theodorum vero ab Heraclea Europæ, Narcissum a Neroniade Ciliciæ, Acacium a Cæsaræa Palæstinæ, Stephanum Antiochiæ, Ursacium a Singiduno Mœsiæ, & Valentem a Mursa Pannoniæ, Menophantum Ephesi, & „ Georgium Laodiceæ, etsi is metu perculsus ab Oriente non venit: tamen quia a Beato Alexandro Alexandriæ quondam Episcopo depositus est, & quoniam tum „ ipse, tum supradicti omnes Arii „ vesaniam sectantur; ob varia denique crimina, quæ illis objecta „ sunt, eos sancta Synodus communi omnium consensu ab Episcopatu deposuit. Eosque non solum „ Episcopos non esse decrevimus, „ sed ne Communione quidem Fidelium dignos esse habendos. Nam „ qui a Patris substantia, & Deitate Filium separant, & qui Verbum extraneum faciunt a Genitore; Hos ab Ecclesia Catholica separari convenit, & a Christianorum nomine alienos censeri. Sint „ igitur vobis, nobisque omnibus „ anathema, eo quod verbum veritatis adulteraverint.

Hinc S. Athanasius in Apologia 1. tum Synodi Sardicensis decretis, tum ejus epistola ad Ecclesiam Alexandrinam scripta seipsum ita defendit: *in magna Synodo Sardicæ* (a) *coacta .. Adversarii nostri quasi sycophantæ damnati, depositique sunt: iis vero, quæ nostri gratia decreta fuerunt, suffragati sunt plusquam trecenti Episcopi ex Provinciis Ægypti, Lybiæ, Pentapolis, Palestinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphyliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epirorum, Thessalonicæ, Crotæ, Dalmatiæ, Schytiæ Pannoniarum, Norici, Italiæ, Picæni, Thusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apu-*

(a) *S. Athan. in Apolog. contr. Arian. num.* 1. *pag.* 123. *Tom.* 1.

Apuliæ, *Bratiæ*, *Siciliæ*, *totius Africæ*, *Sardiniæ*, *Hispaniarum*, *Galliarum*, *Britanniarum*. *Horum sententiam testimonio suo comprobarunt Ursacius*, *& Valens*, *qui antea quidem me calumniati fuerunt; se postea resipuere... quæ igitur a tot, talibusque Episcopis explorata*, *Decreta*, *ac liquido declarata sunt*, *supervacaneum esse in judicium revocare*, *nemo non fatebitur..... scripseruntque omnibus ubique terrarum Episcopis*, *& ad singulas eorum Parœcias*, *qui injuriam passi fuerant*, *his verbis*: Sancta Synodus Dei gratia Sardicæ congregata.. Sanctæ Dei Ecclesiæ Alexandriæ salutem. " *Etiam vestræ pietatis litteris nondum acceptis*, *non ignotum id nobis*, *sed exploratum fuit*, *execrandæ Arianorum hæresis patronos multa*, *& atrocia in exitium potius animarum suarum*, *quam in Ecclesiam machinatos esse*. *Hæc enim fuit eorum ars*, *& vafrities*, *semperque hujus lethiferi propositi fuere*, *ut omnes ubique orthodoxos*, *qui Ecclesiæ Catholicæ doctrinam retinent a Patribus sibi traditam*, *sedibus pellere*, *& persequi satagant....Quamobrem pro sana fide potissimum decertare*, *necnon pro innocentia Athanasii Episcopi vestri*, *& Comministri nostri*.

Firmat ea omnia Socrates, dum Sardicensem Synodum pertractat hac descriptione: *Quum Imperatoris Litteræ*, *quibus*(a) *mandabat*, *ut Paulus*, *& Athanasius sedibus suis restituerentur*, *nihil proficerent*; *plebs enim continuis pene seditionibus agitabatur*: *Paulus*, *& Athanasius aliud Concilium convocari postulant*; *ut tum ipsorum negotium*, *tum Fidei causa Generalis Synodi sententia terminaretur*. *Docebantque*, *non aliam ob causam se fuisse depositos*, *quam ut fides subverteretur*. *Indicitur ergo iterum generale Concilium apud Sardicam*, *quæ urbs est Illyrici*, *idque de sententia duorum Imperatorum*, *quorum alter hoc per litteras flagitaverat*; *alter vero*, *Orientis scilicet Imperator*, *libenter adnuerat*. *Annus tunc agebatur undecimus ab obitu Parentis duorum Augustorum*: *Consules autem erant Ruffinus*, *& Eusebius*; *quo tempore Synodus Sardicæ congregata est*. *Et ex Occidentis quidem partibus trecenti circiter convenerunt Episcopi*, *ut scribit Athanasius*. *Ab Oriente vero septuaginta sex tantum adfuisse refert Sabinus*, *quorum e numero fuit Ischyras Mareoticæ Episcopus*, *quem illi ipsi*, *a quibus depositus erat Athanasius*, *Episcopum ejus regionis constituerant*. *Quippe alii infirmitatem corporis causati sunt*: *alii præstituti temporis angustiam prætenderunt*, *culpam omnem conferentes in Julium Romanæ Urbis Episcopum*: *cum tamen ab eo tempore*, *quo Synodus indicta fuerat*, *& quo Athanasius Synodi consessum expectans*, *Romæ commorabatur*, *anni*, *& sex mensium spatium intercessisset... Episcopi vero Sardicæ constituti...*, *Athanasii accusatores dignitate sua spoliarunt*: *&*, *confirmata Nicænæ Fidei formula*, ἀνομοίυ *quidem vocabulum rejecerunt*, *consubstantialis autem vocem apertius promulgarunt*.

Primum ex iis apparet, *flagitantibus Imperatoribus* ab Julio I. Romano Pontifice Sardicensem Synodum indictam esse; quam si is Pontifex non indixisset. Frustra aliqui Orientis Episcopi questi essent, quod

(a) *Socr. Lib. 2. Hist. Eccl. cap. 20. pag. 84.*

brevius, (a) quam parerat, veniendi tempus Julius præfixerit.

Deinceps ex iisdem constat, eadem generalia Concilia, Nicænum, & Sardicense, non ob causas admodum diversas convocata fuisse; sed istud habitum esse, non modo ut *omnis tolleretur* discordia illorum Episcoporum restitutione; verum ut hoc ipsum Concilium Nicænæ *fidei* causam prosequeretur, & *consubstantialis vocem apertius promulgaret*, *expulsa omni prava Ariomanitarum infidelitate*; qui cum *infaustam Arii hæresim excitarent*; simulque *orthodoxos* Præsules, qui *rectam fidem*, & *doctrinam a Patribus traditam custodiebant*, maxime *persequerentur*: idcirco generale Concilium Sardicæ celebratum non tantum *orthodoxorum Antistitum innocentiam* declaravit; sed quoque illos ipsos *Arianæ hæresis patronos*, qui Dei Filium a *Patris substantia*, *& Deitate separabant*, eumque a *Genitore extraneum* impie *faciebant*, sejunxit ab *Ecclesia Catholica*: quorum Ariomanitarum, eorumque hæresis damnatione Nicænam fidem Sardicensis Synodus *apertius* illustravit; ac propterea non causas oppido diversas, sed eandem Fidei causam, de qua Nicænum Concilium egerat, tractavit restituendo orthodoxos Episcopos sedibus suis: quam Fidei tractationem ipsa Synodus Sardicensis in Epistola Synodica, quæ etiam a S. Athanasio in Apologia 11. refertur, sine quæstionibus breviter posuit; quocirca alia longior Fidei expositio, quam allatis legitimis Epistolæ illius verbis inibi Theodoretus adjunxit, a quibusdam adjecta fuit absque Episcoporum consensu, qui Concilio interfuerant, quemadmodum S. Athanasius in Epistola ad Antiochenses testatur. Ea autem longioris expositionis suppositione haud obstante Synodus Sardicensis eandem Nicænæ Fidei causam prosecuta, Ariomanitarum hæresim brevi edisseruit, atque improbavit. Quæ improbatio uti damnationis, qua Nicænum Concilium *Arii hæresim* ejecit, additamentum est: ita Sardicenses Canones Nicænorum additiones rectissime existimantur. Ex quo colligitur, parvi numeri discrimen, quo ipsi Sardicenses superant Nicænos, his esse, & unius Canonis; eandem tamen causam fuisse, idemque fere argumentum.

Quid vero in magno Sardicensium Canonum pondere nutat Dallæus? qualis enim Nicæni I. Concilii auctoritas, talis ea Synodi Sardicensis perpetuo fuit; e qua tametsi aliquot Episcopi Ariomanitæ fugerunt, petieruntque Philippopolim, ut Conciliabulum agerent: nihilosecius in ipsa *plusquam trecenti Episcopi* remanserunt; e quibus multi erant Latini; plures Præsules *Ægypti*, *Lybiæ*, *Pentapolis*, *Arabiæ*, atque *Pamphiliæ*; ac non pauci græci Antistites *Isauriæ*, *Palæstinæ*, *Cypri*, *Galatiæ*, *Dardaniæ*, *Scythiæ*, *Lyciæ*, *Thraciæ*, *Mysiæ*, *& Epirorum*. Quarum complurium regionum Episcopi non fuere ii, qui biennio post Sardicensia decreta, uti Athanasius alibi denotat, subscripserunt: nam is S. Do-

(a) Samuel Basnagius anno 347. num. 1. pag. 744. Tom. II. annal. Polit. falso putat, Socratem loqui de Romana Synodo, quam Julius I. congregarat: cum Socrates ab hac Synodo, quam prius eo loco ponit, Sardicense Concilium, de quo postea illas aliquorum Episcoporum querimonias scribit, haud obscure secernat.

ctor recensitis eorumdem *plusquam trecentorum Episcoporum Provinciis*, continuo ista subjungit: *Horum sententiam testimonio suo comprobarunt Ursacius, & Valent.* atqui haud post Synodum, sed in eadem *magna Synodo hi sententiam* tulerunt: non igitur fuerunt illi, qui eadem Sardicensia decreta postmodum subsignarunt: sed qui generatim collecti *sententia* sua Athanasii *innocentiæ suffragati sunt* adversus recedentes *Ariomanitas*; qui aut hæretici Ariani, aut horum fautores, orthodoxam Synodum efficere haud poterant; quos vel Socrates a pluribus *Orientis* Episcopis, qui ipsi Concilio *adfuerunt*, secrevit; istosque eo in numero, quem *Athanasius* profert, inclusit; eamque Synodum *generalem* asseruit; quam etiam *universalem Sardicensem Synodum* Justinianus Imperator in quinto Concilio Œcumenico prædicavit. Ergo auctoritate Sardicenses Canones a Nicænis non differunt: quoniam utrique a generalibus Synodis orthodoxis conditi fuere, ac plerisque Occidentis, & *Orientis* Episcopis accepti semper ac noti.

At Dallæus false objicit, quod ne in Oriente quidem Sardicenses Canones notos fuisse constet. Constat enim oppositum; idque comprobant ii, qui in Græcos recentes, Decretis illis adversos, non acriter, sed juste invehuntur afferendo Palladium. Is quippe genere Galata, anno 368. natus, & postea clarus, in dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi narrat, Theophilum Alexandrinum Præsulem, cum Conciliabulo ad *Quercum* habito eundem Joannem Constantinopoli expulisset, ac dehinc audito ejus reditu Constantinopolitanam plebem illi faventem timuisset, commendasse se fugæ, & ut Chrysostomo nullus defensionis locus daretur, abusum esse Antiochenæ Synodi Canone XII. ab Arianis Episcopis structo; quem a Sardicensi Concilio, cujus Canones VII. & XVII. ipsi Antiocheno Canoni adversantur, abrogatum fuisse refert Palladius. Non igitur sero Concilii Trullani tempore, sed quarto, & quinto sæculo, in quibus Palladius nituit, Sardicenses Canones Ecclesiæ universæ accepti, atque in Oriente noti fuere: neque enim S. Joannis Chrysostomi hostibus, illique erranti Synodi Antiochenæ Canoni objici potuisset Concilii Sardicensis auctoritas; nisi hujusce sanctiones ab omni Ecclesia, & ab Orientali receptæ fuissent. Quamobrem ibi Palladius (a) cum Theodoro Romano Diacono sermonem hunc confert: *Leontius Ancyræ Galatiæ Episcopus conjunctus est cum Ammonio Episcopo Laodiceæ adustæ, & combustam reddidit Ecclesiam. Hi non solum victi Principum minis, sed e contrario imperialium donorum spe decepti, in secunda Synodo improbam Sententiam Acacio & Antioco suggerunt, ut valeret Theophili non juridicum judicium, & nullo modo locus daretur Joanni defensionis allegatione Canonum a Theophilo missorum, quos composuerant quadraginta de Arii communione: qui sic habent;* „ si quis Episcopus, „ aut Presbyter, jure, aut injuria „ depositus, per se redeat ad Eccle„ siam absque Synodo: talis non ha-

[a] *Pallad. in Dial. de vita S. Jo. Chrys. pag. 31. Tom. XIII. op. ejusdem Chrys. noviss. Ven. Edit.*

,, habeat amplius locum appellatio-
,, nis; sed absolute expellatur; & *hic quidem Canon ut impius ab impiis editus: ut in Sardicensi Concilio a Romanis, Italis, Illyriis, Macedonibus, atque Græcis abrogatus est; ut melius me ipse nosti, o magni nominis Theodoræ; quando Liberius, aut Julius Athanasium in communionem admisit, & Marcellum Galatam; propter quos & hic Canon factus erat.*

Hanc in rem addo, quod Innocentius I., cujus Epistolam ad Clerum Constantinopolitanum scriptam antea produximus, illum Antiochenum Canonem irritum esse eidem Clero ex *Concilio Sardicensi* monstrarit; cujus auctoritatem idem Pontifex propterea adprobavit, & attulit; quia ipsius Synodi Canones universa *Italorum*, & *Græcorum* Ecclesia noverat, atque receperat, sicuti Palladius significavit; itaque multo ante Trullanam Synodum anno 641. coactam, cui aliquot sexti Concilii generalis Patres intererant, Sardicenses Canones ab omni Occidentis, & Orientis Ecclesia recepti fuerunt: cui antiquiori susceptioni assensum præbuisse eadem Trullana Synodus putanda est, dum Sardicensia decreta, quorum aliqua jus appellationum Romano Pontifici afferunt, accepit, & commendavit. Proinde recentiores quidam Græci antiquioribus suis adversati, universalis Concilii Sardicensis Canones errore abjecerunt.

Græca autem vetus Canonum Collectio ea est, quam integram non fuisse, & talem a Dionysio Exiguo latine redditam, jam præmonstravimus; in qua neque Ephesini Concilii Œcumenici Canones post Constantinopolitanæ Synodi generalis II. decreta; neque adeo Sardicensia constituta post Nicæna sunt exarata; ideoque post Græcam Canonum collectionem Sardicenses Dionysius posuit; ex quo sicut nihil, quod Ephesinorum decretorum vim dirimat, ita nihil, quod Sardicensium Canonum Nicænis succedentium authoritatem infringat, colligi potest; maxime quod omissis Canonibus Ephesinis diminuta sit ea Græca collectio, diminuta Dionysii latina versio, diminuta Canonum collocatio. Quod si idem Dionysius adductam Innocentii I. Epistolam perspexisset: primum quidem Nicænos, deinceps Sardicenses Canones quasi unum corpus constituentes enarrasset; verumtamen utrosque distinxisset ex Innocentii eruditione.

Atque etiam Africanis Ecclesiis Sardicenses Canones olim notos fuisse, Gratus Episcopus Carthaginensis, qui eidem Sardicensi Synodo adfuerit, ostendit; dum in Carthaginensi Concilio, quod anno 348. celebratum est, Sardicenses Canones 18. & 19. memoravit his (a) verbis: *memini, in Sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si forte erit necessarium, petat a Collega suo, & per consensum habeat.*

Itaque Innocentius & Zosimus, ut diximus, de Sardicensibus Canonibus, quos Ecclesia omnis venerata est, prorsus non tacuerunt. Quidam vero Africani Præsules constanter duo inficiabantur: unum, quod in suis Nicæni Concilii, non Sardi-

 cen-

(a) *Concil. Carth. Can. v.*

censis, Codicibus Canones illi a Romanis objecti haberentur: alterum, quod vel Episcopi a Synodis, vel Presbyteri, Diaconi, & Clerici a suis Præsulibus damnati ad Romanum Pontificem appellare possent. Cur autem posteriorem negationem præsertim Episcopos spectantem Sanctus Augustinus, clarissimum Africæ, totiusque Ecclesiæ jubar, nusquam admisit? Immo in epistola 43. Donatistarum Antistitum, qui aliquos Episcopos Catholicos damnabant, impudentiæ obstitit, & affirmavit, Episcoporum (a) *integram causam* Pontifici *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, reservari*. Cur ad hæc, atque ad illa, quæ ex ejusdem Augustini epistola ad Cœlestinum 1. attulimus, Africani illi Episcopi non responderunt? portentum plane est, eos sui misertos haud esse; dum eo silentio se ipsi arguerunt, atque indicarunt, Augustini documenta, quæ commendavimus, contra Dallæi prætextus valuisse, ac non fuisse opus, ut Romani reponerent, Sardicenses Canones extare in aliquibus Nicænorum Codicibus; illosque haberi non ut horum partem, sed ut additionem. Jam enim illos *Concilii Sardicensis* esse, Zosimus dixerat, & dignatus fuerat illo uno, & altero verbo: quo perfacile fuit, eosdem ignorantia liberari potuisse, si Augustinum inspexissent; qui, legatis illis Alexandriam, & Constantinopolim missis, Bonifacii decretum, quod is de Antonio Episcopo ad se appellante tulerat, & inferiorum Ecclesiasticorum querimoniam, quæ apud Cœlestinum agebatur, laudavit; ob idque iidem Pontifices nihil amplius reposuere; qui quidem adducta antiqua exemplaria, quæ Sardicenses Canones sub una Nicæni Concilii inscriptione exhibebant, habuerunt: sed tamen fraude, quæ perperam pia vocatur, & bonis consiliis promovendis adhiberi non debet, usi non sunt; quoniam Augustinus posteriorem Synodi Sardicensis Canonem a Zosimo adlegatum deinceps admisit, & Bonifacii *cautelam*, ac Cœlestini *justitiam*, quæ fraudi, & astui adversantur, disertius commendavit. Hinc mirum, quantum Dallæus, atque etiam alii Novatores errant, dum objiciunt; quod ipsi Pontifices, cum Sedis suæ supra omnes alias Primatum magni esse momenti, & ad rem Christianam plurimum conferre apud se constituissent, ad hæc jura confirmanda paululum de via deflexerunt, & Sardicam pro Nicæa subjecerunt, rati futurum, ut, si voti compotes fierent, rei ipsius utilitas farciret quicquid in re ipsa peccatum esset. Qua in oppositione adversarii ideo peccant, quia Augustinus adversus Donatistas apertissime testatus est, quod in *Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*; qui proinde in Ecclesia *semper* magni fuit momenti, & ad rem Christianam contra Hæreticos provehendam plurimum contulit: Non igitur hunc *Principatum*, qui a Christo Domino *Apostolicam Cathedram* construente fundatus fuerat, illi Pontifices apud se constituerunt; quasi antea idem Primatus in summis Pontificibus non insedisset, & postea ex illius appellationis defensione eis futurus fuisset

[a] S. *Aug. ep.* 43. *pag.* 91. *Tom.* 11.

ſet, ac ſic illi voti compotes fierent: ſed in iiſdem *ſemper* inhæſit *Apoſtolicus Principatus*. Nec proinde ex eo capite, ſed ex Codice ſuo Sardicenſes Canones ceu Nicænos ipſi Pontifices adduxerunt; qui neque ad jura ſua confirmanda paululum deflexerunt de via, nec Nicæam pro Sardica ſubjecerunt, cum utroſque Canones exinde diſtinxerint. Neque tum accepta ab aliquibus Epiſcopis Africanis repulſa, qua appellationum jus Romano Pontifici negabant, obſtitit, quominus Auguſtinus ejus erroris contrarium Cœleſtino Pontifici fateretur. Non itaque ſunt rati Pontifices, fore, ut rei ipſius utilitas, & ſecutura commoda ſarcirent quidquid in re ipſa peccatum eſſet: quippe in qua appellationis cauſa Romani Pontifices haudquaquam peccarunt; at ex Auguſtino *aliorum* Præſulum judicia jure *Apoſtolicæ Sedis* aut *judicarunt*, aut reapſe *firmarunt*.

Cum autem S. Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus a notho poſteriori Epheſino Concilio inique damnatus, ad S. Leonem Pontificem Maximum appellaſſet: hanc appellationem legitimam eſſe S. Leo ex Principatu Epiſcopatus ſui, ex Conciliis, exque ſexto Nicænæ Synodi Canone deduxit. Ob idque Theodoſio juniori aliud Generale Concilium celebrandum eſſe ſic ſcripſit: (*a*) *Olim, & ab initio in Conciliis celebratis tantam nos percepimus a beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, ut authoritatem habeamus ad veritatem pro noſtra pace defendendam: quatenus nulli liceat ſic eam munitam in aliquo commovere ... cui Sacramento quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lacrymis ſupplicant Sacerdotes, ut, quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget; ne ultra aliquid ſit vel in Fide dubium, vel in charitate diviſum ... Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur.*

Hinc ad eundem Theodoſium Valentinianus (*b*) Auguſtus epiſtolam miſit; in qua ait, *a Romano Epiſcopo, & ab aliis .. rogatus ſum ſcribere veſtræ manſuetudini de Fide, quæ cum ſit conſervatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos a noſtris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & Dignitatem propriæ venerationis beato Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare: quatenus beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes Antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide, & Sacerdotibus judicare, Domine ſacratiſſime Pater, & venerabilis Imperator. Hujus enim rei gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ orta eſt de Fide. Huic itaque poſtulanti, & conjuranti ſalutem noſtram communem annuere non negavi.*

Tum

(a) *S. Leo epiſt. 40. ad Theod. Aug. pag. 174. & ſeq. Tom. III. cit.*

[b] *Valent. Aug. epiſt. ad Theod. eodem in tomo 3. epiſt. 1. Leon. pag. 200. & ſeq.*

Tum Galla Placidia (a) Augusta ad ipsum Theodosium de eadem re scripsit, quod „non... modicum detri-„ mentum est... ut fides, quæ tan-„ tis temporibus regulariter custodi-„ ta est a Sacratissimo Patre nostro „ Constantino, qui primus imperio „ splenduit Christianus, perturbata „ sit ad arbitrium unius hominis, „ qui in Synodo Ephesinæ civitatis „ odium, & contentiones potius „ exercuisse narratur., militum præ-„ sentia, & metu impetens Constan-„ tinopolitanæ Civitatis Episcopum „ Flavianum, eo quod libellum ad „ Apostolicam Sedem miserit; & ad „ omnes Episcopos harum partium, „ per eos, qui directi fuerunt ad „ Concilium a Reverendissimo Epi-„ scopo Romæ, qui secundum defi-„ nitiones Nicæni Concilii consueti „ sunt interesse, Domine Sacratis-„ sime Fili, venerabilis Imperator. „ Hac itaque gratia tua mansuetu-„ do tantis turbis resistens, verita-„ tem Fidei Catholicæ Religionis „ immaculatam servari præcipiat, „ ut secundum formam, & defini-„ tionem Apostolicæ Sedis, quam „ & nos tanquam præcellentem si-„ militer veneramur, in statu Sa-„ cerdotii illæso manente, per om-„ nia Flaviano, ad Concilii, & Apo-„ stolicæ Sedis judicium transmitta-„ tur, in qua primus ille, qui Cæ-„ lestes claves dignus fuit accipere, „ Principatum Episcopatus ordina-„ vit, quando scilicet decet nos huic „ maximæ civitati, quæ Domina „ omnium est civitatum, in omni-„ bus reverentiam conservare. Dili-„ gentius autem etiam in hoc pro-„ videre, ne quod priscis tempori-„ bus nostra generatio custodivit, „ sub nobis imminui videatur.

Tandem in Chalcedonensis Concilii circa annum 451. celebrati actione XVI. quum Patriarchæ dignitas Constantinopolitano Episcopo attribuenda tractaretur, deque ea differeretur: tum sextus Nicænus Canon, qui Apostolicarum Ecclesiarum privilegia declarabat, ex græco Paschasini Episcopi, & *Vicarii Sedis Apostolicæ* scripto lectus fuit: qui quamvis quædam verba Romani Pontificis *Primatum* exprimentia, at in Ecclesiæ Constantinopolitanæ volumine, in quo Canones exarati erant, non extantia, contineret: nihilominus ab ipsa Synodo generali receptus est; cujus Synodi Patres si illa *Primatus* verba ab aliquo addita Canoni Nicæno agnovissent: utique repudiassent; quæ tamen quum ab ipsis adprobata fuerint, idcirco a Nicæno Concilio producta, & alteri Canonum Codici, in quo eadem non legebantur; & e quo Dionysius Exiguus postea suam latinam hausit versionem, anteponenda creduntur, utpote a Patribus Nicænæ Synodo supparibus, & Dionysio Exiguo, qui anno 525. florebat, antiquioribus sic repræsentata: „ (b) *trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum Canon sextus*: ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα: „ Ecclesia Romæ semper „ habuit Primatum. Teneat autem „ & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potesta-„ tem; quoniam & Romano Epi-„ scopo hæc est consuetudo. Simi-„ liter autem & qui in Antiochia con-

[a] *Gall. Plac. epist. ad Theod. ibid. pag.* 204.
(b) *Conc. Chalc. act. XVI. pag.* 1747. *Tom. IV. Concil. Labb.*

„ constitutus est, & in cæteris Provinciis, Primatus habeant Ecclesiæ civitatum ampliorum.... (a) „ Judices dixerunt, ex his quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum secundum Canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari: oportet autem sanctissimum Archiepiscopum regiæ Constantinopolis, novæ Romæ eisdem Primatibus honoris & ipsum dignum esse, &c. „ Reverendissimi Episcopi clamaverunt: hæc justa sententia: hæc omnes dicimus.... judices dixerunt: quod interlocuti sumus, tota Synodus adprobavit. „

Cuncta hæc satis sunt ad tollendas Dallæi criminationes, quibus Leonem Magnum injuste adoritur; qui Pontifex Summus *auctoritatem* suam, qua adversus Eutychis hæresim Fidei *veritatem defenderet*, Theodosio primitus attulit ex *Conciliis* ab *initio*, & *olim celebratis*, nimirum ex Hierosolymitano, cui *beatissimus Petrus Apostolorum Princeps* præfuit; ex Romano, in quo S. Dionysius Supremus Antistes Dionysii Alexandrini Episcopi causam judicavit; ex Nicæno, quod Romani Pontificis *Primatum* a Sacris Evangeliis, & Patribus traditum novit; exque Sardicensi, quod appellationum jus eidem Pontifici adscripsit: quæ *Concilia* ante *celebrata*, & a Leone adducta Romani Antistitis principatum, & appellationem, de quibus Leo agebat, monstrarunt. Et quidem Pentapolitani quidam Episcopi Dionysium Alexandrinum Præsulem tanquam de Fide minus bene sentientem ad Dionysium Pontificem Summum, uti S. Athanasius refert, detulerunt: qui nisi in Romano Pontifice inesse Primatum judicandi de fide, & Præsulibus credidissent, ad eum minime provocassent. Is ergo jure summo in Dionysii Alexandrini caussam ingressus, dijudicata ejus innocentia, ipsum absolvit; id quod supremæ indicia auctoritatis ostendit; quam & Nicænum Concilium, & Sardicense Romano Præsuli non instituerunt quidem, sed confirmarunt. Itaque ex *Conciliis*, utique Romano, ac Sardicensi Sanctus Leo Flaviani appellationem ad se rectius factam præsignificans, ait, *post* ipsam aliud quiddam *postulari*; ut scilicet hic Pontifex eadem *auctoritate* qua *Apostolorum Princeps* fruitus est, uteretur ad Fidei *veritatem defendendam*; *ne ultra aliquid* esset *vel in fide dubium*, *vel in charitate divisum*: quæ res ei, quod magnus Ecclesiæ Doctor Epistolæ initio proposuit, apte respondet. Quum igitur illud ipsum propositum requiri ex *Canonibus Nicææ habitis* Leo nuntiavit: hoc effato Nicænos Canones, quintum, & sextum, intellexit; in quibus quidem appellationis nihil exprimitur; at *Episcoporum sententiæ examinandæ*, & Romani Antistitis *Primatus*, Chalcedonensi Synodo teste, ponuntur. Quocirca Leo Magnus ex Sardicensi Concilio legitimam Flaviani appellationem, exque Nicæno *Primatum* suum *judicandi* de Fidei *veritate*, & Præsulibus vicit; quia ex Nicæno non appellationem ipsam aliunde probatam, sed *post* istam illud eruit *postulatum*. Utrum-

[a] *Ib. pag.* 1755.

Utrumque autem Concilium, & Nicænum, & Sardicense, *Conciliorum* nomine vel a Leone intellectum esse, eædem Valentiniani Augusti litteræ, quas Dallæus immerito obtrudit, comprobant; in quibus illi dixit, quod *secundum solemnitatem Conciliorum Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit*: quod non ad unam Synodum, sed ad plura *Concilia*, & quidem *solemnia*, publica, generalia, ac Romani Pontificis Primatum, atque appellationum jus confirmantia, qualia Concilia Nicænum, & Sardicense fuerant, referendum est. Itaque Leo inconsultam quorumdam Africanorum Præsulum repulsam, quam S. Augustinus minime admiserat, implicite repulit, dum Theodosium Imperatorem arte adortus non est: quandoquidem Sardicensem Canonem pro Nicæno haud supposuit; sed verum Nicænum Canonem sextum adlegavit, a quo Romani Pontificis *Primatus* declarabatur; ob quem a notho Concilio Ephesino Flavianus ad R. Pontificem eo appellavit, quia ex hoc ipso, quod Romanus Pontifex cæteris omnibus Episcopis est jurisdictionis *Primatu* superior; efficitur, ut ad ipsum Episcopi, cum injuriam patiuntur, appellare queant: Nam ab inferiorum Judicum sententia ad supremum Judicem provocari posse, juris æquitas ostendit, & dictitat. Ita Leo *Primatum* suum ex Sexto Nicæno Canone, in quo eum Calcedonensis Synodi Patres legerunt, Theodosio produxit; ut ex illo Flaviani appellationem legitimam esse monstraret: quam etiam ex Sardicensi Synodo ipse Leo, & Valentinianus innuerunt, *Concilia* laudantes. Ex quo fit, ut Valentinianus, & Galla Placidia ad Theodosium scribentes, extra dubium posuerint, veteribus Nicænis, & Sardicensibus Canonibus Romani Pontificis jus, ac Primatum judicandi de Fide, ac Præsulibus, non præstitutum, sed firmatum fuisse: quam doctrinam quum a Leone Magno, uti adversarius affirmat, illi Augusti perceperint; ac præcipue Valentinianus *Conciliorum Solemnitatem* adduxerit: certe ab eo Pontifice decretum Sardicense pro Nicæno iidem neutiquam accepere; quoniam, uti ajebam, non unum, sed plura *Concilia*, atque adeo Nicænum, & Sardicense, Leo, & Valentinianus adlegarunt; ac non ita utrumque Concilium unius nomine confuderunt. Porro autem nemo Dallæo ignoscet ajenti, quod „ perfectum est in ista „ fraude pia, ut maximæ Christia„ norum parti persuasum sit, „ Nicæni Concilii decreto Romanum Primatum fuisse constitutum. Doceat enim errantem Dallæum Augusta mulier Galla Placidia ab ipso producta, in *Primo illo*, *qui cælestes claves dignus fuit accipere*, *Principatum Episcopatus* utique a Domino *ordinatum* esse. Doceat etiam hoc illum censorem Valentinianus, quod *Romanæ Civitatis Episcopo Principatum Sacerdotii super omnes Antiquitas contulit*, ut de *Fide*, *ac Sacerdotibus judicare locum habeat ac facultatem*: qui proinde *Principatus Romani Episcopi* in eo, quod *Primus* Petrus *claves acceperit* a Christo Jesu, non a Nicæna Synodo, non a Sardicensi, non ab alia, constitutus fuit: quem & eidem ex Evangelio, & traditione *antiquitas* certe Ecclesiastica *contulit*, quemadmodum iidem Augusti declararunt authore Leone; qui propterea nulla arte, nullo dolo, nulla fraude, quæ pia mi-

minus recte nuncupatur, idem edocuit; sed sacris litteris, & antiquitate Ecclesiastica ipsum Romani Præsulis Primatum a Domino institutum probavit; quo perfectum est, ut & Augustis commendatis, & maximæ Christianorum Catholicorum parti persuasum fuerit, Christi Domini, non Nicæni Concilii, decreto constitutum esse, ut Romanus Pontifex *principatum* habeat, & jus de Fide, & Episcopis judicandi. Hunc ergo *Primatum* sextus Nicænus Canon haud instituit, sed confirmavit; quam solius confirmationis sententiam ex maxima Nicæni Concilii authoritate nec Leo, nec ullus alius artificiose obtrusit; quoniam vere in sexto Nicæno Canone eundem *Romani* Episcopi *Primatum* reperiri, atque exprimi, *tota* Chalcedonensis generalis *Synodus* testata est, & ita *adprobavit*, ut Dallæi argumentum, quod ultra, quam decebat, intorsit, non magnum, sed imbecille sit hacce in controversia, ac nullius momenti esse monstretur.

Quid tandem de laudatis Præsulibus Summis, quos omnium Christianorum Pontifices, & Coryphæos ex *Evangelio*, & *antiquitate* Ecclesiastica Catholici credunt, ac de Protestantibus Hæreticis, qui illorum Pontificum Primatum hæresi inficiantur, amplius dicam? Innocentius I. Sanctissimus, ac doctissimus Pontifex, florente S. Augustino, & in ipsis quinti seculi initiis, quibus Fides Catholica, & doctrinæ sinceritas plurimum viguisse evincuntur, Sardicenses Canones uti Nicænos ex suo Codice attulit, ac deinceps *Sardicensis Concilii* decreta a Nicænis secrevit, ac sic falsa nequaquam supposuit; quem Zosimus, ut vicimus, consectatus est. Quid a reliquis Episcopis, ac Doctoribus, qui sequentibus temporibus floruere, expectandum fuit? quid fecerunt? sane pepercerunt scriptoribus; præsertim cum Nicæni Concilii nomine abusi non fuerint, sed Canones, quos Zosimus laudarat, ex Sardicensi Concilio adlegarint: etenim (*a*) Hincmarus nono sæculo Rhemensis Episcopus in litteris ad Joannem VIII. Pontificem fatetur, id, quod monuit *de Appellatione... Papa Zosimus..., in Concilio Sardicensi contineri*. Nihil ergo commenti in posterioribus sæculis, quæ tenebris omnino involuta non fuere, susceptum fuit. Tum Hæreticus Samuel Basnagius de Zosimo dicit. (*b*) „ Quæ de Clericorum appellationibus suo commonitorio inseruerat; ea verbis expressis Sardicensi Concilio vindicavit. „ Zosimus itaque nihil alias sibi permisit, dum alium Canonem ex isto Concilio attulit sub Africanorum Præsulum, & magni Augustini oculis, qui utrumque Canonem est executus. Illi ergo Pontifices & excusandi sunt, quod eos Canones ut Nicænos e suo Codice attulerint, & laudandi, quod ipsos a *Sardicensi Concilio dictos*, atque ita a Nicænis secretos monuerint; quo proclive est, veras utriusque Concilii sententias distinguere, ac mente complecti.

(*a*) *Hincm. Epist.* 47. c. 10.
(*b*) *Basnag. anno* 419. *num.* 2. *pag.* 294. *Tomi* III. *Annal. Polit.*

§. VII.

Plura alia, quæ Dallæus mixtim objicit, retunduntur.

DEin censor confugit ad plures mixtas argutationes, & intoleranda verba infarcit; quæ cum invidiosa sint; etiam invidiosiora, non rationi convenientia, faciunt; quorum aliqua proinde mittemus sectando magnum (a) Augustinum, qui Pelagium supernæ Dei gratiæ hostem expugnaturus, *omittamus*, inquit, *ejus invidiosas... querelas*.

Dallæus igitur inibi addit, quod Hadrianus Pontifex (b) „ ut suam de „ Sabbati jejunio traditionem Egilæ „ Episcopo, & cæteris Hispanis commendaret, non dubitavit Ambrosii auctoritate abuti. Jubet enim, „ Egilam B. Augustini opuscula legere, (c) *ubi*, inquit, *egregium* „ *Prædicatorem, atque Doctorem suum* „ *S. Ambrosium meminit pro jejunio* „ *Sabbati Sanctam Catholicam Romanam nimis laudasse Ecclesiam*. Nec „ vero longe falsissimum est. Extat „ enim Augustini ad Casulanum Epistola; ad quam respicit hoc loco „ Hadrianus; unde discere licet, „ Ambrosium neque Romanam, quod „ Sabbato jejunaret, neque suam „ Mediolanensem, quod Sabbato „ non jejunaret, laudasse Ecclesiam; „ sed utrumque ritum nullo plane „ discrimine habuisse, observandumque diversimode censuisse pro more Ecclesiæ, in qua versamur: „ *quando hic sum* (inquit, id est, „ Mediolani) *non jejuno Sabbato*; „ *quando Romæ sum, jejuno Sabbato; & ad quamcumque Ecclesiam* „ *veneritis, ejus morem servate: si* „ *pati scandalum non vultis, aut facere*. Non plura apud Augustinum „ Ambrosius. Hoccine, quæso, illud est... Hadriani.., *pro jejunio* „ *Sabbati Ecclesiam Romanam nimis* „ *laudare?* Ipse vero Ambrosium si „ probat, cur non sequitur? Cur „ Egilam non Romæ, sed in Hispania consistentem Sabbato jejunare „ jubet? Vides, quam ingeniosus „ fuerit Hadrianus, qui quem ritum „ se ferre, eique se pro loci, ac „ temporis ratione accommodare ait „ Ambrosius; eum sic laudatum fingit, quasi necessario, ac ubique „ retinendum censuisset. Augustinus „ ipse Ambrosii quidem prudentiam, atque charitatem probat, „ ac sequitur; non obscure tamen „ significat, se putasse cæterorum „ Christianorum, qui Sabbato prandebant, probabiliorem, quam Romanorum, qui jejunabant, morem fuisse. Sic etiam videmus „ paribus animorum suorum studiis „ obsecutos peccasse Concilii V. (d) „ Patres; apud quos lecta, & totius „ Synodi silentio probata fuit supposititia Theodoreti de morte Cyrilli Epistola, tam evidenter falsa, „ ut, qui Conciliorum Generalium „ Editioni Romæ præfuerint, eam „ falsitatis arguerint, & convicerint. „ Ejusdem furfuris est allata in Concilio VII. (e) totaque inserta sub nomine Athanasii, de Miraculo ab „ imagine Christi patrato in Urbe „ Beryto; narratio, adeo quidem „ inepta, & indigna lepore & nitore magni illius ingenii, ut sensu

(a) *S. Aug. de Grat. Chr. cap.* XXX. *num.* 31. *pag.* 244. *Tom.* X.

[b] *Dall. ib. cap.* 3. *pag.* 22. *ac sequ.*

[c] *Hadr. Ep.* 45.

[d] *Conc.* V. *act.* V.

[e] *Conc.* 7. *act.* 4.

„ ſu communi carere oporteat, qui „ eam illi tribuunt. Unde factum „ videmus, ut neque exemplo, ne- „ que auctoritate Concilii deterreri „ potuerint vel Nannius, vel Bel- „ larminus, vel Poſſevinus, quomi- „ nus eam Athanaſii eſſe negaret, „ alterius eſſe confiteretur. Eodem „ loco pono Donationis Conſtanti- „ ni decantatiſſimum inſtrumentum; „ quod tamdiu authenticum, vali- „ diſſimumque habitum fuit, adeo „ ut in decreto inſertum, & ab E- „ piſcopo Eugubino, adverſus Lau- „ rentii Vallæ objectiones, pertina- „ ciſſime defenſum fuerit. At qui „ jam donationem ipſam ratam vo- „ lunt, & tuentur: inſtrumentum „ iſtud tanquam futile & ſuppoſiti- „ tium repudiant. Non ſunt me- „ liores illi Antiochenæ vetuſtiſſi- „ mæ, & (a) Apoſtolicæ (ſi licet cre- „ dere) Synodi Canones, quos ex „ Turriani ſcriniis depromptos Ba- „ ronius fuſe memoravit, & Binius „ in Eccleſiaſticos Conciliorum to- „ mos (in quibus nullum hactenus „ locum invenerant) referre non du- „ bitavit. In hoc quoque cenſu col- „ locanda ſunt Sylveſtri P. R. Acta „ fabulis, & mendaciis referta, quo- „ rum partem aliquam detegit, ac „ coarguit Baronius. (b) Quod vero ip- „ ſe ariolatur, hæc falſa addita fuiſ- „ ſe aliena manu, ſeque ſperare „ ſpuria a Veris poſſe ſecernere: „ cauſæ Papalis ſtudio de more ab- „ reptus nos ludit. Nam & illa, „ quæ de Euſebio Auctore in Præ- „ fatione habentur, quæque ipſe ad- „ dita eſſe vult: jam ante octingen- „ tos annos in his actis plane, ut „ hodie, extitiſſe ſatis docet Ra-

„ thramni Corbejenſis auctoritas, „ qui duo quædam loca ex his a- „ ctis, libro quarto adverſus oppo- „ ſita Græcorum nondum edito, „ deſcribens, utrumque diſerte citat „ *ex Euſebio Hiſtoriographo Cæſarien-* „ *ſi Epiſcopo in libello Vitæ Sylve-* „ *ſtri*, vel, *quem de geſtis Sylveſtri* „ *Papæ compoſuit*. Unde apparet, „ acta illa plane eadem olim, Ca- „ roli Calvi temporibus fuiſſe, quæ „ nunc ſunt, ideſt, falſa, & ficti- „ tia: quorum cum fidem in his, „ & aliis quibuſdam labare ipſe con- „ fiteatur Baronius, non video, cur, „ vel qua ratione, eam in cæteris, „ quæ his actis ſuperſtruit, præſta- „ re poſſit. Non dubito, quin ſint „ ejuſdem farinæ acta illa Synodi „ Romanæ 280. Epiſcoporum, quæ „ anno D. 324. ab eodem Sylveſtro „ habita fuiſſe fingitur, & ſecunda „ dicitur: & Synveſſanæ quoque il- „ lius Synodi, trecentorum ſcilicet „ Epiſcoporum, quæ anno D. 303. „ de Marcelli Urbici Epiſcopi cau- „ ſa memoratur, in quibus ipſe Ba- „ ronius fluctuat. Præter univerſale „ omnium Veteris ad annum uſque „ ſexcenteſimum memoriæ ſcripto- „ rum ſilentium, qui de his graviſ- „ ſimis ſcilicet, frequentiſſimis, ac „ nobiliſſimis Synodis plane nullum „ verbum fecerunt, non pauca ſunt „ in ipſis earum actis, quæ utram- „ que falſam, ac commentitiam eſ- „ ſe arguunt; de quibus vide, ſi „ libet, Joannem Rainoldum, & „ Robertum Cocum Anglos fuſius in „ ſuis quemque lucubrationibus diſ- „ putantes. Sunt & ejus generis a- „ lia innumerabilia, Martyrum paſ- „ ſiones, & Epiſcoporum, aut San-

[a] *an. D.* 57. §. 111.

[b] *an. D.* 315. §. 12. 13.

„ ctorum, qui in primis Christianismi sæculis floruerunt, vitas „ præferentia, certis, verisque tum „ Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus, tum aliis istorum temporum „ indubitatis Auctoribus ignota; ad „ hæc eorum, quæ ex authenticis „ habentur, Fidei in multis sæpe „ adversantia; postremo vere temporum rationi repugnantia, & „ vel falsos, vel alienos Consules „ mentientia. Quo loco non possum „ non denotare sceleratam recentiorum in istis diligentiam, ex quibus, quæcumque extant certa falsitatis argumenta, ipsi delere, & „ immutare non dubitant, ne quis „ eorum ex his fidem vel revincere, vel suspectam habere inposterum queant. Verbi gratia in Martyrologio Romano ad d. 21. Octob. „ ante hac ita legebatur, *in Colonia* „ *Agrippinensi natale sanctarum undecim millium Virginum, quæ pro* „ *Virginitatis constantia, martyrio* „ *Vitam consummaverunt*: sed quod „ illa tam multarum Virginum multitudo narrationis absurditatem, „ & falsitatem argueret, emendatores earum numerum deleverunt, „ & totum locum ita refinxerunt, „ ut legere est in Baroniana editione, *apud Coloniam Agrippinam natalis Sanctarum Ursulæ, & Sociarum ejus, quæ pro christiana religione, & Virginitatis constantia* „ *ab Hunnis interfectæ, martyrio* „ *vitam consummaverunt; & plurima earum corpora Coloniæ condita fuerunt*. Ejusdem est commatis, quod sequitur, exemplum: „ Catharina in Legendis & Breviariis, & Martyrologiis omnibus *Co-* „ *sti Regis filia* fuisse dicebatur. Jam „ quod ex veris, certisque constaret, nullum Maxentii tempore, „ quo Catharina passa esse fingitur, „ Costum Regem in rerum natura „ extitisse: omnis hæc inauspicata „ Costi mentio, quæ narrationis vanitatem ostendebat, in Pii P. R. „ V. Breviario prudenter (quis neget?) expuncta est. Sed & pro „ *Maxentio*, qui isthic ab ipso quoque Pio ex omnium retro Catharinæ Actorum Fide relictus hæserat, pari postea Actu *Maximinus* „ a Clemente VIII. & Urbano VIII. „ P. R. in Breviario, a Baronio in „ Martyrologio Romano substitutus, „ ne scilicet eo indicio insulsa quidem, sed tamen bona fabula seipsa proderet; quod ex veteri historia certum sit, Alexandriæ, ubi res gesta fuisse narratur, non „ Maxentium, sed Maximinum (*a*) „ per ea tempora imperasse. Magnus „ in hoc genere artifex fuit Turrianus. Ita quorum *Præfectorum litteras* Pseudo-Evaristus mittere se „ ad Afros Episcopos dicit, (*b*) eos „ Turrianus in *Prophetas* transmutat: *in exemplaribus*, inquit, *vetustissimis, uno Vaticanæ Bibliothecæ, altero Florentinæ S. Marci*, „ *non Præfectorum, sed Prophetarum, scriptum est*. Nimirum illæ „ *Præfectorum litteræ*, Scriptorem „ alium esse ab Evaristo arguebant, „ cujus temporibus nulli Præfecti erant, qui litteras in Decretorum „ Papalium gratiam in Provincias „ scriberent. Sed Turriani imposturam prodit fons, ex quo totum „ hunc suum locum Pseudo-Evaristus derivavit. Innocentius scili-

„ cet,

(a) *Eus. Hist. Eccl. Lib. 8.*

(b) *Ep. 1.*

„ cet, apud quem *Præfectorum*, non „ Prophetarum *litteræ* constanter leguntur, Epistola XII., ex qua Plagiarius omnia illa verba describeret. Idem, quod in hoc Turrianus, alii in aliis fecerunt. Ita „ Baronius, & Bellarminus, quæ „ ex omnium Codicum consensu „ Clementis prima est ad Jacobum „ Epistola, eam ad Symeonem esse „ volunt; quod Jacobi nomen, qui „ necessario reperitur, antequam ea „ Epistola scriberetur, mortuus, opus esse convinceret a male feriato impostore jampridem suppositum. Ita Baronius, ut Synvessanæ Synodi Acta ab apertissimo „ mendacio purget, quo narrant, „ Diocletianum in bello Persico de „ Marcellino ab Episcopis condemnato audivisse, pro his verbis, „ *dum esset in bello Persarum*, rescribi legique vult, *cum reversus* „ *esset e bello Persarum*; quod intelligat, ex veris Persicum Diocletiani bellum, immo & triumphum „ multo ante octavum Maximiani „ Consulatum, quo Marcellinus „ damnatus esse fingitur, gestum „ fuisse. Idem in actis Philippi Augustalis Ægypti Præfecti corrigi „ jubet, quod illic in omnibus exemplaribus legitur, Philippum illum fuisse factum Alexandriæ Episcopum, quod nempe crassum, „ manifestumque mendacium Actuum illorum falsitatem evidenter „ argueret. Sic quos acta Passionis „ Stephani Papæ manuscripta exhibebant *Valerianum* III. & *Gallienum* II. *Consules*: idem Baronius „ *Valerianum* IV. & *Gallienum* II. „ edit; quod Scriptus ille Consulatus rebus gestis non congruit. Acta Sebastiani, & Sociorum falsa „ revincuntur, quod quem urbis „ Præfectum tabulæ publicæ *Junium* „ *Maximum* edunt, hæ *Fabianum* „ mentiantur. Baronius ut imposturæ argumentum deleat; *Fabium* „ in tabulis pro *Junio*, nullo libro „ Auctore, scribi jubet. Quin & „ huic suæ methodo ita confisus videtur, ut putaverit scripta vera „ ex falsis, genuina ex nothis fieri; „ postquam iis semel detraxit, quæ „ inerant falsitatis argumenta. Certe de Epistola Fabiani P. R. Kal. „ Julii Maximin. Aug. & Africano „ Coss. ad omnes Comministros data, quodam loco sic loquitur; „ *tam* (inquit) *in Titulo*, *quam etiam in consulibus depravata adeo* „ *est*, *ut spuria penitus censeatur*, (*a*) „ *nisi nonnulla in ea posita corrigantur*: itaque putavit, istis correctis „ non futuram amplius spuriam; „ quod mirum profecto est hominis „ judicium: quasi vero ulla correctione fieri possit, ut verum, „ ac genuinum fiat, quod falsum, „ & spurium est. Ita fieri fateor „ ut nemo posthac deprehendere „ facile possit, an id, quod correctum est, revera falsum sit; ut „ non sit falsum, nulla arte effici „ potest. Ut enim Fabiani Epistola fuerit, quæ revera non fuit, „ nullæ Baronii Spongiæ, nulli unquam pumices præstabunt, tantum efficient, ut ea detractis falsitatis suæ argumentis facilius in „ posterum homines fallat, quo, ut „ liquet, omnes istorum artes contendunt, ac collimat. Iis vero & „ Binius, Baronium de more secu-„tus,

(a) *ad a. D.* 238. §. 9.

„ tus, non raro utitur. Cum enim „ quæ Cornelii Pontificis R. nomine fertur Epistola I. eam notham „ esse, & ab aliquo plane confictam clamet fabula de corporibus „ Petri, & Pauli ex catacumbis rogatu Lucinæ levatis: (a) Binius „ ut Epistolam hoc stigmate liberet, comminiscitur „ *id in eam mendose irrepsisse*, cum tamen „ constans omnium codicum consensus doceat, fabulam istam non „ ab alio insultam, sed ab ipso „ auctore ita primum scriptam, ut „ nunc ibi legitur. Idem alibi fingit, Epistolæ Eusebii P. R. tertiæ aliunde assutum esse, quod „ illic in omnibus exemplaribus „ narratur de Christi Cruce nuper „ d. v. Id. maji, suis temporibus „ reperta; quod hoc scilicet commentum liquido ostendat Epistolam non Eusebii, sed impostoris „ alicujus esse. Idem cum falsus *Fæliciani*, & *Maximiani* consulatus „ primam Julii P.R. Epistolam, in „ cujus omnibus exemplaribus adscriptus est, notham & suppositiam (b) „ esse argueret; scribit *Fæliciano* & *Titiano Coss.* datam esse idem corrigi vult finem secundæ Epistolæ „ Joannis P. R. & pro his verbis, „ quæ omnia exemplaria pariter exhibent *data 3. id. Jun. Max. & Olyb.* „ *Coss. rescribi datam Olyb.* (quia „ scilicet & commentitius Maximi „ cum Olybrio Consulatus, & dies „ 3. id. Jun.) ante quem mortuus „ est Joannes (Epistolam spuriam, „ atque suppositam esse docent. Sed „ & has & alias item plurimas Epistolas falsas esse, etiam aliunde constat, quæ Clemente, Anacleto, Evaristo, Alexandro, Syxto, Telesphoro, Hygino, Pio, „ Aniceto, & aliis usque ad Siricium, id est, usque ad annum Christi CCCLXXXV. antiquissimis Episcopis Romanis tribuuntur, ut ut „ sub venerandis istis titulis jam ab „ octingentis annis legantur illæ Epistolæ, fateor, non paucas controversias, maxime vero eam, quæ „ de Monarchia Papali est, decidunt quidem secundum Romanos, sed hoc ipsum argumento „ est, quæ mens, & quod Consilium fuerit Mercatoris illius, qui „ primus eas venales habuit. Pleræque certe a doctis viris, Henrico Kaltheisen, Nicolao Cusano, Turrecremata, Cardinale utroque, Erasmo, Joanne Driedone, „ Claudio Espensæo, Cassandro, Simone Vigorio, Baronio, & aliis „ spuriæ habentur; & revera satis, „ superque patet earum falsitas tum „ ex styli barbarie, tum ex erroribus quibus scatent passim cum in „ Chronologia, tum in Historia, „ tum quod centones sint male consuti ex variis hinc inde corrasis „ scriptorum, quæ etiamnum hodie extant, locis; tum denique „ ex omnium auctorum, qui primis octo sæculis floruerunt, altissimo de iis silentio, jam sex, „ septemve postrema sæcula sciens „ prætermitto, in quibus propter „ varia capita temporibus illis vel „ constituta, vel perdite adamata, „ longe major fuit harum fallaciarum usus, magisque necessaria „ nominis veterum gratia; quibus „ item libros supponere nullo negotio licuit propter crassas igno- „ ran-

(a) *Nota in Vit. Corn. T. 1. Conc.*

[b] *Ib. 1.*

„ rantiæ tenebras, & quod vix esse, „ qui contradicere auderet, aut posset, non aliæ fuere artes, donec „ affulgeret lux superioris sæculi, „ quo Erasmus ipse narrat se quempiam ex miseris istis coccygibus „ animadvertisse, qui nihil aliud „ factitarit, & qui Vertumnum, & „ Proteum referens, nunc se Eusebium Cremonensem, nunc Cyrillum, nunc Augustinum, nunc „ Ambrosium, nonnunquam, si libeat, Damasum, aliquoties, si superis placeat, Hieronymum mentiretur, & in Sanctorum istorum „ virorum veluti nidis adulterina „ sua ova deponeret, atque excluderet. Cui jam constare potest, „ qui sint, qualesque tam multi libri, quos quotidie ex iisdem illis officinis prodire videmus, in quibus olim ejusmodi ludibria impune fabricabantur. Exempli causa. Quis nobis illa Flavii Lucii „ Dextri, & Maximi fragmenta „ præstabit, quæ cum hactenus tam „ multis Sæculis ignota fuissent, „ Hispani nuper Barcinone emiserunt? (a) Miræus quidem Antuerpiensis Decanus testatur, ista Eruditis videri ejusdem farinæ cum „ Beroso Annii Viterbiensis, hoc est, „ cum putido Crassi impostoris figmento. Asperfa passim operi mendacia arguunt novitium esse fœtum, non alio, ut videtur, fine „ ab Hispanis editum, quam ut aniles de suo Jacobo fabellas antiqui „ nominis auctoritate commendarent. „ Sed utcumque stent, vel cadant „ Mustei istius Dextri fortunæ illud „ quidem admodum probabile est, „ tempore auctam potius quam imminutam istam, quæ jam olim in „ mundo viguit, impostorum quidvis mentiendi, fingendique seu „ libidinem, seu industriam. Quum „ ergo præter Hæreticorum technas, „ librariorumque tum avaritiam, „ cum imperitiam, ambitio etiam, „ & prava hominum studia a mille „ jam, & quadringentis annis, assidue ferme etsi non unum ob finem in id incubuerint, haud mirum est, si novissimis his temporibus supposita veteribus scripta „ occurrant tanta numero, ut si in „ acervum cogerentur, ad quartam, „ vel minimum ad quintam veterum monumentorum partem accessura non injuria dici queant.

Sed vide, quam ingeniosus sit Argutator, qui, cum de suppositititiis voluminibus agat; ista tamen dimittit, quo Hadrianum I. Pontificem vera, & legitima monumenta laudantem, solamque ejus interpretationem, injuste divexet.

Ac ne procedat ei oppositio: prænotamus, quod Synodus Illiberi Bæticæ sub tertii sæculi finem celebrata, sextæ Feriæ jejunio adjungendum sabbaticum decrevit istis canon. XXVI. verbis: *errorem placuit corrigi, ut omni sabbathi die jejunii superpositionem celebremus.*

Quocirca S. Augustinus, ad quem Censor nos vocat, in epistola ad Casulanum cujusdam urbici argumentum pro sabbati jejunio scriptum recognovit hoc modo: (b) *ait Dominus*, nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, (c) & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlo-

[a] *de Script. Eccl.*
[b] *S. Aug. Ep.* 36. *pag.* 73. *Tom. II.*
[c] *Matt.* v. 21.

lorum, *& nisi amplius, quam bis in sabbato jejunemus, hoc præcepto non possimus implere: bene quod septem dies sunt, qui volumine temporum per sua vestigia revocantur. Cum ergo ex his biduum quisque detraxerit, ne sabbato, Dominicoque jejunet, remanent dies quinque, in quibus Pharisæum superare possit bis in sabbato jejunantem. Puto enim, quod si ter in sabbato quis jejunat, jam superat Pharisæum, qui bis in sabbato jejunabat: quod si & quater vel etiam ut nullus dierum, excepto sabbato & Dominico, prætermittatur, in Hebdomade quinquies jejunetur, quod multi tota vita sua faciunt, maxime in Monasteriis constituti: non solum Pharisæus, qui bis in sabbato jejunabat, verum etiam Christianus, qui quarta, & sexta, & ipso sabbato jejunare consuevit, quod frequenter Romana plebs facit, in labore jejunii superabitur ..... indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, a quo baptizatus sum, Mediolanensis Episcopus. Nam cum in eadem Civitate mater mea mecum esset, & nobis adhuc Catechumenis parum* ista curantibus, *illa sollicitudinem gereret, utrum secundum morem nostræ Civitatis sibi esset sabbato jejunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum, ut hac ea cunctatione liberarem, interrogavi hoc supradictum hominem Dei. At ille*, quid possum, *inquit*, hinc docere amplius, quam ipse facio? *ubi ego putaveram, nihil eum ista responsione præcepisse, nisi in sabbato pranderemus; hoc quippe ipsum facere sciebam; sed ille secutus adjecit;* quando hic sum, non jejuno sabbato; quando Romæ sum, jejuno sabbato; & ad quamcumque Ecclesiam veneritis, *inquit*, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis. *Hoc responsum retuli ad Matrem, eique suffecit, nec dubitavit esse obediendum: hoc etiam nos secuti sumus. Sed quoniam contingit maxime in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes: mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Quapropter si consilio meo, præsertim quia in hac causa plus forte, quam satis fuit, Te petente, atque urgente, locutus sum*, libenter adquiescis: Episcopo tuo *in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo, vel disceptatione sectare.*

Hæccine sunt ea, quæ Dallæus prætexit? qui si Augustinum probat, cur ejus verba non profert in medium? Nam S. Doctor prius aperte testatus est, quod *Christianus quarta & sexta & ipso sabbato jejunare consuevit, quod frequenter Romana plebs facit*. Nempe hoc est, nimis, sive amplissimis verbis, jejunii sabbatici consuetudinem, Romæ & alibi passim, ut in *sexta* Feria jejunitatem, adhibitam collaudare: cui quidem adprobanti Augustini principio, atque etiam Ambrosii verbis innixi, ea, quæ ab adversario obtruduntur, explodimus; enim vero falsum est, ab eodem Ambrosio Romanam Ecclesiam, & quamlibet aliam, quod sabbato jejunaret, laudatam non esse: quoniam Ambrosius, dum *Romæ*, vel alibi esset, *sabbato jejunavit;* atque ita hocce jejunium adprobavit, coluit, laudavit; quemadmodum Augustinus & *sextæ* feriæ, & sabbati jejunium, quod *Christianus* passim, ac *Romæ* frequenter amplectebatur, sine dubio comprobavit. Ac proinde uterque Sanctus ab Ha-

Hadriano Pontifice commendatus, jejunium sabbaticum, quod Romæ, & alibi colebatur, aliquo discrimine habuit, dum iisdem in locis a Mediolano distinctis ipsum servandum proposuit. Non igitur longe falsissimum, sed verissimum est, quod Egilæ, cæterisque Hispanis Episcopis edixit Hadrianus, Ambrosii, & Augustini auctoritate non abusus, sed fretus. Quamvis enim Ambrosius tunc Mediolani sabbato *non jejunavit:* nihilominus Romæ, & alibi passim jejunii sabbatici ritum non diversimode observandum, sed *cujuscumque Ecclesiæ more servandum* protulit. Quapropter Egilam non Romæ, sed in Hispania, ubi Episcopi labente tertio sæculo sabbaticum jejunium observarant, consistentem, sabbato jejunare Hadrianus jubet. Hoccine, quæso, illud est, quod ab ipso Hadriano ingeniose fingi Dallæus comminiscitur? Id hujus Hæretici, non illius Pontificis commentum est: nihil quippe, quod aut fraudem, aut figmentum redoleat, idem Pontifex affert; sed Ambrosium, qui *Romanæ*, & *cujuscumque Ecclesiæ* a Mediolanensi distinctæ ritum illum *servari* monuerat, probat, & sequitur: quoniam sabbati jejunium a Romana, & Hispaniensi Ecclesia, ab aliisque olim cultum, servandum esse, ex Ambrosii monitu rectissime mandat. Unde quem ritum non modo se ferre, eique pro loci, ac temporis ratione accommodare, verum etiam probare, innuit Ambrosius: eum pro *Romana Apostolicæ*, & *Catholicæ Ecclesiæ* more ab illo laudatum Hadrianus non fingit, dum sabbati jejunium & Romæ, & quondam in Hispania, & nono sæculo, & quo ipse clarebat, fere ubique receptum, necessario observandum ex Ambrosio docet; propterea quod is *Romanæ*, & *cujuscumque Ecclesiæ morem servari* debere præmonuit. Hoc ipsum Augustinus secutus est, qui, uti inculcavimus, imprimis *Christianum sexta* feria, & *sabbato jejunantem*, & speciatim *Romanam plebem* idem *facientem* laudavit. Non igitur Sanctus Doctor, cum Ambrosii prudentiam, & Charitatem innueret, adsignificavit, cæteros Christianos, sed aliquos sabbato prandisse: nec censuit, istorum aliquorum *sabbato non jejunantium* probabiliorem, quam reliquorum Christianorum, Romanorumque eodem die jejunantium morem fuisse. Quandoquidem *Christiani*, ac *Romanæ plebis sexta feria jejunantis* mos, atque adeo *sabbato* non prandentis ritus cum illo sextæ feriæ jejunio conjunctus, ipsi Augustino, qui postea *Civitatis* suæ, sive Hipponis sabbato jejunantis *morem* sectatus censetur, probabilior fuit, ac notior.

Exinde verbis abutitur Censor, & labitur, asserens, Concilii v. Æcumenici Patres animorum suorum studiis obsecutos in eo peccasse, quod supposititiam Theodoreti Epistolam de morte S. Cyrilli Episcopi Alexandrini probarint silentio; quæ oppositio irrita est. Siquidem cum eam epistolam a Theodoreto ad Joannem Antiochenum Præsulem scriptam, ab illoque huic S. Cyrilli mortem nuntiatam esse, posuerit epistolæ fictor: hæc ideo falsitatis convincitur; quia Joannes obiit ante Cyrillum, quippe cujus epistola ad Domnum, qui in Joannis locum suffectus fuit, exitat, quemadmodum legitur in Chalcedonensi Concilio. Porro autem quintæ Synodi Patres de iis, quæ contra S. Cyrillum Theodore-

tus imprudenter conscripserat,(a) agentes; prius legi jusserunt illa legitima Theodoreti volumina, quæ adversus duodecim S. Cyrilli capitula exararat: illisque perlectis, & inde fictitia ea epistola, & quadam simili allocutione recitatis, (b) *sancta Synodus dixit, & ex His; quæ Theodoretus impie conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilii. Sciens enim ejus blasphemias; prius quidem multis sæpius usa est contra eum exclamationibus: postea vero non aliter eum suscepisset, nisi prius anathematyzasset Nestorium, & ejus blasphemias; pro quibus antea scripsit, defendens eas*. Istudne est totius quinti Concilii silentium? Istane illius epistolæ dictæ probatio? istud ne peccatum? Falsa Dallæus Quintæ Synodo tribuit; quæ prorsus non siluit, sed disertis verbis ea, quæ pro *Nestorii blasphemiis* Theodoretus *antea scripsit*, ipsa novit ex *Chalcedonensi Concilio*; cujus ex actis vel eadem Epistola supposita evincitur; quæ ut posterior genuinis illis Theodoreti operibus *antea scriptis*; ab iisdem certe distinguitur, ac sic notha cognoscitur. Non itaque Synodus quinta omnino tacuit, neque peccavit, nec probavit ipsam epistolam; sed tantummodo ea, quæ *antea* Theodoretus *scripserat*, dignovit; a quibus illa epistola secreta erat, atque adeo conficta.

Nec vero ejusdem furfuris est allatus in Concilio VII. totusque insertus sub Athanasii nomine *sermo* de miraculo a Christi imagine patrato Berythi. Is namque recta, non prava, continet; tametsi S. Athanasio Alexandrino Episcopo subditus; quoniam ab ejus operum stylo admodum differt. Nec Synodus VII. eundem *sermonem*, qui ante ipsam a nullo adlegatus fuit, esse *Athanasii Episcopi Alexandrini* pronuntiavit; sed illum sub solo *S. Athanasii* nomine adduxit; qui tamen in antiquis Codicibus græcis, & latinis (c) *S. Athanasii Episcopi Alexandriæ* titulum præfert; quem titulum *Episcopi Alexandrini* quum Synodus septima omiserit, sane eum sermonem prius non omnibus notum S. Athanasii Episcopi Alexandrini opus esse, exploratum non habuit, nec declaravit: qua prætermissione non deterriti, at fulti aliqui Critici, Bellarminus, aliique existimarunt, ipsum sermonem sub S. Athanasii nomine tantummodo evulgatum, tamen a S. Athanasii Episcopi Alexandrini operibus, quæ ab antiquioribus laudantur, hujusque stylo respondent, distingui; ideoque non ejusdem Sancti Doctoris, sed alterius veteris hominis pii, qui Athanasius vocabatur, fœtum censeri; ac S. Athanasii Episcopi Alexandriæ titulum quibusdam Codicibus perperam additum esse.

Constantini autem Donationem esse supposititiam, Baronius, ac cæteri eruditiores multis ostendunt: primum, quod edicti inscriptio commentitia sit; qua Constantinus quarti sæculi initiis Imperator se *Fidelem*, *mansuetum*, *Beneficum*, *Alemannicum*, *Gothicum*, *Sarmaticum*, *Germanicum*, *Britannicum*, *Hunnicum*, *Pium*, *Felicem*, *Victorem*, *Triumphatorem Augustum* appellat; quæ

[a] *Conc. Chalc. Act. IV.*
[b] *Conc. V. act. V. pag. 123. Tom. VI. Concil. Labb.*

(c) *Conc. 7. act. IV. pag. 866. Tom. VIII. Conc. Lab. Tom. II. op. Ath. pag. 344.*

quæ numerosa Titulorum congeries abhorret a more, & instituto Constantini; qui genuinis edictis suis ab Eusebio memoratis tot, tantosque Titulos nunquam præfixit: tum etiam quod instrumenti suppositionem detegat hæc ejus subscriptio; *Constantino Augusto* IV. *& Gallicano Coss.* quem Consulatum nulli fastus exhibent, in quibus Constantini Consulatus IV. *Licinius* collega legitur, Gallicanus non legitur. Accedit, quod totius Italiæ, & Occidentalium regionum Provincias Sylvestro donatas edictum contineat. Atqui Constantino Juniori Italia tributa est, quum Constantinus Magnus, (*a*) ut Victor, ac Socrates testantur, imperium Filiis suis divisit; qui Imperator proinde Sylvestro totam Italiam nequaquam donarat. Demum nec Eusebius, (*b*) a quo aliquot Constantini edicta proferuntur, nec ullus alius Scriptor ante octavum sæculum illam donationem retulerunt. Quidam igitur authenticum ejusdem Donationis instrumentum immerito voluere; quod etiam Dallæus legitimis Constantini edictis confusum falso intendit: quandoquidem Eusebius genuina Constantini Magni edicta quibuscumque nothis inconfusa describit. Atque etiam ea commentitia donatio confusa non fuit cum legitima Donatione Pippini Francorum Regis; qui posteaquam anno Christi 755. in Italiam cum Exercitu venisset, & Longobardorum Militum copias fudisset; atque a Constantini Copronymi Imperatoris legatis obsecratus esset, ut Exarchatum Ravennæ, quem ab Aistulpho Longobardorum Rege susceperat, Imperatori restitueret: id denegavit; eumque exarchatum Romano Pontifici tradere decrevit; factamque in scriptis Donationem, quæ urbis, ac plurium Italiæ regionum temporale dominium eidem Pontifici tributum, & decreto insertum, exprimebat, Romam transmisit. Hanc porro solam genuinam Donationem, atque adeo illi suppositiæ Constantini Magni Donationi inconfusam esse, certo antiquitatis monumento deinde vincetur.

Sed Dallæus ad Concilia iterum transit, obtendens Canones Antiochenæ Apostolicæ Synodi; cujus tamen S. Lucas (*c*) in Apostolorum Actis, ubi Hierosolymitanum Apostolorum Concilium repræsentat, non meminit; qui uti istud exhibet, ita illam Antiochenam Synodum enarraret, si eandem egissent, in ipsaque Decreti aliquid addidissent Apostoli: quæ cum Lucas minime exponat, certe & Antiochena Apostolorum Synodus, & ipsius Canones suppositione non vacant. Horum quoque Canonum secundus, septimus, & nonus *sanguinis*, & *suffocati* abstinentiam præcipiunt; atque permittunt, vesci & pisce aut habente testam, aut squammis carente, & carne *suilla*; ad quam edendam idem Concilium Antiochenum hoc depravato oraculo quasi Prophetico abutitur, *saturati sunt suilla*, quum apud Prophetam habeatur, *saturati sunt filiis*; quem sacrum Textum Apostoli Spiritu Sancto referti neutiquam violassent: ex quibus profecto colligitur, sacras litteras a quodam veteratore temere depravatas, eos Canones Apostolico Hierosolymitanæ

(a) Victor in *Constantino*: Socrates lib. 1.

[b] *Euf. in Vita Constant.* (c) *Act.* 15.

Synodi Decreto incaſſum appoſitos, & Sanctis Apoſtolis inconſulto adſcitos fuiſſe: quos Canones neque ullus Eccleſiaſticorum Auctorum ſex prioribus ſæculis florentium, quorum aliquot Apoſtolicum Hieroſolymitanum Concilium, ejuſque Statuta laudarunt, vel leviter memoravit. Quod igitur Turrianus pertendit, illos Antiochenos Canones a ſe repertos in antiquo Codice MS. Pamphili Martyris, qui in Origenis Bibliotheca eoſdem invenerat, nihili eſt; quoniam Euſebius nullibi illam Synodum Antiochenam Apoſtolorum, ejuſque Canones attulit; qui etiam eum Codicem a Pamphilo Martyre haud ſcriptum ſignificavit: poſtquam enim quædam Origenis opera deſcripſit, ita locutus eſt: (a) *quid attinet hoc loco omnium hujus Viri librorum adcuratum indicem texere; cum id proprium opus deſideret: jamque a nobis præſtitum ſit in libro, quem de Pamphili, qui noſtra ætate Presbyter idem, & martyr fuit, vita conſcripſimus. Ubi cum probare vellemus, quantum Pamphili ſtudium erga Divinas litteras fuiſſet; indices librorum tum Origenis, tum aliorum Eccleſiæ Scriptorum, quos ille undecumque collegerat, exhibuimus*. Falſum igitur eſt, aut aliquem librum, aut illum Antiochenæ Synodi Codicem a Pamphilo exaratum fuiſſe; cum Euſebius in ejus vita non ipſius Pamphili, ſed *aliorum Eccleſiæ Scriptorum*, & *Origenis libros* indice numerarit; quos *Libros ille undecumque*, ac ſic ex Origenis, aliorumque Bibliothecis *collegerat*; ac non adeo vel *Divinarum Litterarum*, vel *aliorum librorum*, vel illius Antiochenæ Synodi Canones manu Pamphilus ſcripſerat: aliud namque eſt *libros colligere*; aliud eſt in Codice ſcribere. Deinde nobis Innocentius I. quinti ſæculi initiis Pontifex Summus immerito objicitur; qui in Epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum de Præſulibus *Metropolitanis* loquens, Antiochenſem Eccleſiam ſic laudat: (b) *Ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, quæ & Conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit*; quibus quidem Innocentius reſpicit ea S. Lucæ verba; (c) *profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum; quem cum inveniſſet, perduxit Antiochiam, & annum unum converſati ſunt ibi in Eccleſia, & docuerunt turbam multam, itaut cognominarentur primum Antiochiæ Diſcipuli, Chriſtiani*. Ecce *Apoſtolorum Pauli*, & *Barnabæ*, qui nuper diviſi fuerant, in Antiochena Civitate *Conventum*, qui *celeberrimus* ideo *factus* eſt, quia *ibi accepit nomen Religio Chriſtiana* ex ipſorum *Apoſtolorum* ibidem convenientium, & converſantium tali doctrina, ut *cognominarentur primum Antiochiæ Chriſtiani*: ad quod *Chriſtianum nomen* primum & Antiochiæ ortum, & ab Innocentio poſitum, cujus nominis celebritas maxima fuit, ejuſdem Pontificis conſequens adligatur; quo proinde is Pauli, & Barnabæ *Conventum*, non Apoſtolorum vel omnium Synodum, in qua iſti Decreta condiderint, oppido celebrat; de quibus Antiochenis Decretis ipſe Innocentius, neque in ea Epiſtola, neque in aliis ullam facit men-

(a) *Euſeb. lib.* VI. *Hiſt. Eccl. cap.* 32. *pag.* 257.

(b) *Innoc. I. Epiſt.* 24. *pag.* 851. *nov. Pariſ. Edit. Epiſt. I. Pontif.*

(c) *Act.* XI. *v.* 25. *& ſequ.*

mentionem. Antiochenses itaque Apostolici Canones, & quinque, & etiam sex priorum sæculorum Scriptoribus ignoti fuere; ex eoque silentio Apostolis subditi evincuntur. Hinc multo post ea sæcula Gregorius Pisuntinensium Episcopus in Synodo septima generali, quæ labente sæculo octavo (*a*) celebrata est, primum quidem illius Antiocheni Concilii Canonem adlegavit; at certum non habuit ipsum Concilium: nam ejus verba Anastasius Bibliothecarius, eodem tempore illustris, e suo Codice græco ita in latinum transtulit, ut Gregorius eundem Canonem adduxerit ex *Synodo Sanctorum Apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur:* quæ expressio commonstrat, eam *Synodum Antiochiæ* ab Apostolis *congregatam* non esse, sed *dici*; atque adeo ipsius Canones eidem Gregorio suspectos fuisse: qui Canones subdititii a legitimis, & sacris Concilii Hierosolymitani Apostolici Actis semper sejuncti fuere: unde Dallæus confusionem suam perperam colliget. Verum Baronius, ac Binius ferendi; quod, ipsorum objectationibus minime obstantibus, ab Hierosolymitano Apostolorum Concilio Antiochenæ Synodi Canones secluserunt.

Progrediamur igitur, quoniam ab hisce discessimus; quibus congruere videntur, quæ sequuntur. Sequuntur autem Sylvestri acta, quibus suppositionis nota propterea inuritur, quia, ut Baronius adfirmat, scatent mendaciis, dum narrant, anno 315. Romæ coactam esse Synodum, eique & diversarum Provinciarum Episcopos, & Judæorum Sacerdotes 109. interfuisse, exceptis horum duodecim, qui a suo *Pontifice* Isachar missi fuerant, ut coram Imperatore Constantino, & Helena Augusta patrona de Religione dissererent; quæ Augusta ab Hebræis Judæa effecta, & Constantino Filio Christianam fidem sectanti adversa, ad eundem infenso animo scripsit, pluresque in Christum biasphemias evomuit. At quis crediderit, in unum convenisse Christianos Antistites, multosque Judæos incredulos, ut de Christi fide disceptarent? Ecquis duodecim Rabbinos ab Isachar Pontifice delectos sibi finxerit, qui adversus Christianam religionem disputarent? quum compertum sit, ab excidii Hierosolymitani tempore summos Hebræorum Pontifices desiisse creari. Ecquis Helenam tunc Judæam, Christo infidelem, & Constantino Christiano infensam effutierit adversus S. Paulinum anno 353. natum, & postea Nolanum Episcopum? qui in Epistola 31. Hadriani impietatem, qua is in Christi incunabulis statuam Veneris collocarat, execratus; Helenæ, & Constantini fidem tali pacto, quo eorum actorum figmentum rescinditur, (*b*) collaudavit: *mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora, nostris proxima Constantini, qui Princeps esse Principibus Christianis non magis sua, quam matris Helenæ fide, meruit*. Tum vero contra veritatem eadem acta subjungunt, a Sylvestro Pontifice Sabbati jejunium abrogatum fuisse, quod tamen fuit a Sylvestri successoribus summa pietate observatum. Hinc quidem ea com-

[a] *Syn. VII. Act. 1.*
(b) *S. Paul. Nol. Epist. 31. ad Severum pag. 191. Veron. Edit. an. 1735.*

commenta Eusebius non protulit, in vita Imperatoris Constantini testatus, quod cum Helena (a) *pro Filio suo Imperatore, ac pro Filiis ejus Cæsaribus Deo gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset; Hierolosymam profecta, illic Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est*. Unde cum huic Helenæ pietati contraria libellus vitæ Sylvestri, & acta, quæ etiam ab Eusebii stylo magnopere distant, enarrent, eum Libellum, & acta eidem scriptori Ecclesiastico Rathramnus dubio procul adsinxit. Verum sicut in constitutionibus Clementi I. Romano Pontifici adfictis Tillemontius quidpiam veritatis invenit, ita in minima eorumdem suppositorum actuum parte nonnihil est veri, excepto Constantini Baptismate, quod & solummodo ex idoneis aliis Testimoniis monstratum, & figmentis haud mixtun videtur. Quare alias res vitis illis additas esse aliena manu fingente, Baronius ariolatus non est. Tum is speravit, se ab iis commentis aliquas minimas partes secreturum, in quibus eadem acta multas fictiones exhibent sine ullo Causæ Pontificiæ, quæ prædictum temporale Romani Pontificis dominium adsignificat, detrimento; quippe quæ alio certiori Teste, quem produximus, defendatur, atque etiam suppositione Romanum Concilium aliud anno 324. congregatum, non caret, cujus nulla extat memoria in veterum monumentis; qui tamen alia legitima Concilia quarto sæculo celebrata, & suppostitiis illis inconfusa, quorum aliquibus Romani Pontificis Primatus ostenditur, referunt.

Sed & ficta est Sinvessana Synodus, quæ coacta dicitur propter Marcellini Pontificis lapsum; quem commentitium esse S. Augustinus docet; qui Petiliano Donatistæ calumniis Romanos Pontifices appetenti ita respondet: *quid ergo jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis infectatus est,* (b) *objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylvester, traditionis Codicum Divinorum, & Thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur: aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos, & sacrilegos fuisse dicis, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla Testificatione demonstrant, nocentes potius, quam innocentes crediderimus.*

Tam indubitatum, tamque perspicuum Augustini, qui Marcellino fere coævus fuit, testimonium Sinuessanæ Synodi acta, quæ hujusce Pontificis *thurificationem* depingunt, falsitatis coarguit: quandoquidem ut *Marcelli*, & *Sylvestri*, ita *Marcellini* lapsum fictum esse certo demonstrat: quoniam quarto, & quinto sæculo *nulla* eorum *criminis testificatio*, nullum *documentum*, atque adeo nullius Synodi acta idem repræsentan-

tia

(a) *Eus. De vita Imper. Constant. cap. 42. pag. 541.*

(b) *S. Aug. in Lib. de unico Bap. cont. Pet. cap. 16. num. 27. pag. 541. Tom. IV.*

tia inveniebantur; ita ut Petilianus *nec tenuiter accusationem suam probare potuerit*. Quare Baronius cupit, in illis actis, quibus Marcellini lapsus, pœnitentia, & damnatio ab idololatra imperatore Diocletiano jussa, *dum esset in bello Persarum*, depingitur, rescribendum esse atque legendum, *cum reversus esset e bello Persarum*; quæ quidem ille sic emendanda censet idcirco, quia ex veris Historiis intelligit, Persicum Diocletiani bellum, immo & triumphum multo ante octavum Maximiani Consulatum, quo Marcellinus damnatus esse dicitur, gesta fuisse: sed tamen illud Baronius, uti a Dallæo conceditur, vult *fluctuans*, atque adeo acta illius Concilii certa non habens, tum ob istam rationem, tum maxime ob Augustinum ea *crimina* inficiantem; qui etsi de Sinuessana Synodo nullum verbum fecit, nihilosecius de Marcellini lapsu, ob quem ea Synodus collecta fingitur, locutus, eum aperte negavit. Quapropter universalis scriptorum sex prioribus sæculis viventium reticentia de eadem Synodo dumtaxat vim habet, aut illam fictam ostendit; quorum tamen aliqui quum alias Synodos vere celeberrimas, frequentissimas, gravissimas, atque Catholicas referant: hasce, & genuina eorum authorum opera ut Commentitiis minime immixta Dalleus agnoscere debet, atque fateri.

Nihil igitur legitimos Patrum libros suppostitiis inconfusos lædunt quædam, non innumera, Martyrum acta; in quibus aliqua gesta incerta leguntur: nam & illa a multis Martyrum actis *authenticis*, quæ Dallæus ipse commendat, secreta sunt; & Martyria in illis contenta, atque ab ipsis dubiis circumstantiis præcisa, certis ex monumentis evincuntur: quorum in exemplum S. Ursulam a Dallæo adductam proponam; quam & aliquot ejus socias apud Coloniam Agrippinam Martyrio donatas esse, S. Trudonis, qui anno 629. natus est, Chronicon significat; ex quo conjicitur, in antiquis Cronicis, & Martyrologiis dumtaxat scriptum fuisse *Natale Sanctarum Ursulæ, & Sociarum*. Quare non, ut perperam Dallæus obloquitur, scelerata, sed proba est eorum diligentia, qui falsitatis argumenta non immutant, sed veritatem tuentur, dum *undecim millium Virginum* numerum in illis vetustis monumentis haud repertum, ab aliis quibusdam, in quæ mendose irrepsit, probe auferunt. Hinc in altero S. Catharinæ Virginis, & Martyris exemplo *prudenter*, quemadmodum censor fatetur, factum est, ut inauspicata *Costi* Regis, cujus filiam fuisse illam quædam acta minus sincæra referunt, mentio non fieret; utque pro Maxentio Maximinus a Pontificibus Clemente VIII. & Urbano VIII. poneretur: quibus emendationibus eadem acta non prorsus authentica, sed mendo obnoxia denotantur; quo nihil officiente S. Catharinæ passionem, quæ in nonnullis antiquis martyrologiis, aut in priscis eorum additamentis simpliciter traditur, eruditi incertam non habent: quam quidem Eusebius haud negat, sed innuit, non illis verbis, quibus S. Dorotheam designatam voluit Ruffinus, quibusque Dallæus abutitur, sed aliis ea præcedentibus. Siquidem Eusebius (*a*) de Maximino Tyranno, qui in

[a] *Euseb. Hist. Eccl. Lib.* VIII. *cap.* XIV. *pag.* 344. *& seq.*

in Oriente dominatum tenebat, & *Impostorum*, ac *Magorum Principes*, atque *Hariolos* impie sequebatur, hæc scribit: *Quid dicam de fœdissima Hominis libidine? quid de innumerabilibus adulteriis? Neque enim per ullam urbem iter unquam fecit, quin mulierum stupra, & Virginum raptus in ea perpetraret. Atque hæc ex voto ipsi successerunt adversus cunctos, solis exceptis Christianis: qui calcato mortis metu, tam violentam hominis Tyranidem despexerunt. Nam & viri ignem ac ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones, ac perustiones; confixiones, & effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes: ad hæc famem, metalla, ac vincula perpessi, in his omnibus maluerunt pro vera Pietate tolerantiæ suæ specimen edere, quam rejecto Dei cultu simulacra venerari. Et mulieres Doctrina veræ Fidei non minus, quam viri, roboratæ; ac hæ eadem, quæ viri, certamina subierunt, & æqualia virtutis adeptæ sunt præmia. Harum ergo aliqua præstans veræ fidei doctrina*, quam falsissimis *Impostorum*, *magorumque* Maximinum decipientium *vaticiniis* Eusebius opponit, *ferrum*, *clavorum suffixiones*, *ac totius corporis mutilationes perpessa* est: quæ cum Catharina, aut Hecatherina a nonnullis vetustis Martyrologiis, aliisque certis monumentis Ecclesiasticis appelletur; idcirco ejus *doctrinam magis impostoribus* oppositam, atque martyrium esse bonam fabulam, Dallæus male adstruit, quia ejusdem Sanctæ *doctrina*, ac passio in eo Eusebii textu, qui a mendosis actibus distinguitur, plane fundantur. Atque ut harum rerum, quas cum aliis Dallæus ipse confundit, ordinem persequar: in acta Philippi Augustalis mendum, ut in quædam alia vetera scripta, incidisse, ideoque corrigenda Baronius putavit nulla audacia, ac fraude; in quas delapsi non sunt illi eruditi, qui prophanas Historias mendis quibusdam scatentes ex cæteris earum textibus correxerunt. Sint ergo ea acta mendosa: certe ab incorruptis aliis actibus secernuntur. Idemque Baronius in scriptis S. Stephani Papæ actibus, qui Valerianum III. & Gallienum II. exhibebant, posuit Valerianum IV., & Gallienum II. Quis enim nesciat, in aliquos Consulatuum numeros, quos quidam fasti habent, menda facilius irrepsisse? Quamvis autem ea acta mendis scateant, attamen Stephani Martyrium ex dicto Damasi Pontificali, cujus Chronologiam Critici haud respuunt, probamus; siquidem is liber Valeriano IV. & Gallieno III. Coss. Stephanum Martyrii Coronam adeptum esse tradit; cui Bucherianum de Episcoporum depositione Calendarium respondens, lites a Dallæo concitatas dissolvit. Denique S. Sebastiani Martyris acta, uti Tillemontius (a) censet, labente quarto sæculo scripta, passim falsitatem non continent, nec quidpiam effingunt, ut ab auctore Sebastiani propemodum æquali exarata. Cumque in tabulis publicis a Bucherio editis *Fabianus* urbis Præfectus desideretur; in aliis vero tabulis, & Martyrum actibus ejus nomen legatur; ob idque ante *Junium* Maximum, & iterum post eum idem Fabianus urbis Præfectus fuisse putetur:

[a] *Tillem. de S. Sebast. nota* 4. *pag.* 741. *Tom.* IV.

ſetur: hinc acta S. Sebaſtiani, qui eo rurſus urbis Præfecto martyrium paſſus eſt, *Fabianum* nequaquam mentiuntur, & Baronius nullam concipit fraudem, ſi *Fabiani* potius, quam Fabii nomen tabulis, in quibus deeſt, adſcribendum exiſtimat.

Pergamus nunc ordinatim ad Epiſtolas Romanis quibuſdam Pontificibus ſubditas; quarum una eſt Epiſtola ad Jacobum Fratrem Domini miſſa, ac Clementi I. ſuppoſita, & quia nullus veterum, qui ejuſdem Clementis Epiſtolam I. ad Corinthios laudarunt, illam attulit; & quoniam ex illius exordio conſtat, ipſam poſt S. Petri Apoſtoli obitum datam fuiſſe; quæ proinde ad Jacobum, qui ſeptem ante Petri martyrium annis peremptus fuerat, ſcripta eſſe non potuit: quæ tamen non ex omnium Codicum conſenſu Clementi I. adſcripta fuit, quum unus Codex a Photio (*a*) relatus eam S. Petro attribuerit: qua ex varietate Baronius, & Bellarminus dubitanter colligere videntur, eam ſcriptam eſſe ad Symeonem: quod certum neſcivere; veteres enim hoc ipſum non docent, ſed priorem Clementis Epiſtolam quibuſcumque ſubdititiis exhibent inconfuſam... Epiſtola ad Ægyptios itidem Evariſto ſuppoſita eſt; quippe quæ Hieronymianam Pſalmorum verſionem ſequatur. Altera quoque Epiſtola ad Afros ex multis Idacii Clari verbis contexta Evariſto adſingitur, haud obſtante Codicum diſſimilitudine, quæ cum in aliis cernatur, Turriano concedenda eſt. At vero Innocentii III., aliorumque Pontificum decreta per ſeſe vim maximam habentia in Eccleſia Catholica inviolate conſiſtunt. Fabiani autem Epiſtola ad omnes *comminiſtros* directa ſuppoſitionis eo convincitur, quia dicit, quod *ſupervenit Novatus ex Africa, & ſeparavit de Eccleſia Chriſti Novatianum*; qui tamen ſe ab Eccleſia ſejunxit, defuncto Fabiano: cujus proinde Epiſtolam illam non eſſe, & falſum in verum mutari non poſſe Baronius ſignificavit, cui ſpongias, & pumices Dallæus appingit, quia non internam Epiſtolæ falſitatem mutari, ſed externum ejus titulum nonnullis in codicibus varium corrigi poſſe ille cupiit: quod criticos non ſefellit, qui aliam certam S. Fabiani Epiſtolam a S. Cypriano (*b*) commendatam, cum illa, cæteriſque nothis litteris confuſam haud eſſe viderunt. Tum autem Binius in Epiſtolam, quæ Cornelii eſſe fertur, mendum, non fabulas, irrepſiſſe dixit; illam vero a ſuppoſitione non vindicavit; quia non ſolum uno in loco SS. Petri, & Pauli corpora *levata*, verum etiam in altero ea a *Romanis*, ac non adeo a Cornelio, ſublata adfirmat adverſus Euſebium Cæſarienſem, (*c*) qui ſuis temporibus ipſa corpora in Vaticano ſepulta permanſiſſe teſtatur. Cæterum & illa Epiſtola, & reliquæ ſpurie a genuinis, quas S. Cornelius ad S. Cyprianum ſcripſit, ab aliiſque quas S. Hieronymus recenſet, penitus ſecernuntur. Dehinc tertia Epiſtola, quæ Euſebii dicitur, Sixti Pythagorici, qui Ethnicus de Crucis inventione locutus non eſt, ſententiis ſcatet, atque adeo Euſebio Pontifici ſuppo-

ſita

(*a*) *Phot. BB. Cod.* 112.
(*b*) *Cypr. in Ep. ad Cornel. Pap.*
(*c*) *Euſ. lib.* 2. *Hiſt. Eccl. cap.* 25.

sita est; & hæc inventio Sixti Ethnici verbis assuta; quod proinde Binius non finxit. Figmentum tamen haud est S. Crucis inventio, ut quam S. Cyrillus (*a*) Hierosolymitanus Episcopus, ac Theodoretus (*b*) narrarint. Demum infælici Binii conatui ignoscendum; neque enim prior Epistola, quæ Julio I. affingitur, & altera, quæ Joanni II. supponitur, ob mendaces consulum notas suppositione exui queunt: & vero istæ fictæ Epistolæ a genuinis Julii I. litteris, quas S. Athanasius, aliique exhibent, atque a legitimis Joannis Epistolis, quas Critici agnoscunt, omnino distinctæ sunt. Ex quibus omnibus colligo, non omnes R. Pontificum, qui ad Siricium usque vixerunt, Epistolas, sed aliquas suppositititias esse, cumque illis legitimis nequaquam confusas. Unde harum suppositionem ex authorum, qui primis octo sæculis floruerunt, quique legitimas R. Pontificum Epistolas adlegarunt, silentio Dallæus evincit; ac propterea is germanos Patrum libros a commentitiis, qui SS. Justino, Athanasio, Cyrillo, Ambrosio, Augustino, Eusebio Cremonensi, aliisque suppositi sunt, secretos agnoscere debet, ac laudare Miræum, qui fragmenta L. Dextro & Maximo adfictor detexit, & legitimis veterum libris inconfusa exhibuit: quæ quamvis Apostoli Jacobi majoris profectionem in Hispanias, quæ Baronio, ac cæteris eruditis non probatur, enarrent: certe Tolosam ejusdem Apostoli corpus translatum esse, fabula haud est, cum ea translatio veris monumentis vincatur. Etsi autem tempore auctus est falsorum operum numerus; tamen hunc legitima Patrum volumina multa, uti in eorum editionibus videmus, excedunt.

Denique mirari satis non queo falsas Dallæi de ipsorum librorum confusione suspiciones; quas refellunt veteres allati, qui vel genuina Patrum opera a nothis, quæ non librarii omnes, sed Hæretici, aliique finxerant, distinxere, vel de reliquis suppositis siluerunt, ac sic ista non confuderunt cum illis; in quibus proinde veterum sensa de Fidei dogmatibus inspici possunt atque discerni.

[a] S. *Cyr. Catech.* 13. & *alii*.

(b) *Theod. lib.* I. *Hist. Eccl. cap.* 18.

ERRATA				CORRIGE
Pag.	col.	lin.		
8.	2.	43.	Hipponæ	Hipponæ Præful
15.	1.	18.	ab Apoftolis ducto	ab Apoftolis ducta
	2.	17.	Ecclefiæ eum	Ecclefiæ eam
25.	1.	17.	vel negant, vel dubium	vel negant, vel in dubium
39.	2.	ult.	cequid verofimile	Ecquid verofimile
41.	1.	31.	Prifcæ authoritais	Prifcæ authoritatis
46.	1.	6.	quam relati. Patres	quam relati Patres
57.	2.	40.	Philofophia Græcoram	Philofophia Græcorum
§. IV.				
74.	1.	15.	Hujus veri	Hujus vero
88.	2.	17.	aut Origenes	aut originis
96.	1.	18.	Phitonis Judæi	Philonis Judæi
100.	2.	41.	admixrionem	admixtione
169.	1.	17.	quæ extraodiceas	ἐκ Λαοδικείας
175.	2.	37.	adftruuntur. Lontius	adftruuntur Leontius
176.	1.	26.	perfuadet. quod	perfuadet, quod
		34.	formulam Neocefarienfis	formulam, quam Neocefarienfis
187.	1.	20.	hominiqne illi	hominefque illi
§. III.				
202.	1.	13.	qnare Bibliopolas	quare ad Bibliopolas
203.	1.	18.	Senatos Cafiodorus	Senator Cafiodorus
209.	1.	15.	diftinctiones	diftinctione
		33.	difoeptat hifqne Hæreticis, multa	difceptat, hifque Hæreticis multa
210.	2.	26.	ex fcriptores	exfcriptores
214.	1.	23.	Marius mercator	Marius Mercator
217.	1.	30.	Dicerent	dicerent
220.	pofti.		Ecci. 4.	Eccl. 4.
221.	1.	28.	facundiffimas	facundiffimos
224.	2.	41.	Nos	Hos
227.	1.	30.	commoftrarunt	commonftrarunt
231.	2.	7.	Alexandri nas	Alexandrinas
		ultim.	ex æquas fe	exæquaffe
233.	1.	13.	quo rumpiam	quorumpiam
		penult.	hoc fe Seleucienfi	hoc Seleucienfi
234.	1.	2.	illifque certamina	illiufque certamina
238.	1.	27.	manifeftæ	manifefte
240.	2.	2.	fignaffe veftigia fcripfit antequam Eufebius Cæfarienfis. Scriberet, Apologeticum &c.	fignaffe veftigia? Scripfit antequam Eufebius Cæfarienfis fcriberet Apologeticum &c.
243.	1.	ult.	q nov is	quovis
	2.	24.	parvis [illegible]	. . . .
244.	2.	32.	Omitte	Omitto
245.	2.	27.	valefius	Valefius
		29.	ille	Ille
		33.	Chriftum ftum Jefum	Chriftum Jefum
256.	1.	30.	fexti	Sexti
262.	1.	19.	Juliano	Juliani
267.	2.	12.	conjugi	conjungi
269.	2.	17.	indicio	judicio
307.	1.	8.	Theodoræ	Theodore